



# **Dn. Melchioris Kling, iureconsulti clarissimi In Quatuor Institutionum Iuris, Principis Iustiniani, Libros, Enarrationes.**

<https://hdl.handle.net/1874/433576>







**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**


**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board





25







Page  
charging

68

9











in te reus et deus meus.

**Q**ui dicitur pater **compl'**  
sacramenta et a me  
mundemur oculis. et ab  
hostiis libe

Jus positivum et Interpretes

Folio n°. 238.

**M**entes r

qs dne lumen  
tis illultra. ut videre possi  
mus que agenda sunt. et  
q̄ recta sunt agere ualea  
mus. **P. feria Quinta.**

**C**onfessio et pulchritudo  
u. conspici eius factas  
magnificencia in satisfactione  
ei. **P. Cantate dno cantici**

nouu quia mirabilia fecit. **col**

**O**mnis tempore ds **lca**  
qui obseruatoe ieu  
ni et elemosinaru posuisti  
nostrum remedia peccatorum  
concede nobis mente et corpe  
tibi esse deuotos. **P. exedite**


**Q**uod dicitur ill. **frus us. pphie**  
est sermo dni ad me dices.  
Quid est qd̄ inter uos pa  
tolam uertitis in prouerbii  
istud in terra isrl̄ dicentes.  
pres nri manducauerunt  
uia acerbam. et dentes fili  
oru obstupescunt. **Quo ego**  
dicit dn̄s. si erit uobis ul  
tra p. uerba hec in prouerbii  
in isrl̄. **Ecce omnes aie mee**  
st. ut aia pris ita et anima  
fili mea est. Anima q̄ pec  
cauerit ipsa morietur. Et

u. illi uerit uultu  
ru iudiciu et ut  
iniquitate no con  
oclos suis no le  
ad viola dante  
orem primi sui  
uerit. et ad mul  
struati non acc  
hoiem no conu  
piguus debito  
p uim nichil rap  
ne fipu esuriem  
et nudu opuer  
to. ad usuram r  
uerit. et amplius  
perit. ab iniquit  
re manu suam  
ueri ferere inter  
uru. in pceptis  
bulauerit. et uid  
custodierit ut fa  
tatem. hic iustus  
uiuet. **Aut dn̄s or**


**C**ustodi me dne u  
oculi sub umbra ala  
protege me **V. De i**  
iudiciu meu prodeat  
uideant equitatem.


**N**illo t. **Egressus**  
secessit in partes  
dn̄s. Et ecce mult  
nea a fimbriis illis  
uamant dices et  
mei dne fili dau  
mea male a dno  
atur. Qui no resp













N<sup>o</sup> 106.2

N<sup>o</sup> 58.2

U  
r  
re  
er  
n  
o  
st  
no  
r  
o  
e  
u  
u  
l  
o  
u  
u  
p  
o  
u  
n  
n  
u  
u  
s  
u  
m  
m

DN. MELCHIORIS

KLING, IVRECONSULTI CLARISSIMI, IN  
Quatuor Institutionum Iuris, Principis Iustiniani,  
Libros, Enarrationes.

DE INTEGRO IAM IN GRATIAM

Studiosorum, & praxim forensem sectantium, multis Libellorum  
Actuumque Iudicialium formis, ab ipso autore auctæ,  
ac diligentissimè recognitæ.

CVM INDICE RERVM AC VERBORUM,  
notatu dignorum, copioso.

PIETAS AD OMNIA

COR HVMIATVM, Plal. 50.



VTILIS EST, 1. Timoth. 4.

SACRIFICIVM DEO

*Ex Donatione Hub. à Buchel.*

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali,  
ad octennium.

FRANCOFORTI, APVD HAEREDES CHRIS-  
tiani Egenolphi Hadamarij.

1550





DE MELLECHIORIS  
ALPHONSI DE BONOVALE CLERICI  
Sacerdos

DE INTERO IAM IN GRATIAM  
Sacerdos

GYMNASIO RAVENNAE  
Sacerdos

PIETAS AD OMNIA



DEO WAICIAUDIZ

Deo Waiciauiz

Cum Grae & Privilegio Imperiali  
et abbatum

FRANCORUM ET RAVENNENSIS  
Sacerdos



INCLYTO REGI ET EXCELLENTI VIR-  
TVTE PRÆSTANTI, DOMINO CHRISTIANO REGI DANORVM,  
Vandalorum & Gotthorum, Duci Slesuicensi & Holsatensi, &c.  
Principi clementissimo S. D. Melchior Kling,  
Iuris utriusque Doctor.



VANTVM VITAE HVMANAE BO-  
num, quantum decus ac præsidium sint leges, po-  
liticus ordo, & Imperia, prudentes aliqua ex par-  
te æstimare possunt: magnitudo uerò horum cœ-  
lestium munerum pro dignitate uerbis explicari  
non potest, Sed hoc infixum esse animis omnium  
oportet, quod & uerissimum est, & multis illustri-  
bus testimonijs confirmari potest, societatem ciuilem, qua nihil pul-  
chrius, dulcius, aut utilius in uita cogitari potest, non temerè & ca-  
su, aut propter necessitatem conflatam esse, sed singulari Dei consi-  
lio atque ope constitutam, qui & religionis ueræ doctrinam huma-  
no generi tradidit, & Imperia legesq; imposuit, ut iter ad cœlestem  
perpetuamque uitam monstraret, interim uerò pacem in terris mu-  
niret, & effrenes hominum cupiditates & furores coherceret. Quan-  
quam autem constat Deum esse autorem harum maximarum re-  
rum, & utilitates infinitæ sunt in conspectu. Nam si uagarentur ho-  
mines ut bestia, sine coetibus, sine legibus, sine imperijs, sine certis le-  
dibus, sine ciuitatibus, qualis esset uita, quæ pro creatio, aut natorum  
educatio? Tamen inest in hac imbecillitate naturæ humanæ quæ-  
dam cõtumacia, quæ uincula religionum, imperia ac leges ægrè pa-  
titur. Ideo magna pars hominum, quadam Cyclopica immanitate  
excudit religiones, leges tanquam iniustum carcerem odit, Imperia  
uerò putat uel constituta esse, sine Deo. Deploranda quidem est hæc  
humanæ naturæ infirmitas, sed non propterea abiicienda cura bo-  
nis, & gubernatoribus retinendarum rerum bonarum. Imò hanc  
ipsam ob causam reges impositi sunt generi humano, ut cum illis  
Cyclopi decertent, ut religiones, leges, iudicia, bonos mores tue-  
antur, & aliquos ciues ad uirtutem inuitent, reliquorum iniustos  
impetus reprimant. Nec noster ordo deesse honestis consilijs bono-  
rum principum debet: tueamur leges in iudicijs, in deliberationi-  
bus, in scholis. Hæc nostra militia non nihil ad morum gubernatio-  
nem, ad pacis conseruationem conducit. In hoc honesto curriculo  
cùm & ego, Dei benignitate, mediocriter uerser, & non nihil labo-  
ris in iudicijs & deliberationibus sustineam, tamen scholasticas ope-  
ras adiungo, quod ueteres etiã nobilissimos uiros, Sceuolam, Craf-  
sum, Sulpitium, & alios fecisse audimus. Et postea Irnerius cùm diu



Italiam gubernasset præcipua autoritate, tamen senex in schola dicitur. Ac sepe mihi cogitanti, præsertim his turbulentis temporibus, de Germania, tantisper uidetur mansura mediocris forma reipublicæ, donec floreant hæc legum nostrarum studia, & earum uoce iudicia, curiæque regentur. Scripsi igitur enarrationem Institutionum, quas optimo consilio Imperator Iustinianus edidit. Hanc meam lucubrationem potissimum Regiæ M. T. dedicandam esse censeo. Videmus enim & in interiori uita mores tuos castissimos & honestissimos esse, maximeque legibus congruentes, & in gubernatione ac iudicijs iustitiam à te constantissimè coli. Sciebam autem tibi tali principi legum amanti etiam hoc genus scriptorum non ingratum fore. Huc accedit, quòd iudicium tuum cognoui de nostro studio, cum mecum ageres de Iuris interprete in Academia tua, ac ostenderes te hoc agere, ut ex hoc fonte Iuris æquissimi, uidelicet ex ueteri sapientissimorum gubernatorum doctrina, quam profitemur, riuus aliqui in uestras leges & regiones deducerentur.

Cum igitur de nostris studijs præclare sentias, edidi auspicio nominis tui hanc enarrationem, & ut R. M. T. officium meum boni consulat rogo. Nam doctrinæ genus probari tibi non dubito. Etsi enim non omnes gentes Romano Iure utuntur, tamen iudicium tuum congruere cum summis uiris animaduerti, qui rempub. non solum arbitrijs magistratum, sed scriptis legibus regendam esse censuerunt. Cum aliquandiu Attica ciuitas, & postea Romana sine scripto Iure fuissent, utraq; magnis motibus ac procellis hanc ipsam ob causam quassata est, quia ciuium controuersia non scriptarum legum æquitate, sed incertis potentum uoluntatibus iudicabantur, qua in re quantum sit periculi, etsi cõmunis uita docet, tamen & uerba Aristotelis in tertio Politicorum digna memoria, admonent, quæ, quia sententiam grauissimam continent, adscribam: Qui legem uult præesse, uidetur summam potestatem Deo & legibus commendare: qui uerò humano arbitrio tribuit imperium, adiungit & belluam. Nam cupiditas belluæ similis est, & iracundia gubernatores depræuat, etiam si sint alioqui uiri boni. Sed lex est mens sine cupiditate, sine perturbatione atque adfectu. Fauebit igitur R. M. T. huic honestissimæ ac salutari doctrinæ, & ut Alexander Seuerus Imperator obiecta toga sua Ulpianum Iurisconsultum aduersus iratos milites tuebatur, ita legum te doctrinam autoritate tua defendere gloriosum tibi, uereque regium existimato. Bene ualeat R. M. T. Die sacro

Pentecostes, qua memoria celebratur legis scriptæ de cœlo traditæ, ac legis accensæ in cordibus Apostolorum dato Spiritu sancto,

Anno 1542.

INDEX



I N D E X.

**INDEX EORVM QVAE  
hoc opere tractantur. a. priorem, b.  
alteram chartae faciem notat.**

**A.**  
**Abigeatus crimen.** 206 b  
**Absens causa Reipub. immunis est  
à tutela.** 35 b  
**Absentia est quintuplex.** 147 a  
**Acceptilatio quid sit.** 126 b  
**Accessio per qua nobis acquiritur,  
est duplex.** 40 a  
**Accusatio de suspecto Tutore seu  
Curatore publica.** 36 b  
**Accusare quid.** 206 b  
**Accusator tenetur se inscribere ad  
poenam talionis.** ibi.  
**Actio quid.** 136 b  
**Actio Caluisiana.** 152 b  
**Actio ad exhibendum.** 145 a  
**Actio Commodati directa & con-  
traria.** 105 b  
**Actio communi diuid. ab act. pro so-  
cio in quo differat.** 171 b  
**Actio communi ex quasi contractu  
est.** 125 a  
**Actio communi diuidendo.** 171 a  
**Actio confessoria.** 142 b  
**Actio de constituta pecunia.** 101 b  
 178 b  
**Actio de dote in quantum facere po-  
test extenditur.** 172 b  
**Actio de in rem uerso.** 169 b  
**Actio de in rem uerso toties datur  
quoties procurator haberet act.  
mand. uel negot. gest.** 170 a  
**Actio de peculio.** 166 b  
**Actio de pestu pecoris.** ibid.  
**Actio ex empto cõplectitur in se a-  
ctionem de euictione, & redhibi-  
toriam.** 116 b  
**Actio exercitoria.** 168 a  
**Actio ex locato ad quid competat.**  
119 a  
**Actio ex stipulatu.** 173 a  
**Actio ex stipulatu quandoq; est bo-  
nae fidei, cum regulariter sit stri-  
cti iuris.** ibi.  
**Actio ex testamento quando detur  
in duplum.** 164 b  
**Actio ex uẽdito ad quid competat.**  
116 b  
**Actio fam. hercisc. ab act. com. di-  
uid. quomodo differat.** 171 b  
**Actio fam. herciscundae.** 125 a  
 170 b

**Actio Fauiana.** 152 a  
**Actio finiu regundorum qualis, qui-  
bus, & contra quos datur.** 172 a  
**Actio furti cui & contra quem de-  
tur, item ad quid, & in quantiũ.**  
129 a  
**Actio furti inter conuges non habet  
locum, sed actio rerum amota-  
rum.** 130 a  
**Actio in factum de Calumniatori-  
bus.** 163 b  
**Actio in factum ex edicto edil. cu-  
rulum.** 8 b  
**Actio in factum ex iureiurando.**  
179 b  
**Actio infortoria.** 168 b  
**Actio l. Aquiliae.** 131 a  
**Actio l. Aquil. ab act. iniur. quomodo  
differat.** 132 a  
**Actio l. Aquil. per inficiationem cre-  
scit in duplum.** ibid.  
**Actio mandati ad id, quibus, & con-  
tra quos competat.** 122 b  
**Actio negotiorum gestorum.** 124 a  
**Actio nego. gesto. quib. casib. cesset.**  
124 b  
**Actio Pauliana.** 149 a  
**Actio Pauliana quando oriatur ex  
quasi contractu.** 151 a  
**Actio praescriptis uerbis.** 176 a  
**Actio praescriptis uerbis de aestima-  
to.** ibi. b  
**Actio pro socio datur demum post  
societatem finitam.** 121 b  
**Actio pro socio est directa ex utraq;  
parte.** ibi.  
**Actio Publiciana quid sit.** 140 b  
**Vbi praescriptio non habet locum,  
ibi non oritur Act. Public.** 141 a  
**Actio quanti minoris.** 8 b  
**Actio quasi Fauiana.** 152 b  
**Actio quod iussu datur in solidũ con-  
tra patrem seu dominum.** 168 a  
**Actio quod metus causa.** 162 b  
**Actio quod metus causa cõpetit pro  
ui compulsua, nam pro ui abla-  
tiua datur Act. ui bo. rapt.** 163 a  
**Actio semper praesupponit aliquod  
ius.** 137 a  
**Actio Seruiana.** 153 b  
**de Actione quae nobis competat si  
incertum est, possunt duae simul  
intentari, cum protestatione ex  
altera nos uelle consequi quod no-**

**bis debetur.** 206 b  
**Actionem praescriptis uerbis nemo  
potest intentare nisi qui pro sua  
parte adimpleuit.** 177 a  
**Actiones arbitrariae quae.** 182 a  
**Actiones auocatoriae.** 137 b. 153 a  
**Actiones bonae fidei cur dicantur.**  
159 a. 175 b. 176 a  
**Actio ui honorum raptorum.** 130 b  
**Actiones civiles quae sint.** 180 b  
**Actiones contrariae non infamant.**  
106 b  
**Actiones directae quae, et quae utiles.**  
181 a  
**Actiones directae ab utilib. in effectu  
nihil differunt.** 132 b  
**Actiones duae oriuntur ex rapina.**  
ibid. a  
**Actiones duae quando oriuntur ex  
eodem delicto, an una intentata  
possit intentari & altera. ibid. b**  
**Actiones ex edicto Aedilium Curu-  
lium descendentes tres sunt.** 8 b  
**Actiones mixtae.** 138 a. 158 b.  
159 a. 164 b  
**Actiones Natiuae & Datiuae quae.**  
181 b  
**Actiones noxales.** 165 b  
**Actiones noxales transeunt in here-  
des.** 166 a  
**Actiones poenales an sint ad here-  
des transitoriae.** 185 a  
**Actiones perpetuae.** 184 b  
**Actiones personales.** 158 a  
**Actiones personales sunt perpetuae.**  
184 b  
**Actiones praediciales.** 156 a  
**Actiones praeparatoriae quae & cur  
sic dictae.** 145 a  
**Actiones quae ex contractu oriun-  
tur.** 159 a  
**Actiones reuocatoriae quae.** 149 a  
**Actiones stricti iuris.** 159 b  
**Actiones stricti iuris quae.** 178 b  
**Actio redhibitoria quae.** 8 b  
**Actio rei uxoriae in act. ex stipulatu  
transfusa est.** 172 b  
**Actio rescissoria rescindit usucapio-  
nem.** 146 b  
**Actiones reuocatoriae quae.** 137 b  
**Actiones praetoriae quae sunt rei per-  
secutoriae sunt perpetuae.** 184 b  
**Actiones singulares, uniuersales ge-  
nerales, quae sint.** 181 b



I N D E X.

<b>Actio si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.</b>	166 a	<b>refertur.</b>	196 a	<b>Alieno iuri subiectil.</b>	128 b
<b>Actio subsidiaria qua dicatur.</b>	35 a	<b>Aestimata rei periculum pertinet ad eum qui rem aestimat am suscepit.</b>	177 a	<b>Alluuius quid sit.</b>	40 a
<b>Actio tributoria.</b>	169 a	<b>Aestimatio in act. l. aquil. quomodo fiat.</b>	111 b	<b>Alumnus quis dicatur.</b>	10 a
<b>Actiones, tributoria, &amp; de in rem uerso, non dantur in solidu.</b>	170 a	<b>Affectus effectui non secuto puni- tur.</b>	129 b	<b>Ambitus quid.</b>	206 a
<b>Actio tutelae habet locum tutela de- mum finita.</b>	31 a	<b>Affectus punitur in calumnia.</b>	164 a	<b>Amita filius cognatus est licet ex a- gnata genitus.</b>	31 b
<b>Actio tutelae oritur ex quasi con- tractu.</b>	124 b	<b>Affinitas est perpetuum impedimen- tum, quod durat etiam mortua persona.</b>	16 b	<b>Animalium tria sunt genera.</b>	39 b
<b>Aktor maiorem summam qua ei de- betur in libello inserens, tenetur in triplum.</b>	165 a	<b>Affinitas quatenus matrimonia im- pediat.</b>	ibid. a	<b>Anomale quando demur tutores.</b>	30 a
<b>Aktor quemadmodum tenetur pro- ba. suam actionem, ita reus suam exceptionem.</b>	185 b	<b>Affinitas quomodo contrahatur.</b>	15 b	<b>Anomali heredis qua.</b>	100 a
<b>Addicere bona quid.</b>	100 a	<b>Affinitas respicit tantum contrahē- tes, non autem consanguineos.</b>	25 b	<b>Antidotalis obligatio.</b>	101 a
<b>Aditio hereditatis per declaratio- nem uoluntatis in libello proba- tur.</b>	178 a	<b>Affinitatis diffinitio.</b>	15 b	<b>Appellatione uinculorum quid ue- niat.</b>	147 b
<b>Administratio tutelae penes unū esse debet, si sint plures tutores.</b>	35 a	<b>Affinitatis tria sunt genera.</b>	16 a	<b>Appensum si nocere potest necta- men adhuc nocuit, poena est in ap- pendentē decem aureorum.</b>	135 b
<b>Administratio tutorib. legitimis non permittitur, nisi iurent se factu- ros utilia.</b>	32 a	<b>Agnati in feudis praefertur cognatis.</b>	32 a	<b>Aqua et igni interdicare.</b>	32 b
<b>Adoptare qui possint.</b>	26 a	<b>Agnationis &amp; cognationis differen- tia hodie sublata est, praeter qua in feudis.</b>	29 b	<b>Aquilianastipulatio.</b>	127 a
<b>Adoptati ab extraneo manent in potestate patris naturalis.</b>	61 a	<b>Agnationis &amp; cognationis differē- tia per ius Autent. est sublata.</b>	92 a	<b>Arbor Ciuiilis &amp; Canonica in quib. differant, &amp; in quibus conueni- ant.</b>	93 b
<b>Adoptio illis ipsis modis quib. patria potestas soluitur.</b>	26 a	<b>Agnati qui dicantur.</b>	31 b	<b>Arbor consanguinitatis ad quid sit inuenta.</b>	ibid.
<b>Adoptio quid.</b>	ibid.	<b>Agri mensores.</b>	172 a. & b	<b>Arbor consanguinitatis Canonica.</b>	14 b
<b>Adoptiuu parentes an succedant fi- liis adopt.</b>	84 b	<b>Album praetoris corrumpens qua- actione &amp; in quantum teneatur.</b>	159 b	<b>Arboris consanguinitatis explana- tio.</b>	94 a. 93 a
<b>Adoptiuu fratres tantū sibi inuicem non succedunt.</b>	85 b	<b>Alienans rem sacram qua poena pu- niatur.</b>	39 a	<b>Arra duob. modis in emptionibus interuenit.</b>	118 b
<b>Adoptiuu tantum, quomodo succe- dant parentibus.</b>	82 b	<b>Alienare est uerbum generale.</b>	163 a	<b>Ar. a in emptionibus si non interue- niat, impunē a contractu discedi- tur.</b>	116 a
<b>Aduentitia acquiruntur patri per filium, quo ad usum fructum tan- tum.</b>	53 b	<b>Alienata in fraudem liberorum a pa- rentibus quomodo reuocentur.</b>	153 a	<b>Arrogatio quid.</b>	26 a
<b>Adulterij poena.</b>	204 b	<b>Alienatio tam diu non reuocatur, quam diu creditoribus ex bonis nō alienatis satisfieri potest.</b>	150 b	<b>Arrogatione quomodo bona acqui- rantur.</b>	99 b
<b>Adulterium causa est propter quam separatur matrimonium.</b>	22 b	<b>Alienatio in fraudem creditorum fa- cta quomodo reuocetur.</b>	149 b	<b>Ascendentibus datur querela contra testamentum descendentiū.</b>	66 b
<b>Adulter uel fur, si aliquid dent ne oc- cidantur, repetere non possunt.</b>	162 b	<b>Alienatio in fraudem legis facta est ipso iure nulla.</b>	150 b	<b>Ascendentes uocantur in successio- nibus descendentiū, deficientibus descendentiū.</b>	84 a
<b>Aedificans in alieno solo ex sua ma- teria, item ex aliena materia, itē in suo solo ex aliena materia, qua actione &amp; ad quid teneatur.</b>	41 b	<b>Alienatio in fraudem ut facta dice- tur, requiritur fraus utriusque partis, nisi in debitore fisci seu ciuitatis.</b>	ibi. a	<b>Ascriptitius quis dicatur.</b>	157 a
<b>Aedificia in littore maris aedificanti- um sunt.</b>	33 b	<b>in Alienationis reuocatione preci- um non restituitur.</b>	ibid. b	<b>Asiologus ex diuinatione aliquem dicens furem iniuriarum non te- netur, sed constitutionibus.</b>	134 a
<b>Aestas ad aequinoctium autumnale</b>				<b>Attilianus tutor quis.</b>	31 b



I N D E X.

<i>Autoritas poetarum in iudicijs allegari potest.</i>	52 a	<i>statem patriam.</i>	27 b	<i>sibi succedant.</i>	89 b
<i>Autoritas tutorum in nuptijs non requiritur.</i>	21 a	<i>Carboniana bono poss. que sit, &amp; quib. detur.</i>	97 a	<i>Collaterales quemadmodum succedant.</i>	85 b
<i>Auus nepotem suum adoptandum alteri dare potest, filio suo, hoc est patre nepotis, inuito.</i>	26 b	<i>Casus fortuitus ab act. l. aquil. excusat.</i>	132 a	<i>Colonus ab usufructuario quomodo differat.</i>	42 b
<i>Auus pupillo non potest dare tutorem, si pater pupilli adhuc uiuat, ita ut in eius potestatem casurus sit.</i>	214	<i>Casus fortuitus quid.</i>	104 a	<i>Colonus quis dicatur.</i>	ibid.
<b>B.</b>		<i>Catoniana regula que sit.</i>	75 a	<i>Commixtio quid sit.</i>	40 b
<i>Banniti equiparantur de portatibus.</i>	27 a	<i>Caupones, stabularij quomodo teneantur propter damnū illatū.</i>	135 b	<i>Commodatæ rei periculum ad quæ pertineat.</i>	106 a
<i>Bellum ex iure gentium ortum.</i>	3 b	<i>Causa constituitur per quia.</i>	75 a	<i>Commodati definitio.</i>	105 a
<i>Bigamia post mortem alterius coniugis licita est.</i>	15 b	<i>Causa falsa non uitiat legatum. ibid.</i>		<i>Commodatum debet esse gratuitum.</i>	ibi. b
<i>Bis dat qui citò dat.</i>	73 b	<i>Causa uera uel putatiua debet præcedere traditionem, ut ualeat traditio.</i>	43 a	<i>Commodatum quib. in rebus constitat.</i>	ibid.
<i>Bona fidei possess. de perceptis fructibus tenetur.</i>	140 b. 204 b	<i>Cautio iuratoria quando locum habeat.</i>	184 a	<i>Commodum &amp; periculum rei uenditæ ad quæ pertineat. us b. &amp; in Communiōe nemo compellitur iniutus permanere.</i>	171 b
<i>Bona uxoris præter dotem paraphernalia dicuntur.</i>	52 b	<i>Cautio iudicio sisti.</i>	ibi.	<i>Communes res cur &amp; quomodo dicuntur.</i>	38 a
<i>Bonorum possessio ab hereditate in quib. differat.</i>	96 a	<i>Cedens bonis in quantum facere potest condemnatur.</i>	174 b	<i>Cõpendiosa substitutio que sit.</i>	64 a
<i>Bonorum possessio quid.</i>	ibid.	<i>Cedere diem in stipulatione quid sit.</i>	109 a	<i>Compensatio contra depositarium non admittitur.</i>	107 a
<i>Bonorum possessio alia est ordinaria, alia extraordinaria.</i>	98 b. & 97 a	<i>Censitio quis dicatur.</i>	157 a	<i>Compensatio quid sit, &amp; quando admittatur.</i>	183 a
<i>Bonorum possessio ex testamento duæ sunt, ab intestato uerò quatuor.</i>	99 a	<i>Censio bonorum in delictis &amp; iniurijs non liberat.</i>	175 a	<i>Concussio.</i>	106 b
<i>Bonorum possessorie hereditatis petitio quid.</i>	96 a	<i>Censio bonorum que sit mala fide, non admittitur.</i>	ibid.	<i>Concussionis crimen.</i>	164 a
<i>Bonorum possessiones num sint necessarie.</i>	97 b	<i>Censio bonorum quomodo fiat.</i>	ibid.	<i>Condemnatus actione personali habet tempus quatuor mensium ad solutionem.</i>	136 a
<i>Bonorum possessio num sint per nouissimum sublata.</i>	ibid.	<i>Chirographi exceptio.</i>	120 b	<i>Condictio certi competit ad repetendum mutuum.</i>	104 a
<i>Bonorum possessio unde liberi quando competat.</i>	91 b	<i>Cibaria domestica que sint.</i>	87 b	<i>Condictio certi generalis competit ad rem certam, actio uerò ex stipulatu ad incertam.</i>	111 a
<i>Breuius qua substitutio quando &amp; quomodo fiat.</i>	63 b	<i>Ciuile mutuum quid.</i>	103 b	<i>Condictio ex l. contra ministros publicos, qui plus quam eis debetur sportularum nomine exigunt.</i>	164 a
<b>C.</b>		<i>Ciuilis obligatio.</i>	103 b	<i>Condictio furtiua cui &amp; contra quæ detur.</i>	129 a
<i>Calumniator quis, &amp; ad quid teneatur.</i>	163 b	<i>Clandestina desponsatio utrum præferatur publice.</i>	17 b	<i>Condictio indebiti ad quid detur.</i>	104 b
<i>Canon si nõ soluatur triennio, amittitur emphytheosis.</i>	120 a	<i>Clandestina matrimonia.</i>	ibi.	<i>Condictio Triticiaria ad quid competit.</i>	ibi. a
<i>Capite diminuti habemur pro mortuis.</i>	32 b	<i>Clausula Codicillaris ponitur in testamento minus solenni propter maiorem certitudinem.</i>	36 a	<i>Conditio constituitur per si.</i>	75 a
<i>Capite diminuti quomodo restituntur.</i>	ibid.	<i>Codicillaris clausula effectus.</i>	81 a	<i>Conditio de præseni &amp; de præterito, proprie conditio non est.</i>	111 b
<i>Capitis diminutio minima qualis, &amp; eius effectus.</i>	ibid.	<i>Codicilli ab intestato facti, agnatione posthumi nõ corrupimur.</i>	ibi. b	<i>Conditio in matrimonio: Si meliorem te non potero inuenire, quid operetur.</i>	18 b
<i>Capitis diminutio quid sit.</i>	ibid.	<i>Codicilli quomodo fiant sine testamento.</i>	80 b	<i>Conditio inhonestæ &amp; impossibilis habetur pro non adiecta.</i>	ibi.
<i>Capituitas cur inducta.</i>	3 b	<i>Codicillus quid.</i>	80 b		
<i>Capituitas suspendit, non tollit potestatem patriam.</i>		<i>Cogitationis poenam nemo patitur.</i>	130 a		



I N D E X.

Conditiones in matrimonijs quomodo obseruentur. 18 a  
 Conditionis euenus in testamentis retrò trahitur. 58 b  
 Conductor potest retinere pensionē si re cōducta uti non licuit. 119 b  
 Cōductor quādo possit expelli. ibi. a  
 Conductor rem locatam alteri locare potest, domino irrequisito. ibi. b  
 Confessionis effectus. 189 b  
 Confestim, in iure quomodo accipitur. 111 b  
 Confusio quomodo fiat. 128 a  
 Cōiuges si alter alterius uitā insidietur, causa est diuortio. 24 a  
 Consanguinitas cap. diminutione tolli non potest, sed effectus ipsius cognationis tollitur. 32 a  
 Consanguinitas ad quartum gradū impedit matrimonia. 16 b  
 Consanguinitas quid sit. 15 a  
 Consanguinitatis definitio. 93 b  
 Consensus cohabitationis non facit matrimonium. 21 b  
 Consensus expressus in matrimonijs. 22 a  
 Consensus in matrimonijs est triplex. 21 a  
 Consensus parentum in matrimonijs utrum requiratur. 20 a  
 Cōsensus tacitus in matrimonijs. 21 b  
 Cōsensus uidetur quoties quis actū contradicendo impedire potest, & tacet. 154 a  
 Consilium quando obliget aliquem. 123 a & b  
 Constituens alium soluturum nihil operatur. 179 a  
 in Constituto requiritur quod prius debitum sit. ibi.  
 Constitutus quis. 113 b  
 Consuetudinis effectus. 6 b  
 Cōsuetudo optima ll. interpret. ibi.  
 Consuetudo quid sit. 6 a  
 Consuetudo quomodo probetur. 6 b  
 Consuetudo quomodo tollatur. 6 b & 7 a  
 Consuetudo ut inducatur que requiratur. 6 b  
 Conuincens non semper mutat naturam propter conuentā. 44 a  
 Continuatio titulorum. 136 a  
 Contracta fiducia quid sit. 92 b  
 Cōtracta fiducia manumittere quā

fit. 99 a  
 Contractus in nominati. 102 b  
 Cōtractus nominati ab initio sunt uolumatis, ex post facto necessitatis. 122 b & 123 b  
 Contractus nominati quadruplices. 102 b  
 Contractus qui re cōtrahantur sunt quinque. 103 a  
 Conuentio à stipulatione in quo differat. 108 a  
 Conuentus ex donatione condemnatur in quantum facere potest. 174 a & b  
 Corporales res quæ sint. 43 b  
 Corruptens alienum seruum in duplum tenetur. 161 b  
 Corruptens filium seu filiam alienam qua poena teneatur. ibi.  
 Corruptens tabulas publicas &c. qua poena teneatur, uide remissiuē. 160 a  
 Corrupto an detur contra corruptentem aliqua actio. 161 b  
 Creditores & debitorum pupilli à iudice tutores dari non possunt, licet in testamento possint. 30 b  
 Creditor si pignore utatur, furtum committit. 45 a  
 Creditores expressam hypothecam habentes, præferuntur Chirographarijs etiam priorib. 149 b  
 Creditor utēs pignore, & depositarius deposito, furtum committunt. 129 a  
 Crimen læsæ maiestatis siue perduellionis. 204 b  
 Culpa quandoq; comprehendit negligentiam siue imperitiā. 131 a  
 Cura quid sit. 34 a  
 Curator ad litem. 33 b  
 Curator à Tutore in quibus differat. 34 a  
 Curatores datiui qui. ibi.  
 Curatoris officium. ibi. b  
 D.  
 Damnum quid. 131 a  
 Datio tutoris est mixti imperij. 30 a  
 Datiua tutela qualis & cur sic dicta. ibi.  
 Datiui tutores dantur trifariā. ibi.  
 Debitor potest legare rem debitam legatario. 73 b  
 Debitor pupillo soluens an libere-

tur. 91 a  
 Deceptus ultra dimidium iusti precij, agit ad supplementum, uel ad rescissionem contractus. 118 a  
 ad Decimas consequendas competit act. confess. 142 b  
 Declinatoria fori. 186 a  
 Decretales epistolæ quatenus prosum iureconsultis. 7 b  
 Decreta Pontificum quomodo fiunt. 7 a  
 Decretorū iura pro Autenticis non habentur. 136 a  
 Decretum Gratiani. 7 a  
 Defuncto non potest moueri contra uersa status. 156 b  
 Defunctus non est afficiendus iniuria, & si afficiatur, tenetur act. iniur. heredibus afficiens. 10 a  
 Deiciens aliquid ex domo ut alicui noceat, ex quasi delicto obligatur. 155 a  
 Delicta sunt duplicia. 128 b  
 Demonstratio quomodo fiat. 75 a  
 Denūciatio fit tantum in foro ecclesiastico. 207 a  
 Deportatio & relegatio differunt. 27 a  
 Deportatio quæ dicatur. 26 b  
 Deportatus an possit hæres institui. 61 b  
 Deposita rei periculum ad quem spectet. 107 a  
 Depositum est triplex. 106 b  
 Depositum incendij, naufragij, ruinæ causa, si inscietur depositarius, tenetur ad duplum. ibi.  
 Depositum quid sit. ibi. a  
 Descendentium hæredum triplex est differentia. 82 b  
 Desertio utrum sit causa diuortij. 24 a  
 Delectio quid. 47 b  
 Deterior multis modis fieri dicitur. 162 a  
 Dies utiles qui dicantur. 99 b  
 Differentiæ inter actiones bonæ fidei & act. stricti iuris. 175 b  
 Dipodium & tripondium in hereditate quando obseruentur. 62 b  
 Diuortij causæ quales sint. 13 a & b  
 Diuortium quid. 22 b  
 Dammati in metallum à damnatis in opus metalli differunt. 27 a  
 Dolus



I N D E X.

Dolus dans causam contractui est ipso iure nullus.	190 b 175 b	Edicta ad iulium Curulium.	4 b	Eiictio si remittatur, uidetur quomodo remissum interesse.	116 b
Dolus quid.	104 a	Edicta Imperatorum in Comitibus an habeant vim legis.	ibi. a	Ex aliena materia conficiens species, quomodo teneatur dominus.	40 b
Domesticum testimonium in omnibus causis reprobatur.	58 a	Edictalis bon. poss. quæ, & quæ decretalis.	88 a	Exceptio acceptulationis.	189 b
Dominium aliud est directum, aliud utile, aliud plenum.	37 b	Edicta prætorum quæ sint.	4 b	Exceptio de errore.	191 a
Dominium in reuendicatione probari debet.	139 b	Edictum est nomen generis.	193 b	Exceptio doli uel metus.	126 a
Dominium quibus modis extinguatur.	38 a	Emancipati adoptiui habentur pro extraneis.	61 a	Exceptio generalis inepta est, sicut libellus incertus.	185 b
Dominium quid sit.	37 a 52 b	Emancipatio in successione hodie non attenditur.	84 b & 91 b	Exceptio iurisurandi.	189 a
Dominium quomodo probetur.	139 a	Emancipationis effectus.	27 b	Exceptio metus.	190 b
Domino potest relinqui legatum in testamento, in quo seruus eius heres est institutus.	75 b	Emancipatio non est pœna, sed beneficium.	ibid.	Exceptio non numerata pecuniæ.	101 a
Dominus aliquando de rebus suis dissonere prohibetur.	37 b	Emancipatio olim fiebat certa solennitate per imaginariam uenditionem.	99 a	Exceptio S. C. Macedoniani, & S. C. Velleiani.	104 b
Dominus habet electionem dare seruuum pro noxa, siue æstimationem damni dati.	163 b	Emancipati præteriti ad successionem admittuntur etiam contra testamentum.	61 a	Exceptio quid sit.	183 b
Dominus rei surreptiæ habet quatuor actiones.	41 b	Emancipatio quid.	27 b	Exceptio iurum debeat fieri in scriptis.	ibid.
Donatio causa mortis habetur pro ultima uoluntate.	174 b	Emancipatos de iure Ciuili non erat necesse instituere.	61 a	Exceptio rei iudicatæ.	126 a
Donatio causa mortis quæ & quomodo fiat, & quomodo extinguatur.	51 a & b	Emancipatus filius non excluditur hodie à successione paterna.	28 a	Exceptio rei iudicatæ quando competat.	187 b
Donatio est iuris gentium.	50 b	Emancipatus quomodo hodie succedat.	69 a	Exceptio præscriptionis.	188 a
Donatio inter uiuos.	51 b	Emens à fisco statim securus est, si fiscus tamen tenet illis qui ius in re habent respondere.	50 b	Exceptio transactionis.	ibid.
Donatio inter uiuos reuocatur propter ingratitudinem donatarij, ibi.	ibi. a	Emphyteosis quomodo differat à Feudo.	120 a	Exceptiones anormales.	192 a
Donationes ob causam quomodo reuocentur.	ibi. a	Emphyteusis quid sit.	119 b	Exceptiones declinatoriæ fori antelitus contestati debent opponi.	187 a
Donatio propriè non est contractus.	ibi.	Emphyteuta emphyteosim alienare non potest, nisi dominum requirat.	ibi.	Exceptiones dilatoriæ, peremptoriæ, & anormales.	186 a
Donatio propter nuptias de iure Saxonum quid sit, & quomodo constituatur.	87 a	Emphyteuticæ rei periculum ad quæ spectet.	120 b	Exceptiones facti quæ sint.	187 b
Donatio propter nuptias quæ.	51 a	Emptio & permutatio in quibus casibus differant & cõueniant.	177 a	Exceptio non soluti sumptu quæ dicantur.	190 a
Donatio quid.	ibid.	Emptio & uenditio quomodo contrahatur.	115 b & 16 a	Exceptiones peremptoriæ iuris, ibi. b	ibi. b
Dos repetitur post annum, & non antè.	173 b	Emptiones & uenditiones quomodo ceperint originem.	115 a	Exceptiones peremptoriæ quando post sententiam opponi possint.	191 a
Dotem promittentis bona omnia sunt oppignorata ipsi marito.	107 b	Empio quibus modis rescindatur.	118 a	Exceptionis ope quomodo tollatur actio.	116 a
Duo rei promittendi qualiter hodie constituuntur, & in quantum teneantur.	112 a	Emptor quas habeat actiones contra uenditorem.	115 b	Exceptiones quæ dantur reo principali, an competant quoque fideiusforibus.	193 a
E.		Episcopus electus desinit esse in potestate patris.	27 a	Exceptionum quadruplex differentia.	104 b
Ecclesia potest legari coram duobus tantum testibus.	164 b	Epistola diui Adriani quid profiti deiussoribus.	113 b	Excusatio ab act. iniuriarum.	134 a
Ecclesia tenetur alere patronum egentem.	174 a	Euangelium quomodo cum iure naturali conueniat.	16	Excus. Tutorum & Curatorum.	35 b
				Excusatio tutorum intra quantum tempus opponi possit.	36 a
				Exemplaris substitutio quando & quomodo fiat, & quando cessat.	63 b
				Exercitor nauis.	168 b
				Exhereditatio liberorum.	59 a
				Exhereditationis causæ, ob quas liberi possunt excludi à successione, sunt XIII.	59 a
				Exhi-	



I N D E X.

Exhibitio quomodo fieri debeat.	145 b & 146 a	Fidei iubere qui possunt, & in quibus obligationibus.	113 b	mo gradu succedit.	86 b
Eximens uiolenter cum qui est in ius uocatus, quia poena teneatur.	160 b	Fidei iussor quis.	ibid.	Flumina sunt duplicia.	38 b
Exitus consideratur in leuioribus delictis, non uoluntatis.	123 b	Fidei iussor antequam excussus sit debitor principalis, conueniri non potest.	ibid.	Flumina sunt publica, ripa uero non, & quae sit eius rei ratio.	ibi.
Expeditoriae res quae sint de iure Sax. & cui post mortem debentur.	88 a	Fidei iussores habent duo beneficia.	ibid.	Foeminae in feudis nullo modo succedunt.	90 a
Expromissor quis.	113 b	Fidei iussores idonei qui dicantur.	184 a	Frater tenetur alere fratrem egenum.	174 a
Extra iudicium quos liceat persequi.	137 a	Fiduciaria tutela qualis, & cur sic dicta.	30 a	Frater & soror de iure ciuili sunt in secundo gradu, de iure Canonico in primo, & ratio eius differencie.	94 a
Extranei heredes qui dicantur.	68 b	Filiatio quibus modis probetur.	158 a	Fratres consanguinei in bonis patris, uterini uero in maternis praeseruntur.	85 b
Extraordinaria criminosa.	206 a	Filij debent institui, aut nominati exheredari.	60 a	Fratres consanguinei seu uterini tantum, excluduntur ab ascendentibus defuncti hereditibus.	84 a
F.		Filij famuli, si ex causa castrensi uel quasi stipulentur, sibi ipsi acquirunt, non patri.	112 b	Fratres utriusque coniuncti praeseruntur consanguineis & uterinis fratribus.	85 b
Facultas per alienum fundum eundi nisi prohibeatur, cuiuslibet est concessa.	143 b	Filij familias in publicis officijs locopatrumfamil. habentur.	28 b	Fratribus quando detur querela contra testamentum fratris.	67 a
Falcidia quibus casibus non admittatur.	77 b	Filij furto patri non nocet.	130 a	Frater quibus ex causis repellatur a querela in offi. testam.	ibid.
Falsum quid, & eius poena.	205 b	Filij uocantur ad hereditatem patris in capita, nepotes & ulteriores in stirpem.	82 b	Fraus in alienatione quomodo probetur.	150 a
Familiae emptor heredis loco eratur.	57 b	Filij in potestate patrem in ius uocare non possunt.	160 b	Fructus in act. bonae fidei ueniunt ex mora.	175 b
Libra hereditas dicitur.	ibi.	Filio arrogato in bonis patris ad optinendum debetur quarta.	152 b	Fructus ex aliena re percipiens quomodo, et ad quid teneatur.	42 a
Famosa actione conuenius si timet ne conuincatur, soluat petitum ante condemnationem, & euitat infamiam.	185 b	Filius exheredans ut Deum instituat, impietate facit.	67 a	Furioso & prodigo quando dentur Curatores, & quando ista cura cesset.	34 b
Famosae actiones non habent locum inter patrem & filium.	130 a	Filius interdictio de liberis exhibendis petitur.	157 b	Furtum quid sit.	128 b
Fera bestia si damnum det, quid iuris.	166 a	Filius potest acceptare feuda, & abstinere a reliqua hereditate paterna.	178 a	Furtum a rapina in quo differat.	131 a
Feudum nouum quod dicatur.	90 b	Filius aliquando apud matrem potius quam apud patrem educari debet.	156 b	Fur famosus magis punitur.	130 b
Feudum nouum non peruenit ad colaterales, sed ad dominum reuertitur, mortuo uasallo.	ibi. a	Filius a patre non potest dari pro noxa.	167 a	Furtum rei communis.	128 b
Feudalia & Emphyteutica non ueniunt in pet. hered.	178 a	Filius fam. mutuans ex peculio profectitio, & casu mutuatarius patri obligatur ciuilitur.	101 b	Furtiua res an & quomodo praescribatur.	50 a
Fideicommissaria libertas quae.	31 a	Filius fam. quecquid acquirit ex re patris, acquirit patri plenum dominium.	53 b	Furtiua res uisucapi non potest.	130 a
Fideicommissaria substitutio etiam in Codicillis fieri potest.	64 a	Filij fam. testari non possunt nisi de castrensi peculio.	58 b	Furtum committit qui re commodata aliter utitur quam praescriptum est.	105 b
Fideicommissarius quomodo probet fideicommissum relictum.	79 b	Filius praeteritus si non petat declarari testamentum nullum, testamentum ualebit.	60 a	ob Furtum competunt multae actiones.	181 b
Fideicommissa singularia adaequata sunt legatis.	78 a	Filius tenetur alere patrem.	174 a	Furtum hereditati fieri non dicitur, sed si quid inde fuerit ablatum expilata hereditas dicitur.	112 b
Fideicommissa tacite quomodo fiunt.	ibi.	Fiscus quid.	35 b	Furtum laqueo punitur hodie.	161 a
Fideicommissi restitutio quomodo fiat inter praesentes & absentes.	ibi.	Fiscus uacante hereditate, in decimo gradu succedit.	86 b	Furtum in aliena domo an liceat inquirere.	129 b
Fideicommissum quid sit.	77 b			ex Furto oriuntur duae actiones, eod. dictio	
Fideicommissum quomodo relinquatur.	64 b				



I N D E X.

Actio furtiva & actio furti. 129 a	Homo liber estimari nō potest. 135 b	Iniuria quid. 132 b
Furtum manifestum, & furtum non manifestum nihil differunt hodie. 162 b	Honestas publica quandoq; matrimonium impedit. 17 a	Iniurie nomine potest agi civiliter et criminaliter, altera tamen actione electa altera perimitur, nisi damnum simul cum iniuria datum esset. 134 a
G.	Hypotheca à pignore in quo differat. 107 a	Iniurie probatio ad quem spectet. 133 a
Generis nomine pro specie nonnumquam utuntur iurecos. 26 a	Hypothecaria actio cur detur pro legato. 72 b	Iniuriarum actio cui detur, & contra quem. ibid. b
Gestu iniuria si fiat. 133 a	Hypothecaria actio & quasi serviana idem est. 135 a	Iniuriarum actio heredibus & contra heredes non datur, nisi lis fuerit contestata. ibi.
Gradus quid. 15 a	I.	Iniuriarum actio septem modis tollitur. 134 b
Grammatici quatenus excusentur à tutelis. 31 b	Ignorans quomodo quis obligetur. 124 a	Iniuriarum actio tribus casibus est perpetua. ibi.
H.	Ignorantia iuris non excusat, secus in ignorantia facti. 79 a	Iniuriarum actione condemnatus infamatur. 133 b
Habitatio quid sit. 46 a	Impense an de dote detrahantur. 173 b	Inofficiosum testamentum quid sit. 66 a
Heredes inter se quasi contrahere dicuntur. 171 a	Imperitia culpe annumeratur. 132 a	In quadruplum actiones que dantur. 158 b
Heredes qui possint institui. 61 b	Imperium translatum est à Græcis ad Germanos. 4 a	In quantum facere potest, quomodo accipiendum. 173 b
Heredis fides in prescriptione non attenditur, sed tantum defuncti. 50 b	Impotentia coeundi duplex. 23 b	Inquisitio quid. 206 b
Heredis instituti conditio & qualitas duobus temporibus consideratur. 69 a	Impotentia quando præbeat causam diortio. ibi.	In rem uersum quid dicatur. 169 b
Heredis institutio quid sit. 61 b	Incendiariorum poena. 206 a	Institutor à procuratore quomodo differat. ibi. a
Heredis possessio continuata cum possessione defuncti implet possessionem. 39 b	Incestus nuptiarum quæ. 19 a	Institutores qui dicantur. 168 b
Hereditas à legato in quibus differat. 70 a	Incestus nuptiarum qui contrahant. ibidem a	Institutio heredis in Codicillis non potest fieri directe. 80 b
Hereditas de iure SAXONUM quomodo deferatur. 85 b	Incestuosi parentes liberis nō succedunt. 85 b	Institutio in Codicillis directa trahitur ad fideicommissum. ibid.
Hereditas diuiditur in duodecim uncias. 62 a	Incestus. 205 a	Institutiones primum sunt audientes. 14
Hereditatis aditio nuda uoluntate, aut ipso facto potest fieri. 69 b	Incorporales res in iure consistunt. 43 b	Institutus in certis rebus duntaxat, heres est omnium bonorum. 67 b
Hereditum differentia triplex. 68 b & 82 a	Indebitum quid sit. 104 b	Insula quid sit. 40 a
Heres habet hodie inuentarij beneficium, uel ius deliberandi in acquirenda hereditate. 69 b	Infames & damnati per sententiam, possunt per imperatorem restitui. 27 a	Insule nate mensuratio fit respectu possidemium prædiorum circumfluentium. ibid. b
Heres in testamento non potest esse testis. 58 a	Infamia ut uitetur in actio iniuriarum, duo sunt remedia. & 134 b	Interdicta ab actionibus an differant. 193 a
Heres nominatus in testamento nuncupatio, nō tamen in scripto redacto, magistratum adeat, & faciat testes nominatim citari &c. 56 a & b	Infamis utrum possit esse procurator. 192 b	Interdicta directa & utilia. 194 b
Heres qui accipit quartam Trebellianam & in quantum teneatur creditoribus hereditarijs. 79 a & b	Infans in iure quis dicatur. 113 a	Interdicta retinenda. 200 b
Hiero. Schiurpff. D. 59 b	Ingenui qui. 9 a	Interdicta sunt duplicia. 193 b
Homicidium. 203 a	Iniuria aliquem efficiens si dicat ueritatem, utrum ab iniur. act. excusetur. 134 a	Interdictum adipiscenda. 199 a
Homines sub Rom. Imperio omnes censentur Christiani. 10 a	Iniuria fit quatuor modis. 133 a	Interdictum de liberis exhibendis. 196 b
Homo in fructu non est. 74 a	Iniuria que re fit, actio inde competens Civilis est, non prætoriam, dicit enim 30. 133 a	Interdictum de libero homine exhibendo. 197 b
		Interdictum de mortuo inferendo. 194 a
		194 a



I N D E X.

<i>Interdictum de superficie.</i>	202 a	<i>gssimo tempore non prescribitur.</i>	172 b	<i>Lapilli &amp; gemme in loco ubi nascuntur inueniuntur cedunt occupanti.</i>	404
<i>Interdictum de tabulis exhibendis.</i>	197 a	<i>Iurisdictioni auctoritas.</i>	189 a & b	<i>Secus si in alio loco.</i>	404
<i>Exhibere quid.</i>	ibid. b	<i>Iuris nomen est equiuocum.</i>	14	<i>Lata culpa.</i>	104 a
<i>Interdictum fraudatorium.</i>	153 a	<i>Iuris officium quid.</i>	ibi.	<i>Legare qui possint, &amp; quibus legari.</i>	72 a
<i>Interdictum ne uis fiat ei qui in possessione missus est. Cui, et contra quem competat.</i>	196 b	<i>Iuris periti non excusantur a tutela.</i>	35 b	<i>Legata &amp; fideicommissa hodie per omnia sunt ex aequata.</i>	ibi. b
<i>Interdictum recuperanda unde uis.</i>	203 a	<i>Iuris sunt uariae significationes.</i>	1 a	<i>Legata etiam ab intestato relinqui possunt.</i>	ibi. a
<i>Interdictum uti possidetis.</i>	200 b	<i>Ius accrescendi quando locum habet.</i>	52 b	<i>Legata rei fructus an a tempore mortis testatoris ad legatarium pertineant, an uero ad heredem.</i>	70 a
<i>Interdictum utrobi competit pro rebus mobilibus.</i>	201 b	<i>Ius Authenticorum.</i>	4 a	<i>Legata ex imperfecto testamento num debeantur.</i>	76 a
<i>Instabilis quis sit.</i>	58 a	<i>Ius Canonicum.</i>	7 a	<i>Legata in testamento inofficioso relicta praestari debent.</i>	67 b
<i>Instatus nonnunquam decedere dicitur, quo ad tutelam, etiam is qui testamentum fecit.</i>	32 a	<i>Ius Canonicum quatenus sit sequendum.</i>	14 b	<i>Legata quemadmodum adimantur.</i>	75 b
<i>Instatus quis dicatur decedere.</i>	82 a	<i>Ius Canonicum quo ad nuptias mutauit omnia reliqua iura.</i>	14 a	<i>Legata re quae est Legatarij.</i>	71 a
<i>Ipo iure quomodo tolli dicatur exceptio.</i>	126 b	<i>Ius Ciuile a praetorio in quibus differat.</i>	4 b	<i>Legati alienatione non presumitur testatorem adimere uoluisse legatum.</i>	75 b
<i>Iter, actus, uia in quibus differant.</i>	46 a & b	<i>Ius Ciuile commune a solo Imperatore potest condi.</i>	3 b	<i>Legati dies quando dicatur cedere.</i>	74 a
<i>Iudex male iudicans facit litem suam.</i>	135 b	<i>Ius Ciuile quomodo &amp; a quibus fuerit conditum.</i>	4 a	<i>Legati generalis electio est legatarij.</i>	ibid. b
<i>Iudex recusari debet ante omnes alias exceptiones oppositas.</i>	186 b	<i>Ius esse artem.</i>	1 a	<i>Legati translatio quid sit, &amp; quomodo fiat.</i>	76 b
<i>Iudicatum solui cautio quid conueniat.</i>	109 b	<i>Ius gentium.</i>	2 b	<i>pro Legato consequendo competunt tres actiones.</i>	72 a
<i>Iuramentum delatum in continentia fieri debet, alioqui esset nullum.</i>	180 a	<i>Ius gentium nonnunquam sumitur pro iure naturali, &amp; e conuerso.</i>	33 b	<i>Legatum a donatione causa mortis in quibus differat.</i>	70 a
<i>Iuramentum habet effectum naturalis obligat.</i>	179 b	<i>Ius iurandum quid sit.</i>	80 a	<i>Legatum ante aditam hereditatem peti non potest.</i>	74 b
<i>Iuramentum habetur pro ueritate.</i>	180 a	<i>Ius iurandum est triplex.</i>	ibid.	<i>Legatum dotis an ualeat.</i>	70 a
<i>Iuramentum semel deferens an possit poenitere, si in conuenienti non acceptetur.</i>	ibi.	<i>Ius naturale.</i>	1 b & 2 a	<i>Legatum Ecclesiae negans, uel solutionem eius temere differens haeres, tenetur in duplum.</i>	164 b
<i>ex Iuramento non tantum actori, sed etiam reo datur actio.</i>	ibi. b	<i>Ius naturale esse immutabile quomodo intelligendum.</i>	8 b	<i>Legatum generis infimi non ualeat.</i>	75 a
<i>ex Iuramento quod reus praestitit an competat actio in factum.</i>	179 b	<i>Ius noui Testamenti in casibus in eo decisum sine aliqua limitatione obseruandum est.</i>	14 b	<i>Legatum non deletur antequam testamentum morte testatoris sit confirmatum.</i>	69 b
<i>Iura personalia.</i>	2 b	<i>Ius patronatus quid sit.</i>	95 b	<i>Legatum pignoris an ualeat.</i>	70 b
<i>Iura Realia.</i>	ibid.	<i>Ius positium.</i>	3 b	<i>Legatum plenius est quam actio de dote.</i>	ibi. a
<i>Iureconsultis genus est quod dialecticis species.</i>	75 a	<i>Ius positium cur subinde mutetur.</i>	8 b	<i>Legatum quibus modis extinguitur.</i>	72 b
<i>Iurisdictio insulae natæ in flumine pertinet ad dominum illius territorij.</i>	40 a	<i>Ius positium quando possit per stantia tolli.</i>	5 b	<i>Legatum quid sit.</i>	69 b
<i>Iurisditionem simplicem tantum habens tutorem dare non potest.</i>	30 a	<i>Ius postliminij.</i>	27 b	<i>Legatum rei alienae quando ualeat.</i>	71 a
<i>Iurisditionum limites etiam longissimo tempore non prescribitur.</i>	172 b	<i>Ius potest tradi methodice.</i>	1 a	<i>Legatum rei communis.</i>	ibi.
		<i>Ius praetorium quod dicatur.</i>	4 b		
		<i>Ius priuatum.</i>	1 b		
		<i>Ius publicum.</i>	ibid.		
		<i>Ius quid sit.</i>	ibi. a		
		<i>Ius Sax. a iure Ciuili in Feudis an differat.</i>	90 b		
		<i>Ius Sax. cum iure Ciuili plane concordat in successione descendenti.</i>	89 b		
		<i>Iustus sit multis modis.</i>	168 a		
		<i>Iustitia quid.</i>	8 a		

Legatum



I N D E X.

Legatum rei propriae quando ualeat.	70 a	cedunt parentibus indistinctè.	82 b	Maleficia in medio duorum confin- um commissa, discutuntur coram eo iudice, apud quem lis primò est contestata.	172 b
Legatum rei quæ est hæredis.	ibid. b	Liberi tenentur etiam parentes in- stituerè hæredes, aut iustis de causis eos exheredare, quæ sunt octo.	59 b	Malefidei possessor tenetur de o- mnibus fructibus.	42 a
Legatum rei quæ non est in rerum natura, an ualeat.	71 a	Liberorum appellatione compre- henduntur etiam nepotes, secus, filiorum.	31 b	Mancipare.	27 b
Legatum statim debetur à die aditæ hæreditatis.	165 a	Liberorum quinque sunt species.	10 b	Mandatarius ad quam diligentiam teneatur.	123 a
Legitima liberis debita qualis et quanta sit hodie.	67 b	Libertas directæ quæ sit, et quæ fi- deicommissaria.	80 a	Mandatarius re integra potest præ- mitere, et à contractu discedere.	ibid. b
Legitima patronis debita.	95 b	Libertas quid.	9 a	Mandati fines diligenter debent ob- seruari.	ibi.
Legitima tutela est quadruplex.	29 a	Libertatis causa quomodo bona ad dicantur.	100 a	Mandator quis.	113 b
Legitima tutela quæ dicatur.	ibi.	Libertini qui.	9 a b	Mandatum contra leges non est obli- gatorium.	122 a
Legitimam tutelam quæ debeant præ- cedere.	ibid. b	Libertini Latini et dedittij.	ibi. b	Mandatum contrahitur sex modis.	ibi.
Legitimatio fit tribus modis.	11 a	Libertini Romani.	ibi.	Mandatum debet esse gratuitum.	ibi.
Legitimatio quibus modis fiat.	90 b	Libertus à libertino in quo diffe- rat.	10 a	Mandatum quid sit, et quibus mo- dis contrahatur.	ibidem
Legitimi Curatores qui.	34 a	Libertus alienans in fraudem patro- ni, quomodo reuocetur alienatio.	152 a	Mandatum quomodo finiatur.	123 a
Leuis culpa.	104 b	Libertas directæ quæ.	31 a	Mandatum tua tantum gratia, est consilium potius, quam manda- tum.	ibid.
Lex falcidia in donationibus etiam locum habet.	77 a	Libros apertos proieciens in mare, censetur eos habere pro dereli- cto.	43 b	Manumissio hominis liberi non no- cet, quò minus manumissus sit in- genuus.	9 b
Lex falcidia quando locum habeat.	76 b	Limites iurisdictionum.	172 b	Manumittere in testamento licet.	10 b
Lex Regia quæ.	3 b	Linea quid sit.	15 a	Manumittere qui possunt.	ibi. a
Libelli conclusio quandoque fieri po- test alternatiue.	177 b	Literarum obligatio.	114 a	Maritus est dominus dotis.	37 b
Libellus in actione ad exhibendum.	146 a	Literis quomodo fiat iniuria.	133 a	et 52 b	
Libellus in act. de constituta pecu- nia.	179 b	Litis contestatione perpetuantur actiones.	185 b	Maritus non potest dotem alienare nisi uxor consentiat.	33 a
Libellus in act. de peculio.	168 a	Locatio et conductio quid sit.	118 b	Marito competit actio propter in- iuriam illatam uxori.	133 b
Libellus in act. confess.	143 b	Locator potest propria autoritate res illatas includere, donec pen- sio soluat.	154 a	Mater habet tria tempora, quibus partui acquirit libertatem.	9 a
Libellus in actione ex iuramento.	180 b	Locatori fundi sunt omnes fructus ex eo percepti tacite oppignora- ti.	107 b	Mater naturalis excludit patrem ad- optiuum in successione filij.	84 b
Libellus in act. negat.	144 b	Locatori omnia inuecta et illata in rem locatam, tacite pro pensione sunt obligata.	153 b	Mater nubens infra tempus luctus, an succedat liberis.	ibi. a et b
Libellus in actione Pauliana.	151 b	Luat in corpore, qui non habet in ere.	160 a	Mater si filium prætereat in testa- mento, agitur ad legitimam, se- cus in patre, quia tunc totum te- stamentum rumpitur.	67 b
Libellus in actione præiudiciali.	157 a	Lucrativæ causa et onerosa, quæ dicatur.	73 a	Mater si nollet esse nutrix filiorum suorum, quæ requirantur.	33 a
Libellus in act. Publiciana.	141 b	Lucrativæ cause due circa eandem rem concurrere non possunt.	73 a	Mathematica an et quando est licè- ta.	205 a
Libellus in act. resciss.	148 b	M.		Matrimoniales cause per quinque	
Libellus in act. Seruiana.	154 b	Magia.	205 a		
Libellus incertus an ualeat.	182 b	Magistratus quomodo conuenian- tur ratione tutelæ.	35 a		
Libellus incertus quando admitta- tur.	142 b				
Libellus in rei uendicatione.	140 b				
Liberæ causa.	156 b				
Liberi aut hæredes debent institui, aut iustis de causis exheredari.	61 a				
Liberi naturales et legitimi suc-					



I N D E X.

lura deciduntur.	12 a	tra, sed si iudicis sententiam ex-	ceptat, punitur in quadruplum.	162 b	gulis liberis.	83 a	
Matrimonialia quomodo redintegren-	24 b	Mulieres de iure Sax. quomodo suc-	cedant.	89 a	Naturales tantum in potestate pa-	tris non sunt.	11 a
Matrimonialis causa nunquam ita		Mulieres possunt accusare tutorem	suspectum.	36 b	Naturalis obligatio quandoq; tolli-	tur Ciuili remanere.	191 b
possit retractari.	187 b	Mulieres sunt priuilegiate in doti-	bus.	173 a	Naturalis obligatio tantum ex nu-	do pacto oritur.	ibid.
Matrimonialia sacerdotum sunt lici-	14 a	Mulier habet tacitam hypothecam	in bonis mariti pro dote, & e-	contra maritum in rebus uxoris.	Naturalis pater succedit intestato	filio naturali in duabus uncis.	85 a
Matrimonij separatio propria au-	22 b			ibidem	Naturalis possessio que sit.	48 a	
toritate fieri non debet.		Mulier in testamento testis esse non	potest, sed in Codicillis potest.	59 a	Necessaria & probabilis absentia	que sit.	147 a
Matrimonio separato propter adul-		Mulier nubens infra tempus luctus,	efficitur infamis.	84 a	Necessarius heres quis dicatur.	62 b	
terium, utrum pars innocens pos-		Mulier pregnans post diuortium si	ex marito grauida negetur, quid	iuris.	Negociorum gestor ad quid tenea-	tur.	124 b
sit contrahere denuo.	24 b			157 a	Nemo potest decidere pro parte te-	stis, & pro parte intestatus.	62 a
Matrimonium cuius iuris sit.	8 a	Mulier quando tutrix esse possit.		28 b & 33 a	Nepos quando dicatur heres suus.		68 b
Matrimonium de iure Can. quate-		in Mutuo quinque consideramur.		104 b	Notarij falsi poena.	205 b	
nus contrahere liceat.	14 a	Mutus & Surdus an testamena fa-	cere possint.	58 b	Nouatio per stipulationem quomodo	fiat.	110 a
Matrimonium inter liberos duorum		Mutus potest contrahere matrimo-	nium.	21 b	Nouatio quomodo fiat.	ibid.	
fratrum esse potest de iure Ciui-	13 a	Mutuum quid sit, & quibus rebus	consistat.	103 a	ex nudo pacto nulla oritur actio, nisi	in constituto.	179 a
li.					Nudo pacto quando tollantur actio-	nes.	191 a
Matrimonium ne ualeat que requi-	20 a				Nudum pactum actionem non parit,	sed exceptionem.	101 a & b
rantur.					Nuptie illicitae que.	19 a	
Matrimonium purum.	19 a				Nuptie que dicantur.	17 a	
Matrimonium quando propter fide					Nuptiarum causa finalis.	22 a	
separari possit.	23 a				Nuptiarum solennia que sint.	ibi.	
Matrimonium utrum possit contra-							
hi per signa.	21 b						
Matr naturali debetur a filio legi-	85 a						
tima.							
Medici & Rhetores quatenus a tu-	35 b						
telis excusentur.							
Mensura falsa poena.	206 a						
Methodicè tradere quid sit.	1 a						
Metu probare sufficit etiam si cera							
ta persona non designetur que	162 b						
metum intulerit.							
Metus qui cadit in uirum constan-	ibid.						
tem quis sit.							
Militares uiri Saxonum quomodo	88 a						
succedant.							
Milites nostri temporis an gaudeant	58 a						
privilegio testandi iure militari.							
Ministri publici multa habent no-	164 a						
mina.							
Modus constituitur per ut.	75 a						
Molendina in publico flumine sine	38 b						
magistratus uenia non possunt fie-							
ri.							
Monetariorum poena.	205 b						
Mors Ciuilis.	26 b						
Mortis tempus in scaldia detrahen-	77 b						
da consideratur.							
Metu aliquid extorquens, & con-							
stitutum restituens, non tenetur ul-							



I N D E X.

Occidens alienum seruū dolo, tene- tur actione l. Corn. de Sicar. 131 b	Patria potestas quomodo soluitur. 26 b	Solennitate septem testium. 56 a
Occultatores latronum. 206 b	Patria potestas semel soluta non po- test amplius reintegrari, nisi per adoptionem. 28 a	Petitio hereditatis cur non detur contra possidentem titulo. 200 a
Occupatio continet quinque speci- es. 39 b	Patrie potestatis effectus multi- plex. 11 a	Petitio hereditatis datur tam ex te- stamento quam ab intestato. 178 a
Officio iudicis quæ petuntur, per ea non constituitur pars in mora. 137 a	Patriarcharum exempla circa ma- trimonialia non sunt trahenda in consequentiam. 12 a	Petitio hereditatis non datur con- tra possidentem titulo. ibi.
Officio iudicis quod petitur, non de- betur. ibi.	Patriciatus dignitas post Casarem summa. 27 a	Petitio hereditatis non datur ei qui res hereditarias semel apprehē- dit, & statim à possessione cadit. ibi.
Officium iudicis est duplex, Nobile & Mercenarium. 204 b	Patri pro emancipatione filiorū de- betur præmium. 28 a	Petitio hereditatis quibus & ad quid detur. 177 b
Officium iudicis nullam præsuppo- nit obligationem. 137 a	Patris, non autem matris consensus requiritur in matrimonijs filio- rum familiæ. 25 b	in Petitione hereditatis non est ne- cesse ut res omnes specificentur, sed sufficit generalis petitio. 178 a
Officium iudicis quid. 136 b	Patrem sine uenia in ius uocans pu- nitur poena 50. aureorum. 160 a	Philosophi sunt à tutelis liberi. 35 b
Operarum distinctio. 100 a	Patroni, eorum agnati qualem ha- beant bon. poss. in bonis libertorū. 99 a	Pignori dari quæ res possint. 107 b
P.	Patronorum tutela unde inducta. 29 b	Pignus est triplex. ibi. a
Pactū est regulatum secundum uo- luntatem contrahentium. 116 b	Patruelles & consobrini quoto gra- du inter se distent. 15 b	Pignus iudiciale & prætorium. ibi.
Parentum appellatione qui contine- antur. 160 b	Pauperies quid. 166 a	Pignus quid sit. ibi.
Parentum tutela unde inducta. 29 b	Peccatum contra naturam. 205 a	Piscare in publico flumine nemo po- test prohiberi. 38 b
Parricidium. 205 a	Peculatus. 206 a	Plagij poena. 205 b
Partus quo ad statum sequitur ma- trem. 9 a	Peculium filiorum fami. est quadru- plex, & de eius natura. 125 a	Plautans siue serens in alieno solo ad quid teneatur. 42 a
Pater contra filium non potest age- re actione furti. 130 a	Peculium inspicitur tempore semen- tiæ. 167 b	Polygamia de iure Can. est sublata. 14 a
Pater conuentus à filio condemna- tur in quantum facere potest. 173 b	Pecunia commodatur nonnunquam ad pompam. 105 a	Polygamia nostro iure non est per- missa. 12 b
Pater conuentus pro filio mortuo in solidum hodie obligatur. 167 a & b	Pecunia in contractu locationis in- teruenire debet sicut in emptio- ne. 154 a	Pœna furti est hodie poena laquei. 129 b
Pater & mater admittuntur pari- ter cum fratrib. utrinq; coniu- ctis ad successionem defuncti. 84 a	Pegasianum S. C. quale sit. 78 a	Pœna in stipulationibus faciēdi ad- ijci debet. 109 a
Pater de iure Saxo. lineam collate- ralem planè excludit in successio- ne. 89 b	Perduellionis crimen quid sit. 91 a	Pœna iudicis qui malè iudicauit. 135 a
Pater & dominus obligantur eate- nus pro filio & patre, quatenus est in peculio. 167 a & b	Periurium habet ultorem Deum. 180 a	Pœne magistratus. 3 a
Pater pro delicto filij conueniri po- test. ibid. b	Permutare est uerbum generale. 177 a	in Pœnis melior interpretatio fie- ri debet. 160 a
Pater quantum possit relinquere in testamento filio naturali tantum, si habeat legitimos liberos, seu parentes & uxorem. 83 a	Permutatio à contractu do ut des, quomodo differat. ibi. a & b	Pœnitentia in permutatione locum habet. 177 b
Patri acquiritur plenum dominium in bonis filij fami. 11 a	Permutatio est contractus innomi- natus. ibi. a	Populus à plebe quomodo differat. 8 a
Patria potestas quæ. 10 b	Personalis actio cur detur prolega- to. 72 b	Portus quid. 38 b
Patria potestas quibus modis sol- uitur. 11 a	Personarum elegans distinctio. 8 b	Possessio Ciuilis quæ. 47 b
	Persuadere. 162 a	Possessio Ciuilis solum in animo & intellectu consistit. 47 b
	Pestis seu morbus contagiosus, quo la- borat testator, excusat eum à	Possessio clandestina uel uiolenta ni- hil prodest. 201 a
		Possessio iuris & facti quæ sit. 48 b



I N D E X.

- Possessio naturalis corpore, Civilis autem animo retinetur.** 48 a
- Possessio naturalis non est sufficientis ad producendam usucapio.** 47 b
- Possessionem Civilem à naturali quæ personæ separant.** 47 b & 48 a
- Possessio quibus modis acquiratur.** ibi.
- Possessio quibus modis probetur.** 140 a
- Possessio quomodo probetur.** 143 b
- Possessio rei naturalis quibus modis amittatur.** 48 b
- Possessio unde dicta.** 47 a
- Possidens immobilia non tenetur ad satisfactionem.** 131 b
- Possidens potior est cõditio quam actoris.** 200 b
- Posthumus hodie exheredari non potest.** 60 b & 61 a
- Posthumus quis dicatur.** 60 a
- Præcepta iuris gentium.** 2 b
- Præcepta iuris naturalis primi.** ibi. a
- Præceptorem in ius sine uenia anti ceatuocare.** 160 b
- Prædospoliatus debet restitui.** 203 a
- Præpositus nauis.** 168 b
- Præscriptio annalis, biennalis, item quinquennalis.** 49 b
- Præscriptio quid sit.** ibi. a
- Præscriptio fit multis modis.** ibi.
- Præscriptio longissimi temporis.** ibi.
- Præscriptio interruptitur multis modis.** 50 a
- Præscriptiones cur sint inuenta.** 49 b
- Præscriptionis exceptio.** ibi. & 126 b
- Præscriptionis tempus in seruitutibus discontinuis duplicatur.** 44 b
- Præscriptio sine possessione nulla est.** 47 a
- Præsens alicuius negotio gerens uidetur ab eo habere mandatum.** 124 b
- Præsidis nomen est generale.** 33 b
- Præsumit ius omnes res esse liberatas.** 144 b
- Prætor est cuius officium Roma exercebatur.** 33 b
- Prætorie actiones quæ sine.** 181 a
- Prætorie actiones quando perpetuæ.** 168 a
- Præuaricationis crimen.** 206 a
- Precarium à commodato quomodo differat.** 105 b
- Princeps solus habet potestatem cõdendæ legis.** 8 a
- Privatio præsupponit habitum.** 22 b
- Processus iuris.** 3 a
- Procurator ad litem quid teneatur satisficere.** 184 a & b
- Procurator infamis quis.** 183 b
- Procurator in rem suam.** ibi.
- Procurator si sci immunis est ab onere tutelæ.** 35 b
- Procurator licet non possit pacisci de precio, potest tamen pro remuneratione laboris aliquid accipere.** 183 a & b
- Procurator quemadmodum constituitur.** ibi. b
- Procurator quis dicatur.** ibi. a
- Prodigus quis.** 34 b
- Provisio hominis tollit provisionem legis.** 154 b
- Publica delicta quæ dicantur.** 204 b
- Publica delicta persequimur tribus modis.** 206 b
- Publica matrimonia.** 17 b
- Publicas uias obsidentes ultimo supplicio afficiuntur.** 131 a
- Publiciana & rei uindicatio in quibusdam differunt, & in quibusdam conueniunt.** 141 a & b
- Pulsare & uerberare differunt.** 134 b
- Pupillaris substitutio nulla est nisi pater sibi testamentum faciat, & heredem instituat.** 65 a
- Pupillaris expressa matrem excludit.** 63 a
- Pupillaris substitutio quibus modis expiret.** ibi. b
- Pupillaris substitutio quæ sit.** ibi. a
- Pupillo dæmi mutuam pecuniam cõsulitur tribus actionibus.** 53 a
- Pupillus sine Tutoris autoritate hereditatem adire non potest.** 33 b
- Pupillus sine autoritate tutoris obligari non potest, potest tamen**
- in commodum suum alium sibi obligare.** ibi.
- Pupillus ubi educari debeat.** 30 b
- Q
- Quadrupes pro pauperie, sicut seruus pro noxa, dari potest.** 166 b
- Querela inoffi. testamenti datur cõtra scriptos heredes, etiam si Deus, hoc est ipsa Ecclesia, instituta esset.** 67 a
- Querela inoffi. durat quinquennio.** ibi.
- Querela inofficiosi testamenti quid sit.** 66 a
- Querela inofficiosi testam. quibus casibus cesset.** 67 b
- Collaterales post fratres non habent querelam inoffi.** 68 a
- Querela inoffic. quibus datur.** 66 a
- Querela si legitima sit relicta non datur, si uero minus legitima, adigitur ad supplementum.** 67 b
- Querela transmittitur ad suos heredes, non tamen ad extraneos, nisi fuerit præparata.** ibi.
- Quæ res uendi non possint.** 116 b
- Quarta sex modis in iure debetur.** 78 b
- Quarta Trebellianica quibus casibus non habeat locum.** ibi.
- Quasi contractus parium sex actiones.** 124 a
- Quasi contractus quid dicatur.** ibi.
- Quasi delictum.** 134 b
- Quasi dominium.** 37 b
- Quasi possessio.** 47 b
- Quasi traditio requiritur in seruitutibus.** 44 b
- Quasi usus fructus quid, et in quibus rebus consistat.** 45 a
- Quasi usus fructus quomodo constituitur.** ibi.
- Quatuor tantum contractus à iure Ciuili sunt introducti, reliqui omnes sunt iuris gentium.** 123 a
- Qui prior est gradu potior est iure.** 86 a
- Quorum bonorum interdictum nihil aliud est quam petitio hereditatis.** 199 a
- Quorum legatorum interdictum.** 200 a



I N D E X.

Quot sum in arbore persona, dem- pta una, tot sum gradus. 49 b	Reuerentia parenibus debita est per ius naturale inducta, & ideo rusticitas ab ea non excusat. 160 b	Serui liberantur multis modis. 26 b
R. 130 b	Reuocatio quam diu duret. 151 b	Serui magnam habent cognatio- nem cum ascripticijs, & censi- tis. 157 a
Rapina quid sit. 130 b	Reus conuictus in Act. Confess. te- netur prestare cautionem quod nec ipse, nec heredes eius impe- dituri sint actorem, quo minus uti possit seruitute. 143 b	Serui poenae. 27 a
Raptor an raptam possit habere coniugem. 19 b	Reus desinens possidere rem petita censetur esse in dolo. 140 a	Serui sibi muicem non succedunt. 95 b
Raptor cur mitius punitur quam fur. 131 a	Reus per confessionem possessionis offert se luti. ibid.	Seruitus apud Christianos desijt esse in usu. ibid. m.
Raptus crimen. 204 b	Ripa quid. 38 b	Seruitus inter Christianos hodie sublata est. 9 b
Reales actiones quae. 137 b.	Rogamina imperatorum mandata sunt. 163 a	Seruitus quibus modis tollatur. 9 a
Rei nomen generalissimum est. 37 a	Rusti i seditiosi in Comitijs Spiren- sibus per Imperatorem sumi resti- tuti. 27 a	Seruitus quid, & eius cauae. ibid.
Rei uendicatio. 139 a	S.	Seruitus quid sit. 44 a
Rei uendicatio cur detur pro le- gato. 72 a	Sacrilegium. 206 a	Seruitus Re alis. ibid.
Rei uendicatio datur contra titu- lo possidentem. 141 b	Salutanum interdictum. 156 a	Seruitus ut fiat per uenditionem, quatuor requiruntur. 9 a
Rei uendicatio quanto tempore du- ret. 184 b	Sanctum quid sit. 39 b	Seruitutem habens, non habet do- minium, sed ius in aliena re. 37 b
Religiosus locus hodie non efficitur illatione funeris. 39 a	Satisfactio quid. 183 b	Seruitutes de sui natura sum indi- uiduae. 171 a
Reo quandoque incumbit onus pro- bandi. 14 a b	Satisfactio Tutorum & Curatoru quomodo fiat. 34 b	Seruitutes personales quae. 45 a
Repetundarum crimen. 206 a	Satisfactio pro solutione est. 126 b	Seruitutes quibus modis constituantur. 44 b
Replicationes in qua unque parte iudicij opponi possunt. 192 b	Saxones quomodo sibi muicem suc- cedunt. 86 b	Seruitutes quomodo amittamur ibi. Seruitutes Rusticae quae sunt ibi. a
Replicationibus praescribitur sicut actionibus. ibid.	Scripturae cedit chartae. 41 b	Seruitutes urbanorum praediorum. 44 b
Replicatio quid. ibid.	S. C. Claudianum. 100 b	in Seruitute altius non tollendi u- traque actio, tam Nequa quam Confess. locum habet. 144 a
Rerum incorporalium nullum est ius. 37 a	S. C. Tertulianum. 93 a	Seruus alienus datus Tutor sine mentionem libertatis, non utilis est datio. 31 b
Res ad pium usum relicta, qui de- prehenditur illicitus, debet in a ium usum licitum conuerti. 39 a	Scythiae qui iure scripto carent, nullum delictum grauius puni- unt furto. 129 a	Seruus datus Tutor in Testamento eidem tacite uidetur data liber- tas. ibi. a
Rescissoria Actio contraria est pu- blicanae. 146 b	Seditionis poena. 206 a	Seruus in substitutione non cogitur inuitus adire hereditatem. 63 a
Rescissoria Act. datur contra ab- sentem reip. causa. ibid.	Sensus quandoque totam comple- ctitur hereditatem. 62 a	Seruus per rei uendicionem in peti- potest. 156 b
Res communes & publicae disse- runt. 38 b	Sententia contra absentem non con- tumacem, nulla est. 147 b	Seruus proprius Testamento dari Tutor potest. 28 b
Res deteriorata restituta, non liber- rat debitorem. 175 b	Sententia in causa matrimoniali nunquam ita transit in rem iudi- catam, quin possit retractari comperta ueritate. 24 b	Seruus quicquid acquirit, acquirit domino etiam inuito. 53 b
Res integra quando dicatur. 123 a b	Sententia incerta an ualeat. 182 b	Seruus quicquid acquirit, domino acquirit. 9 a
Res naturaliter tantum debita, si soluatur, repeti non potest. 101 b	Sententiam inter iniustam & ini- quam differentia. 134 b	Seruus quomodo Tutor Testamento dari possit. 28 b
Res nullius quae dicantur. 39 b	Sepulchri uiolati poena. 205 b	Sobrini sunt duplices. 95 b
Res sacrae quando alienari possunt. ibidem a	Sequester in se recipiens rem ali- quam, non potest nisi iusta ex causa deponere officium suum. 106 b	Societas quid sit. 121 a
Res sunt triplices. 37 a	Serui a seruiendo dicti. 9 a	Societas sinitur multis modis. ibid. b
Restitutio in integrum datur ad an- num aetatis xxix. 69 b		Societas omnium bonorum quomo- do inueniatur. 121 a
Restitutorium interdictum. 195 b		



I N D E X.

<i>Societas quomodo tacite contrahatur.</i>	121 a	<i>Statuta contra ius diuinum an ualeant.</i>	6 a	<i>charta cedit, &amp; ratio diuersitatis.</i>	42 a
<i>in Societate si nihil conuentum est, seruatur equalitas damni &amp; lucri.</i>	ibi. b	<i>Statuta contra ius gentium seu naturalia, an ualeant.</i>	5 b	<i>Temerè litigantium pœna est triplex: corporalis, pecuniæ, &amp; infamiae.</i>	204 a
<i>Socius socio condemnatur in quantum facere potest.</i>	174 a	<i>Statuta quam uim habeant.</i>	ibi. a	<i>Tempus non est modus tollendæ, seu inducendæ obligationis.</i>	111 b
<i>Solennitates intrinsecæ præsumuntur, etiam si non accesserint.</i>	114 a	<i>Statutum quid sit.</i>	ibi. a	<i>Tempus præscriptionis de iure Cœmuni, &amp; de iure Saxonum.</i>	494
<i>Soluens indebitum aliquando repetere non potest.</i>	125 b	<i>Statuta quomodo tollantur.</i>	6 a	<i>Tempus stipulationi adiectum, committitur arbitrio iudicis.</i>	111 b
<i>Soluens indebitum sciens præsumitur donare.</i>	105 a	<i>Stellionatus crimem.</i>	206 b	<i>Terminorum probatio circa agros mensurandos quomodo fiat.</i>	172 a
<i>Solutio quid sit.</i>	126 b	<i>Stipulatio alteri facta quando ualeat.</i>	113 a	<i>Testamenta à Codicillis quomodo differant.</i>	80 b
<i>Species pro specie si soluatur, non est emptio.</i>	118 b	<i>Stipulatio emptæ &amp; uenditæ hæreditatis.</i>	70 a	<i>Testamenta infirmantur multis modis.</i>	65 b
<i>Specificatio quid sit.</i>	40 b	<i>Stipulatio in quo differat à conuentione, promissione, pacto, pollicitatione.</i>	108 a & b	<i>Testamenta in quibus Codicilli confirmantur si sint inuvalida, infirmantur quoque Codicilli.</i>	81 a
<i>Spoliatus ante omnia debet restitui.</i>	203 a	<i>Stipulatio quando possit diuidi.</i>	109 a	<i>Testamenta à Codicillis confirmantur si sint inuvalida, infirmantur quoque Codicilli.</i>	81 a
<i>Spoliatus multa habet remedia ad recuperandam rem spoliatam.</i>	204 a	<i>Stipulatio quid sit.</i>	108 a	<i>Testamenta rumpuntur agnatione.</i>	57 a
<i>Sponsalia de futuro quomodo soluantur.</i>	17 a	<i>Stipulationes iudiciales à prætorijs quomodo differant.</i>	110 a b	<i>Testamenti factio duplex est.</i>	69 a
<i>Sponsalia de præseni.</i>	ibi.	<i>Stipulationes iudiciales quæ.</i>	109 b	<i>Testamentum ad pias causas quatenus ualeat.</i>	56 b
<i>Sponsalia quid.</i>	16 b	<i>Stipulationes prætorie.</i>	ibi.	<i>Testamenti solennis publicatio.</i>	55 b
<i>Sponsalia de futuro.</i>	ibi.	<i>Stipulationum solemnitas.</i>	113 a	<i>Testamentum capite diminuti irritum est, nisi Testator ante mortem restituatur.</i>	66 a
<i>Sponsalia non tenent, ubi requiritur dispensatio.</i>	18 b	<i>Stuprum.</i>	204 b	<i>Testamentum in quo non est institutus hæres, nullum est.</i>	54 b
<i>Sponsalitia largitas quid sit.</i>	51 a	<i>Subscriptio testatoris &amp; testium in solemni testamento qualis esse debeat.</i>	55 b	<i>Testamentum militare quibus modis &amp; solennitatibus hodie confici debeat.</i>	ibi.
<i>Sponsalitia largitas de iure Saxonum quid sit, &amp; quomodo, &amp; in quibus constituatur, &amp; quomodo in ea succedatur.</i>	87 a & b	<i>Substitutio quid sit.</i>	62 b	<i>Testamentum paganicum requirit septem testes puberes masculos.</i>	ibi.
<i>Sponsor quis.</i>	113 b	<i>Substitutiones tam in fideicommissarijs, quam directis institutionibus, locum habent.</i>	79 b	<i>Testamentum non iure factum.</i>	57 a
<i>Sponsaliorum de futuro effectus.</i>	17 a	<i>Successio in capita &amp; in stirpes quæ dicatur.</i>	91 a	<i>Testamentum nuncupatiuum.</i>	56 a
<i>Sportulæ.</i>	165 b	<i>Successio in descendens &amp; ascendens durat in infinitum, in collateralibus uerò usque ad decimum gradum.</i>	86 b	<i>Testamentum prius rumpitur per posterius legitime conditum.</i>	65 b
<i>Spurij possunt intentare querelam in officiosi contra Testamentum matris, secus in patre.</i>	66 a	<i>à Successione quando &amp; quibus casibus repellantur hæreses.</i>	86 b	<i>Testamentum quid sit.</i>	54 a
<i>Spurij qui.</i>	11 a	<i>Successorium edictum quid sit.</i>	92 b	<i>Testamentum quod fit coram principe, uel iudice apud acta in foro, non requirit aliam solennitatem, uel septem testes.</i>	54 b
<i>Spuriorum parentes quemadmodum succedant liberis.</i>	85 a	<i>Sui hæreses dicuntur se immiscere, extranei uerò adire hæreditatem.</i>	69 b	<i>Testamentum solenne, quibus modis scribi, conficiq; debeat.</i>	55 a
<i>Spurij quemadmodum parentibus succedant.</i>	83 b	<i>Sui hæreses excludunt reliquos omnes in successione.</i>	82 a	<i>Testamentum</i>	
<i>Statuta condere qui possint.</i>	5 a	<i>Suspectus tutor et conuictus infamis est.</i>	36 b		
<i>Statuta condita à ciuitatibus Imperij, ualent etiam sine confirmatione superioris, secus in cæteris ciuitatibus.</i>	5 b	<i>Suum, pronomen præsupponit dominium.</i>	180 b		
		<i>Suus &amp; Necessarius quis dicatur.</i>	68 b		
		T.			
		<i>Tabula picture, scriptura uerò</i>			



I N D E X.

Testanti inter liberos sufficienti duo testes.	56 a	Tutela quid.	28 a	Violentia poena.	209 a
Testari qui prohibeantur.	57 a	Tutela testamentaria qua dicitur.	ibid. b	Vis ablativa, compulsiva, turbativa, inquietativa.	163 a
Testator multos gradus heredum facere potest, & ultimo loco ser- uum necessarium heredem insti- tuere.	64 b	Tutor Codicillis dari non potest.	29 a	Vis est quadruplex.	201 b
Testator si faciat divisionem inter heredes, non habet amplius lo- cum divisio in iudicio.	171 a	Tutor datur rebus, Curator per- sonis.	31	Ultima uoluntates interpretanda sunt potius ut ualeant, quam ut pereant.	62 b
Testator si uadat rem legatam.	70 b	Tutores & Curatores quomodo co- ueniantur ratione tutela male ad- ministratae.	35 a	Voluntas est ambulatoria usque ad mortem.	75 b
Testes in Testamento solemniter de- bem se subscribere.	55 a	Tutores hodie dantur a quouis iu- dice, si facultates non excedant 500. aureos.	30 b	Voluntas & propositum distinguuntur facta.	160 a
Testes in Testamento debent esse rogati.	ibid.	Tutores suspecti qui dicantur.	36 a	Vsuarius commoditatem quam ha- bet in re, alteri locare non potest, secus tamen in usufructuario.	47 a
Testib. duobus de metu deponentib. plus creditur, quam mille qui de- ponerent de spontanea uolun- tate.	163 a	Tutor inuitus, inuito dari potest.	30 b	Vsucapione transferuntur res ipso iure, sed in praescriptione tan- tum ope exceptionis, rationem uide.	49 b
Theologi ab officio Tutelarum sunt liberi.	35 b	Tutoris confirmatio quando re- quiratur.	29 a	Vsucapio quid sit.	ibi. a
Thesaurum inueniens, quid iuris.	42 b	Tutoris officium.	30 b	Vsufuctuario datur confessoria actio.	45 a
Thesaurus quid sit.	ibi.	Tutor nomine pupilli acceptans leg- atum ex Testamento, non uide- tur illud approbasse.	63 a	Vsurae ueniunt in act. bonae fidei, secus in acti stricti iuris, nisi siue per stipulationem promissae.	175 b
Tit. instit. de legat. ag. success. per luis Autem. est correctus.	92 a	Tutor pupillo ubi peti & dari de- beat.	30 a	Vsufuctuarius a bonae fidei posses- sore quomodo differat.	42 b
Titulus qui requiritur in praescri- ptionib. est modus acquirendi.	49 a	V.		Vsufuctuarius uti debet re, ne fiat deterior.	45 a
Transactio facta ex causa emptionis, requiritur quod sit solutum pre- cium.	43 a	Vasallus in ult. uoluntate de Feudo disponere non potest.	90 a	Vsufuctus causalis.	ibi. b
Traditione quemadmodum res no- bis acquiramur.	li.	Vbi sunt plures rationes, ibi debet esse fortius ius.	26 b	Vsufuctus est diuiduus.	171 a
Transactio conuenit omnibus con- tractib. per quos ab actione re- ceditur.	177 a	Venatio quid, & ad qua genera se- rarum restringatur.	39 b	Vsufuctus & usus differunt.	46 a
Transactio est contractus innomi- natus.	ibid.	Vendita res si sit furto ablata, quib. actionibus recuperetur.	118 b	Vsufuctus formalis quid sit.	45 a
Transactio post rem iudicatam, est inualida.	188 a	Venditor si praescriptionem ince- pit, emptor potest eam implere.	50 b	Vsufuctus quib. modis amittatur.	ibi. b
Transfusionem quomodo tollatur actio.	128 a	Venditor ad rem dandam non obli- gatur.	177 a	Vsufuctus quid sit.	45 a
Trebellianicum S. C. quale sit.	78 a	Venditor rem uenditam pro pigno- re retinere potest, donec integrum precium ei soluatur.	115 b	Vtensilia de iure Saxonum qua sint.	87 b
Tutela est triplex.	28 b	Veneri consecuti sunt iurisdictionem in mari longis praescriptione.	38 a	Vtilis actio L. Aquil. datur quan- do a non corpore in corpus da- mnum datum est.	131 b
Tutela & Cura quamdiu durent.	11 a	Verbis quomodo fiat iniuria.	131 a	Vtilis rei uendicatio.	139 a
Tutela quibus modis finitur.	31 a.	Vetustas erroris.	6 b	Vulgaris substit. a pupillare quomo- do differat.	63 a
	146	Via quando dicitur fieri deterior.	195 a	Vulgaris substitutio quomodo fiat, & quibus uerbis.	62 b
				Vxor adultera quibusdam casibus non potest accusari de adulte- rio.	22 b



INDEX

Introduction	1
Chapter I	10
Chapter II	25
Chapter III	40
Chapter IV	55
Chapter V	70
Chapter VI	85
Chapter VII	100
Chapter VIII	115
Chapter IX	130
Chapter X	145
Chapter XI	160
Chapter XII	175
Chapter XIII	190
Chapter XIV	205
Chapter XV	220
Chapter XVI	235
Chapter XVII	250
Chapter XVIII	265
Chapter XIX	280
Chapter XX	295
Chapter XXI	310
Chapter XXII	325
Chapter XXIII	340
Chapter XXIV	355
Chapter XXV	370
Chapter XXVI	385
Chapter XXVII	400
Chapter XXVIII	415
Chapter XXIX	430
Chapter XXX	445
Appendix	460
Bibliography	475
Index	490



**DN. MELCHIORIS**  
**KLING, IVRECO. CLARISS. IN LIBRVM**  
**Primum Instit. Imperialium ENARRATIONES.**

**DE IVSTITIA ET IVRE. TIT. I.**



**S**ICVT in omnibus facultatibus & artibus neces-  
 sariò constitutum est, ut incipientibus tradantur  
 prima principia illius artis, ita quoque Iure cau-  
 tum est, ut discipuli Iuris, primùm omnium audi-  
 ant Institutiones. & discipuli. in prohæ. ff. & his  
 igitur. infra de Iust. & Iure. Cùm autem totus li-

ber Institutionum uersetur circa simplices uoces, easque Dialectico  
 & Methodico ordine tractet, ut definiendo, diuidendo, & cæt. Nos  
 quoq; eum ordinem sequemur. Primùm autem explicabimus no-  
 men generis, Ius, ut adolescentes nomen artis, in qua uersantur, intel-  
 ligere possint.

Est itaq; Ius, de quo hic loquimur, nihil aliud, quàm ars boni &  
 æqui, iustum ab iniusto discernens. l. i. ff. de Iust. & Iure. Hæc defi-  
 nitio sumpta est ab officio. Officium enim Iuris est, iustum ab ini-  
 sto discernere. Dico autem in definitione, de quo hic loquimur,  
 Quia nomen Ius, est æqui uocum, interdum capitur pro iustitiæ exe-  
 cutione, sicuti dici solet: Quod iustitia iubet, Ius exequitur, ut cùm  
 delinquentes puniuntur, sic executio iustitiæ. Interdum autem capi-  
 tur pro facultate, ut cùm dico: dominium est Ius, seruitus est Ius, usui-  
 capio, obligatio est Ius, & c. Et de hoc Iure nos hic non loquimur,  
 quia genus hoc casu non potest esse ars, sed facultas, exercitium, siue  
 executio, & tum nomen Iuris, propriè est relatio, & non qualitas.  
 Igitur nos capimus Ius hic pro arte quadam, quæ traditur & doce-  
 tur. Et hoc casu est in prædicameto qualitatis, cõsistens scilicet in in-  
 tellectu. Et licet quidam soleant contendere, Ius non esse artem, sed  
 prudentiam, propterea quòd Methodicè tradi non possit: Nos ta-  
 men tenemus cum Iurisconsulto, qui dicit, Ius esse artem, cõtra illo-  
 rum opinionem, quorum ratio non est uera. Quia Ius tam Metho-  
 dicè tradi potest, quàm ulla alia artium. Si enim Methodicè tradi,  
 significat per locos Dialecticos duci, ut definiendo, diuidendo, quæ-  
 rere causas, effectus, cognata & pugnancia, ut uult Aristoteles, certè  
 nomen artis nulli profelsioni ita cõuenit, quàm Iuri, cùm hoc perpe-  
 tuò uersetur circa definitiones, diuisiones, causarum effectuumq; in-  
 quisitiones. Ergo concludimus, Iurisconsultum optimè definiisse Ius

*Ius quid.*

*officium Iuris.*

*De uaria iuris  
 significatione  
 copiosè Ioan.  
 And. in Nouel-  
 le sue exor-  
 dio ad regulas  
 iuris.*

*Ius esse artem.*



ENARRATIONES IN INSTITVT.

per artem. Reliquæ partes definitionis differentie sunt, quibus ius discernitur à reliquis speciebus, artis, nec opus habent explicatione, sunt enim facilimæ. Est autem Ius duplex: Publicum & priuatum. l. 1. §. huius studij. ff. de Iustit. & Iure.

Ius Publicum.

IUS Publicum est, quod in publicis personis consistit, quales sunt magistratus & sacerdotes, in qualibet sui parte, publicam utilitatem respiciens. Et continetur partim in primo libro ff. ueteris, in fine, & in principio secundi libri. Item in principio x. xi. & xij. C. Huc quoque referuntur Edicta imperialia, in comitijs promulgata. Item Bullam auream Caroli iij. & similia.

Ius Priuatum.

IUS Priuatum est, quod ad singulorum utilitatem spectat. d. l. 1. §. huius autem studij. ff. de Iust. & Iure. Et hoc est triplex, Naturale, Gentium, & Positiuum.

Ius naturale.

IUS naturale est, quod natura omnia animalia docuit. d. §. Ius naturale. hic tit. nostro. Sed hæc definitio non uidetur esse sufficiens. Complectitur enim ea tantum, quæ nobis cum pecudibus sunt communia. Qualia sunt maris & foemine coniunctio, sobolis procreatio et educatio, uiolentiæ per uim repulsio &c. Alia autem quæ Iuris naturalis sunt maxima, hæc definitio non complectitur, qualia sunt: Deum colere, parentibus, & patriæ obtemperare, & sic conseruare communem societatem. Hæc & similia natura non docet animalia. Ideo solet alia definitio à Canonistis tradi in prin. primæ dist. quæ habet: Ius naturale est, quod in lege & Euangelio continetur, quo quisque iubetur alij facere, quod sibi uult fieri. Hanc definitionem si quis simpliciter intelligat, scilicet Ius naturale nihil aliud esse, quàm quod in Euangelio traditum sit, & sic idem esse Ius naturale & Euangelium, longè erraret, licet enim utrumque sit Ius diuinum, sunt tamen diuersissima. Nam Ius naturale proponit de Deo thesin, id est, in genere, siue communem propositionem, quod scilicet sit aliquis Deus, quem colamus, non tamen addit quis ille sit, & qua ratione sit colendus. Quare etiam uariæ opiniones à gentibus de Deo cõceptæ sunt. Euangelium autem transit ad hypothetin, & subsumit illam cõmunem thesin Iuris naturalis quæ habet Deum colendum, exprimens Christum esse illum Deum, & docet quibus modis sit colendus: Quare iste intellectus est falsissimus. Potest tamè illa definitio quoque defendi, nempe quod illic per *μετανοια* continens capiatur pro contento, siue totum pro parte, q. d. Ius naturale est, quod in Euangelio continetur in illa scilicet parte scripti Euangelij, qua quis iubetur alij facere, quod sibi uult fieri. Et hic intellectus ex ipsis uerbis textus colligitur. Ita enim sonant uerba: Ius naturale est quod in lege & Euangelio continetur, quo quis iubetur alij facere, quod sibi uult fieri. Et sic *in iuris* est in dictione, quo. Idem habes in prin.

Thesis communis propositio.



prin. dist. quinte. Et hæc definitio est quidē bona secundū posteriōrem intellectū, non tamen est absoluta. Addenda est ergo tertia definitio, quæ uidetur esse aliquanto perfectior. Ius naturale sunt cōmunes sententiæ, mentibus hominum naturaliter inscriptæ, optimam & absolutissimam uiuendi rationem proponētes, ut colligitur ex c. Ius naturale. i. dist. Genus istius definitionis est communes sententiæ. Totum enim Ius naturale sub breuibus aliquot sententijs cōprehenditur, de quibus infra. Et sic hæc definitio sumpta est à partibus & effectu illarum partium. Dico mentibus hominum naturaliter inscriptæ, Quia statim cū nascimur, illæ sententiæ, tanquam paruæ notitiæ nobiscum nascuntur. Cœpit enim hoc Ius ab exordio rationalis creaturæ, nec uariatur tempore, sed immutabile semper permanet, ut in princ. v. distin. Nec refert quòd plerique homines non deprehendāt illas sententijs, præsertim maiores, in animis eorum scriptas esse. Quia hoc Ius latet in quibusdam, sicut ignis in silice, qui nō apparet, nisi excutiat. Ita quoq; quædam præcepta Iuris naturalis in animis nostris latent, donec ab hominibus prudentibus excutiantur. Est autem Ius naturale duplex secundum quosdam, Ius naturale primæuum, & Ius naturale secundarium.

IVS Naturale primæuum dicunt esse id, quod suprā definiuimus, quod scilicet cum ipsa rerum origine cœpit. Ius uerò naturale secundarium dicunt esse Ius gentium, de quo infra. Et Philosophi ferè in hunc modum solent de Iure naturali disputare, quòd scilicet Ius naturale & gentium, accipiunt pro eodem. Sententiæ uerò siue præcepta Iuris naturalis primæui, de quibus suprā fecimus mentionem in definitione, hæc solent connumerari.

- Præcepta Iuris naturalis Primæui.
- I. Deum colere.
  - II. Parenti & patriæ obtemperare, & sic conseruare communem hominum societatem.
  - III. Neminem lædere. l. 3. ff. eo.
  - IIII. Per mutuam & uoluntariam communicationem, rebus communiter uti.
  - V. Maris & sceminæ legitima coniunctio.
  - VI. Liberorum successio, scilicet quo ad carnis propaginem. Non enim potest intelligi de successione in bonis hæreditarijs, quia illa est Iuris Positiui.
  - VII. Puerorum educatio.
  - VIII. Omnium una libertas.
  - IX. Acquisitio eorum quæ cælo, terra, mariq; capiuntur.
  - X. Violentiæ per uim repulsio. • A 2



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Et hæc præcepta ex Canonibus collecta sunt, scilicet ex c. Ius naturale, cum glos. 1. dist. Et conuenit hæc præceptorum collectio cum tertia definitione Iuris naturalis, de qua supra. Secundum Ius Ciuile autem, ea tantum reputantur pro præceptis Iuris naturalis, quæ nobis sunt cum pecudibus communia, qualia sunt quintum, sextum, septimum, octauum, nonum, & decimum. Reliqua uerò computantur inter Ius gentium. l. 1. §. fin. Iunct. 1. 2. & 3. ff. de Iust. & Iure. Et secundum hoc procedit prima definitio Iuris naturalis, quam supra tradidimus.

*Ius nature  
nullas habet  
causas.*

CAUSA Iuris naturalis nõ sunt quærendæ. Hoc enim Ius nobiscum conditum & natum est, ut colligitur ex principi. quintæ dist.

DE IURE GENTIUM.

*Ius gentium.*



IUS gentium dicitur, quod naturalis ratio humanis necessitatibus exigentibus inter omnes gentes constituit. & Ius autem gentium. cum similibus, infra de Iure natu. gent. & ciuili. Dico in definitione, naturalis ratio. Quia hoc Ius non est nobiscum natum, sed collectum ex Iure naturali per rationem, ut infra dicemus. Et sic differt Ius naturale à Iure gentium, sicut antecedens & consequentia. Ius naturale enim proponit propositionem quandam loco antecedentis, ut cum dicit: Publicam societatem conseruandam esse. Ex hac propositione Ius gentium infert: Ergo mali sunt tollendi è medio. Dico, humanis necessitatibus exigentibus. Quia primum contractus non erant, sine quibus res humanæ consistere nõ possunt, neque etiam delinquentes puniebantur de Iure naturali, per quos tamen societas cõmunis perturbabatur. Exegit itaque humana necessitas inter omnes gentes hoc Ius esse constituendum.

*Differentia Iuris naturalis, et Iuris gentium.*

Continet autem hoc Ius duo præcepta.

Duo præcepta Iuris gentium.  $\left\{ \begin{array}{l} \text{I. Res diuidere;} \\ \text{II. Sontes punire.} \end{array} \right.$

*Iura Realia.  
Iura personalia.*

Ex primo fluxerunt illa, scilicet quod gentes sunt discretæ, regna cõdita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia parata. Et hæc sunt Iura Realia. Inde quoque fluxerunt omnes ferè contractus, & sic Iura personalia, id est, ex quibus personæ obligantur, ut mutuũ, debitum, commodatum, depositum, pignus, emptio, locatio, societas, mandatum, permutatio, pacta &c.

CAUSA huius præcepti est præceptum Iuris naturalis, quod habet reb. cõmuniter uti. Ponitur enim id tanquam primum principium siue antecedens quoddam, ex quo Ius gentium colligit consequentiam, hoc modo: Si debet esse rerũ cõmunio, necesse est gentes discernendas. Item regna, condenda. Item certos modos constituendos, per quos



quos fiat illa communicatio, quales sunt contractus & modi acquirendi rerum dominia.

EX secundo præcepto, Sontes punire, fluxerunt illa :

POENAE MAGISTRATVS.

- |   |   |                                       |
|---|---|---------------------------------------|
| Præcepta fluentia<br>ex secundo præcepto<br>Iuris gentium | } | 1. Iudicia.                           |
|   |   | 2. Bella.                             |
|   |   | 3. Captiuitates.                      |
|   |   | 4. Seruitutes.                        |
|   |   | 5. Manumissionses.                    |
|   |   | 6. Postliminia.                       |
|   |   | 7. Fœdera pacis.                      |
|   |   | 8. Munitiones.                        |
|   |   | 9. Legatorum non uiolendorum religio. |

c. Ius autem gentium, l. dist. l. si quis legatum. ff. de legat.

CAUSA istius præcepti siue Conclusionis, scilicet sontes punire, cum suis capitibus quoque ex Iure naturali fluxit, ex illa scilicet sententia, quæ habet communem societatem conseruandam esse. Hinc ergo infert & concludit Ius gentium: Ergo necesse est malos puniri. Non autem possunt legitime puniri, nisi constituentur certæ personæ, quibus puniendi prouincia mandetur. Et hinc uenit magistratus. Nec etiam satis esset habere magistratum, nisi ille ordine quodam seruato puniret. Et inde manarunt Iudicia. Sub hoc autem Articulo comprehenditur totus processus Iuris.

*Causa secundæ præcepti.*

- |                  |   |                            |
|------------------|---|----------------------------|
| Processus Iuris. | } | I. Citatio.                |
|                  |   | II. Actio.                 |
|                  |   | III. Libellus.             |
|                  |   | IIII. Exceptio.            |
|                  |   | V. Replicatio.             |
|                  |   | VI. Duplicatio, &c.        |
|                  |   | VII. Litis contestatio.    |
|                  |   | VIII. Probationes.         |
|                  |   | IX. Testium examinationes. |
|                  |   | X. Iuramenta.              |
|                  |   | XI. Sententiæ.             |
|                  |   | XII. Appellationes.        |

Hæc omnia quo ad causam materiale sunt Iuris gentium: Quo ad causam formalem uero, sunt Iuris Positiui. Addidit enim Ius positium istis rebus formam secundum uniuscuiusque regionis consuetudinem. Vide Specu. in proh. lib. 1. Cum autem potentiores citati, in iudicijs non comparerent, nec etiam responderent læsis, induxit Ius gentium ex necessitate bellum, per quod cogentur. Ne tamen in



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Bellum Iure-  
gentium intro-  
ductum.

bellis omnes indifferenter occiderentur, inducta est captiuitas, & seruitus. Item manumissio, per quam serui liberantur à seruitute &c. Et istorum omnium causa impulsua fuit improbitas hominum, qui contra ius naturale peccant, ledendo alios. Ideoq; suadet naturalis ratio, ledentes esse è medio tollendos. Et tantum de Iure gentium.

DE IVRE POSITIVO.

Ius Positiuum.



**I**US Positiuum proprie dicitur, quod neq; in totum à Iure naturali & gentium recedit, neq; etiã per omnia ei seruit, sed interdum aliquid addit, interdum uero detrahit, ut colligitur ex l. Ius Civile. ff. de Iust. & Iure. Et dicitur Positiuum, quia non coepit cum ipsa rerum origine, neq; etiam cum gentes esse coeperunt, sed à Iureconsultis & prudentibus uiris postea conditum & proditum est. Dico in definitione: Interdum aliquid addit, quia Ius naturale & gentium uersantur circa theses siue communes sententias, quas Ius Positiuum deinde subsumit, addendo aliquid.

Exempli causa: Ius gentium proponit Thesim, Sontes esse puniendos. Iam si latro uel fur deprehenderetur, & quaereretur, quid Iuris? Responderetur secundum Ius gentium, eum esse puniendum, quo autem genere poene, ex Iure gentium non elicitur. Prodit itaq; Ius Positiuum, addens aliquid, scilicet si latro est, puniatur gladio, si fur, laqueo, &c. Dico in definitione: Interdum uero detrahit &c. quia praeccepta Iuris gentium & naturalis propter circumstantias personarum & rerum saepe limitantur. Exemplum: Ius gentium dicit, Pacta seruanda esse. Iam si infans uel pupillus promitteret mihi centum aureos, uel mulier fideiuberet pro aliquo, Quæritur an teneantur. Et respondetur de Iure Positio, quod non, propter aetatem & sexus fragilitatem, ne scilicet laedantur. Et hoc casu Ius Positiuum detrahit Iurigenium. Est autem Ius Positiuum duplex. Ius Civile, & Ius Canonicum.

DE IVRE CIVILI.



**I**US Civile est quod magistratus, populus uel ciuitas proprium sibi constituit. c. Ius civile. l. dist. §. Ius autem Civile. infra de Iure nat. gent. & civili. Et diuiditur in Ius commune, & priuatum, siue municipale.

**I**US Commune dicitur, quo omnes qui imperio Romano subiecti sunt, ligantur. Et hoc diuiditur in Ius scriptum, & non scriptum.

Ius commune.

**I**US Civile commune scriptum dicitur, quod habetur in lib. Iuris Civilis per totum, nec potest hodie condi nisi à supremo principe, hoc est, Imperatore, secundum Ias. in l. omnes populi, in 2. lectura. ff. de Iust. & Iure. Et est ratio: Quia per legem regiam, quæ de Imperatoris



toris potestate lata est, populus Imperatori omne Imperium suum, & potestatem concessit. §. Sed & quod principi. infra de Iu. na. gent. & ciui. Dico in definitione, hoc ius contineri in libris Iuris ciuilibus. Quia Imperator Iustinianus cum ocium fuisset consecutus, commisit quaestori suo Triboniano, alijsq; Iurisprudētibus. ut Iurisconsultorum uolumina, quorum 2000. extabant. & numerum legum siue responsorum tricenis centena millia continebant, milleq; & quadringentis annis confusè traditæ erant, in ordinem redigerent, quod & factum est. Redegerunt enim in quinquaginta libros, quibus imponebant nomen Digestorum, siue Pandectarū. Eosq; postea diuiserunt in ff. uetus. ff. Infortiatum, & ff. nouum, ut colligitur ex l. 1. & 2. C. de ueteri iure enucl. In quibus libris continentur leges Iurisconsultorū, qui fuerunt ante Christum natum, & paulò post, fortè usq; ad tempora Constantini, qui Imperium transtulit ab Italis ad Græcos. Postea autem cum sedes Imperialis esset in urbe Constantinopolitana, sunt aliæ leges latæ ab Imperatorib. quæ Constitutiones Imperiales uocantur. Et redactæ sunt in unum Librum, quem uocarunt Codicē, licet tres fuerint Codices, Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus, ut habetur in l. unica. C. de nouo Codic. facien. Et ex illis tribus Codicibus & Libris Digestorum collegerunt Tribonianus, Theophilus, & Dorotheus, iussu Iustiniani, Institutiones, ut essent prima elementa Iuris. §. Cumq; hoc. & glo. in §. Et cum sacratissimas. hic in prohoæ. Ang. & d. Iaso. in §. Rursus. infra de Actio. l. ij. §. Sed quū perspeximus. C. de uet. Iur. enucl. Quibus absolutis emendatus est liber ueteris C. & compactus est is Codex, quem nunc habemus secundum gl. in d. §. Et cum sacratissimas. in uerbo, Adimpleuimus, hoc in prooemio.

50. libri Iuris  
ciuilibus.

Institutiones  
unde, & quo  
modo sint col-  
lectæ.

Postremò composuit Iustinianus librū Autenticorum, Ius nouissimum continentem, in quo multa ex Pandectis & Codice sunt inuoluta, pleraq; penitus sublata. Cum autem Imperium Ro. per Carolum Magnum à Græcis esset translatum ad Germanos, Græci Imperatores quoq; non poterant ferre legem generalem, Sed illi autoritas unà cum Imperio ad Germanos est translata. Ideo poteris in Ius Ciuile commune scriptum referre leges generales Germanorum Imperatorum, qualis est aurea Bulla Caroli quarti. Item constitutiones & Edicta Imperatorum in Comitijs edita &c. Diuiditur autem Ius Ciuile commune scriptum in duas species, In Ius ciuile in specie scriptum, & Ius Prætorium, secundum gl. in uerbo, Ius ciuile. §. Ius autem ciuile. infra. de iure nat. gent. & ciuili.

Ius Authentico-  
rum.

IUS Ciuile commune in specie scriptum dicitur, quod est conditū ex l. xij. tab. per Consules, Tribunos, Senatores, Imperatores, & Iuris

Ius Ciuile com-  
mune in spe-  
cie.



*Plebiscitum.  
Senatus-consultum.  
Placita Principum.  
Responſa prudentum.  
Ius prætorium, aliàs Honorarium.*

consultos. Et hoc comprehendit leges, quæ fiebāt per consules. Secundo plebiscita, quæ fiebant per Tribunos. Tertio Senatus consulta, quæ fiebant per Senatum. Quarto Principum placita, quæ fiebant per Imperatores. Quinto responſa prudentū, hoc est, Iurisconsultorum.

**I V S** Prætorium uerò dicitur, quod prætores introduxerunt, uel adiuuādi, uel supplēdi, uel corrigendi Iuris ciuilibus gratia. Et solet alioquin appellari Ius Honorariū, propter honorē Prætoris, l. Ius autē ciuile. ff. de Iust. et Iur. Dico in definitione, Adiuuādi, ut exemplū, De Iure ciuili datur hæredibus petitio hæreditatis, qua agunt ad hereditatē defuncti: ultra illam introduxit Ius Prætorium honorū possessionē, qua idem cōsequuntur hæredes: Et sic adiuuat Ius prætorium in hoc Ius Ciuile. Dico Supplēdi, ut exemplū. De Iure ciuili datur pro furto actio in duplū simpliciter, nec distinguit, utrum sit furtum manifestum, siue nō manifestum. Ius prætorium autē distinguit, supplens Ius ciuile, scilicet quod pro furto non manifesto datur actio dupli: Pro furto uerò manifesto, Actio quadrupli. Dico corrigendi, Exemplū. Ius ciuile tā in successionib. ex testamēto, quā ab intestato excludit liberos emancipatos § Emancipatos, infr. de exhæredat. liber. § Emancipati, infr. de hæ. quæ ab intest. def. Hoc correctū est per Ius Prætorium, quod scilicet dat emancipatis, uel honorū possessionē contra Tabulas, id est, Testamentum, Si pater cū Testamento decessit, uel si ab intestato decessit, dat eis honorū possessionē Vnde liberi. d. § Emācipatos. & d. § Emancipati. Diuiditur autē Ius Prætorium in duas species: In Edicta Prætorum, et in Edicta Aedilium Curulium. § Prætorum, infr. de iure nat. gent. & ciuil.

*Edicta prætorum.*

EDICTA Prætorū sunt, quæ à Prætorib. uarijs de causis sunt proposita, Qualia sunt, de Restitutione in integrum, de honorū possessionibus, de interdictis, &c. & infinitis alijs rebus, quæ hic explicari non possunt.

*Edicta Aedilium Curulium.*

EDICTA Aedilium Curulium sunt, quæ proponebantur de ædib. conseruandis, ne scilicet incēdijs, uel ædiū ruina, urbis aspectus deformatur. Itē de Edendis, ne scilicet morbosa caro uēderetur, uel nimis magno precio. Item de uitijs & morbis rerū quarū cunq; uendendarum. De quib. habes totū tit. ff. de Aedil. edict.

*Actiones ex Iure ciuili perpetue sunt.*

*Prætorie actiones plerunq; annales sunt.*

Et hoc discrimen inter Ius ciuile & Prætorium ad hoc cōducit scire, quia Actiones, quæ oriuntur ex Iure ciuili, in specie plerunq; durant perpetuò, hoc est, triginta annis, præsertim in personalib. Quæ autē oriuntur ex Iure prætorio, annales plerunq; sunt. De quibus infra, de perpet. & temp. act. Et tantum de Iure ciuili cōmuni scripto.



I V S Ciuile commune non scriptum, est ipsa Imperij consuetudo, quæ æquè ligat oēs subditos, qui sunt sub Imperio Romano. Et hæc hodie scripta est in libris Feudorum. Et uide in usib. Feudo, in Tit. hic finit lex, deinde cōsuetudines regni incipiūt.

I V S ciuile priuatum siue municipale propriè dicitur, quod nō ligat oēs subditos Imperij, sed tantū eos, apud quos hoc Ius est conditum. Et hoc quoq; diuidit in Ius scriptum, & non scriptū.

I V S Ciuile priuatum Scriptum, propriè dicuntur Statuta. Est igitur Statutum Ius ciuile priuatum scriptum, expresso cōsensu De Statutis populi inductum, publicam utilitatē respiciens. Et dicitur alioqui Ius municipale. Et in quibusdam Ciuitatibus **Wiltbūr** siue **Weychbild**. Dico, Priuatum, ad differentiam Iuris communis, quod indistinctè ligat oēs, qui sunt sub Imperio Romano. Statuta autem regulariter tantū subditos statuentium ligant, non autem alios. Dico, Scriptum, ad differentiā consuetudinis, quæ sine scriptura inducit. Dico, Expresso consensu populi, iterum ad differentiam consuetudinis, quæ tacito populi consensu inducitur. Dico, Publicam utilitatē respiciens, Primū ideo, quia condere Statuta est meri Imperij, & expeditur Iudicis officio nobili. In hoc est attendendum ad qualitatem rerum super quibus fiunt Statuta, hoc est, si statuendum est super his quæ sunt meri Imperij, & tunc condere Statuta, est meri Imperij. Si autē statuendum est super his, quæ sunt simplicis Iurisdictionis, & tunc condere Statuta, est quoq; simplicis Iurisdictionis. Si autē communio uel uniuersitas uult disponere super administratione rerum suarum, & honorum, tunc neq; Imperij neque Iurisdictionis est, sed permissionis. De hoc uide Doctor. copiosè in l. omnes populi. ff. de Iust. & Iure. & in § omnes populi, infra de Iur. nat. gent. & ciuili. Secundò dico, Publicam utilitatem, ad differentiam constitutionum principum, quæ interdum sunt personales, & respiciunt priuatam alicuius utilitatem. Constitutiones principum personales sed & quod. infra de Iure nat. gent. & ciui.

C A V S A efficiens Statuti est expressus consensus populi, Imperium siue Iurisdictionem, siue rerum suarum administrationē habentis, de q̄ proximè diximus. Et tamē in hoc distingue, Aut Iudices siue domini maiores condūt statuta, & debēt adhibere cōsiliū prudentum. l. Humanū. C. de legib. Si tamē motu proprio sine sapientum consilijs statuerunt, debet id quod statutum est, diuulgari subditis. ut colligit ex l. 5. C. de le. Aut populus cōdit statuta, & tunc est aut talis populus, qui nullā Iurisdictionē neq; concessam neq; præscriptā, Et is super decisionib. causarum statuta condere



tuta condere non posset. Super administratione tamen rerum suarū statuere potest, ut de expendenda pecunia communi. Item de defendendis rebus. Aut est populus qui habet Iurisdictionem concessam siue præscriptam. & subdistingue: Aut Iurisdictione est concessa à duce Marchione, Comite uel simili Magistratu inferiori, & requiritur quòd is qui Iurisdictionem concessit, confirmet & approbet statutum. Aut Iurisdictione est concessa à summo Principe, hoc est, Cæsare, ut in Ciuitatibus Imperij, quæ alijs Principibus subiectæ non sunt, & ualent illorum statuta, etiam sine superioris confirmatione, secundum DD. in d.l. omnes populi. ff. de Iustitia & Iur. & in §. Ius autem Ciuile. infr. de Iure natu. gent. & ciuili. Et hoc casu autoritate magistratus conuocandus est populus, seu illi qui populum repræsentant, in curiam uel alium publicum locum, & proponendum alternatiuè, de quo statuendum est, quo factò, quod maior & sanior pars approbauerit, statutum dicitur, habetq; uim legis. Vide Bart. in d.l. omnes populi & c.

CAUSA finalis est publica utilitas.

EFFECTVS Statutorum est, quòd si fuerint condita super casibus, de quibus Iure communi nihil dispositum est, indistinctè ualēt, & obtinent uim legis, modò sint honesta & rationabilia, nec contra bonos mores, secundum gl. super Rubr. C. de decret. decur. libr. x. & hoc casu dicuntur condita præter Ius. Idem dic, si condita sunt cōtra Ius positium, id enim per Statuta tolli potest. d.l. omnes populi. ff. de Iustit. & Iur. Hoc tamen fallit si aliqua lex derogatoria extat, quæ scilicet in specie prohibeat super tali casu Statuta condi, ut est text. in Autent. omnes peregrini. §. hospes. C. communia de successio. Secundo fallit in casibus principi reseruatis, ueluti in legitimatione spuriorum, arrogatione. Item in uenia ætatis impetranda, ( ut si puer petat sibi concedi Ius & potestatem agendi, ac si esset 25. annorum ) super quibus nullum Statutum ualeat. Vide Iason. in d.l. omnes populi. ff. de Iust. & Iur.

Quando autem quæritur, utrum Statuta condita contra Ius gentium & naturale ualeant, Responde simpliciter, quòd non, Nisi sint Statuta limitatiua, per quæ illa Iura non tolluntur. Exemplum. Ius naturale dicit neminem lædendum. Iam si Statuto caueretur, Bannitum lædendum, ualeret Statutum, quia Ius naturale per hoc non tollitur, sed limitatur ex rationabili causa, quòd scilicet Bannitus prius læsit publicam pacem. Et sic coincidit hoc Statutum cum alio præcepto Iuris naturalis, quod habet cōmunem hominum societatem tranquillam conseruandam esse. Et per hoc negligitur inferius præceptū Iuris naturalis de nemine lædendo, ut superius impleatur, uidelicet publica pax & c.

Præceptum Iuris naturalis.

AN



AN autem Statuta contra Ius diuinum condi possint, queritur. Et distingue, Aut loquimur de rebus merè spiritualibus, de quibus neq; in Iure Positiuo, neq; in philosophia habetur, quales sunt Articuli fidei &c. Et tunc neq; leges, neq; Canones, neq; etiam Statuta possunt contra disponere. c. sunt quidam. cum infinitis similibus, xxv. q. 1. gloss. in Autent. Ad hæc, C. de usur. Et uide ix. & x. dist. per tot. & xi. q. iij. per totum. & c. Conuenior. xxiij. q. viij. Aut loquimur de rebus moralibus, siue politicis, de quibus fit mentio in sacris literis. Quas sunt de Iuramento, de Contentione in Iudicio, de fure, de defensione proprii corporis &c. Et regulariter Statuta condi possunt, etiã contra ea quæ habentur in sacris literis, nisi inde sequatur peccatum. Vide quæ notantur in d. Autent. ad hæc, C. de usuris. & in l. fin. C. si contra Ius, uel utilitatem publicam. Exempli gratia, Ius diuinum dicit: Mutuum date, nihil inde sperantes, iam si Statutum disponeret, *Luce 6.* quòd is qui accepit mutuo centum aureos, tenetur singulis annis ultra sortem dare quinque uel aliquot aureos, loco accessionis, nihil uideret Statutum, quia habet peccatum, scilicet usuram, quæ omni Iure prohibita est. Vide Doct. in d. l. omnes populi. ff. de Instit. & Iur. & in §. Ius autem ciuile. infr. de iure nat. gent. & ciuili. Et tantum de his quæ fiunt contra Ius diuinum, Statuta autem quæ fiunt præter Ius diuinum, ualent per ea quæ supra notata sunt.

TOLLITVR autem Statutum reuocatione eorum, qui condiderunt. Secundò per Statutum posterius tollitur prius Statutum contrarium, nisi prius contineat Clausulam derogatoriam. Vide Ang. in d. §. Ius autem Ciuile, hic de Iure nat. gent. & ciuili. Et tantum de Iure Ciuili priuato scripto.

### SEQUITVR DE IURE NON SCRIPTO,

Hoc est, de Consuetudine.



ST autem consuetudo Ius Ciuile, non scriptum, tacito *Consuetudo.* consensu populi inductum, publicam utilitatem respiciens, & habet uim legis, ut colligitur ex l. de quibus. ff. de ll. Dico in definitione, non scriptum, ad differentiam Statutorum, quæ non possunt induci, nisi in Scriptis. Dico tacito consensu populi, primò ad differentiam Statutorum, quæ inducuntur per expressum consensum populi. Secundò ad differentiam styli, qui ex tacito & expresso Iudicis non tamen in scriptis procedere potest. Dico Populi, iterum ad differentiam styli, qui inducitur consensu unius tantum, hoc est, iudicis, & respicit ordinem loquendi, scribendi, & procedendi. Consuetudo uerò non inducitur per unum tantum, sed per uniuersum populum, & respicit decisionem



cisionem Iuris. Dico publicam Vtilitatem respiciēs, ad differentiam præscriptionis, quæ inducitur quoq; spacio decennij, sicut consuetudo. In hoc tamen differunt, quòd præscriptio tantum priuatis & singulis Ius quærit, Consuetudo uerò quærit Ius uniuersitati & publico. Vide doct. in c. Vigilanti. extra de præscript.

**REQVIRVNTVR** ergo ad consuetudinem quatuor principaliter ac copulatiuè. Primò tacitus populi consensus. l. sed & ea, cum sequentibus. ff. de ll. Secundò, quòd sit rationabilis. l. quod non ratione. ff. de ll. Tertiò, quòd sit præscripta, *verjart*/hoc est, quæ decem annis continuis iure ciuili durauerit, si est præter legem inducta, id est, super tali casu, qui alioqui in Iure non est decifus. Si uerò esset contra legem Iuris Positiui, requireretur longissimum tempus, scilicet 40. anni, & maximè secundum Canones. Vide gl. & doct. in c. fin. extra de consuet.

Quartò, Frequentia Actuum, quòd scilicet ad minus secundum eam bis iudicatum sit. l. 1. C. quæ sit longa consuet. Vide gl. & doct. in d. c. fin. extra de consuet. & Bart. in d. l. de quibus. ff. de ll.

**CAVSA** efficiens consuetudinis est tacitus consensus populi, mediante præscriptione.

**CAVSA** materialis est usus & mores, in d. l. de quibus. ff. de ll. Et sic differt usus à consuetudine, sicut differt causa à causato.

**PROBATVR** autem consuetudo per duos testes, *Swen alte männer*/qui deponunt ita esse, & continuè sine contradictione obtentum.

Optima legum  
interpres con-  
suetudo.

**EFFECTVS** consuetudinis sunt. Primùm interpretari & confirmare legem, si secundum legem inducta est: Optima enim legum interpres consuetudo est. l. si de interpretatione. ff. de ll. Secundò, si est præter legem inducta, obtinet ipsa uim legis, & secundum eam iudicatur. l. sed & ea, cum sequentibus. ff. de ll. Tertiò, si contra Ius Positiuum, tollit illud Ius, nisi obstet aliqua lex derogatoria, id est, talis lex quæ prohibeat talem consuetudinem Iudici. Hoc tamen intellige quantum ad priuatorum utilitatem, si enim contra publicam utilitatem, uel contra Ecclesiam inducta esset consuetudo, non ualeret. Autent. Cassa. C. de sacrosanct. Eccles. Si uerò contra Ius naturale, gentium, uel diuinum inducta esset consuetudo, idem dic quod supra de statutis. Si enim contra Ius diuinum esset, non appellaretur consuetudo, sed uetustas erroris. c. consuetudo, cum similibus. 8. distinct.

Consuetudo  
quibus modis  
collitur.

Tollitur autem consuetudo duobus modis: Primò per contrariū actum, si præscriptio nondum est completa. Secundò, si præscriptio est completa, tollitur per non usum tanti temporis, infra quantum est



tum est inducta antecedentibus aliquibus affirmatiuis. Vt si consuetudo per decennium tacito consensu populi inducta esset, & rursus infra aliud decennium illius consuetudinis non fieret mentio, sed contrarium obseruaretur, per lapsum istius decennij, tacito consensu populi, consuetudo sublata esset, per regulam, Nihil tam naturale &c. l. Nihil, ff. de reg. Jur. Vide Panor. in d. c. fin. extra de consuet. Et hæc de speciebus Iuris Ciuilis sufficiant.

**C A V S A E** efficientes Iuris Ciuilis erant. Primò, Decemviri, qui à Græcis ciuitatibus petebant leges, quas in tabulis eburneis pro rostris proposuerunt, duasque tabulas addiderunt. Inde ortum est Ius 12. tabularum, Ius Ciuile uetustissimum. Secundò, Appius Claudius, qui redegit in formam Actiones, quæ uocabantur Ius Ciuile Flauianum, à Gneo Flauio, scriba Appij Claudij, qui eas populo donauit. Tertio, Hortensius, qui Plebiscitis dedit auctoritatem. Postremò Senatus, Consules, Prætores, Aediles Curules, Imperatores, & Iuris-consulti. Vide per tot. tit. ff. de origi. Iur.

**C A V S A** materialis Iuris Ciuilis, sumpta est ex præceptis Iuris gentium, Omnia enim negotia, circa quæ Ius Ciuile uersatur, aut ciuilia sunt, aut criminalia. *Causa materialis.* Causa materialis ciuiliū negotiorum ex primo præcepto Iuris gentium fluxit, quod habet res diuidere. Causa materialis Criminalium negotiorum dependet ex secundo præcepto Iuris gentium, scilicet, Sontes punire.

**C A V S A** finalis Iuris ciuilis, est humanam coercere audaciam, nocendi facultatem refrenare, & bonos defendere, c. 1. 4. dist. Et tantum de Iure ciuili. *Causa finalis.*

## DE IURE CANONICO.

**I**US Canonicum est quod disponit de reb. ac personis ecclesiasticis principaliter. Dico de rebus, ut Episcopatib. Canonicatibus, Præposituris, Parochijs, Præbendis, Decimis, Censib. &c. Dico de personis, ut Cardinalibus, Patriarchis, Primatib. Archiepiscopis, Episcopis, Præpositis, Abbatib. Decanis, Canonicis, Vicarijs, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acolitis, Exorcistis, Lectoribus, Hostiarijs &c. secundum Ioan. de Imo. in proh. Decre. qui dicit subiectū Iuris Canonici esse, circa res ecclesiasticas uersari. Et diuiditur in Ius cōmune & priuatum. Ius cōmune est quod cōtinetur in libris Iuris Canonici per tot. ut in Decre. Sexto Clem. &c. Et hoc subdividitur in Decreta, & Decretales.

Decreta sunt quæ constituuntur à summo Pontifice, cum consilio Cardinalium & Episcoporum ad nullius consultationem. Et illa fiunt interdum in Concilijs, interdum uerò extra Concilia. *Decreta quæ or quando fiunt.* Continē



ENARRATIONES IN INSTITVT.

tur aut̄ cōmuniter in Decreto Gratiani, illud enim est quasi que-  
dam farrago sentētiarum cōmunium ex concilijs & scriptis Do-  
ctorum Ecclesiæ collecta. Et diuiditur in tres partes. Prima con-  
tinet distinctiones, quarū sunt 101. Secunda continet causas, qua-  
rum sunt 36. Tertia est de consecratione. Insetus est quoq; tra-  
ctatus de pœnitētia. Sed illa Iuriscōsultis in plerisq; locis aut om-  
nino nihil, aut certē parū profunt. Nō enim propter decisiones  
causarū forēsium principaliter lata sunt. Extāt tamē in decreto  
quēdā forensia, ut de rest. spol. de prob. de test. de ap. Item extāt  
in eo materia de causis matrimonialib. latissimè tractata. Solent  
quoq; Iuriscōsulti alios textus interdū adducere in argumentū.

Decretales epi-  
stole.

Decretales epistolę sunt, quas uel sumus Pōtifex solus, uel cū  
Cardinalibus ad consultationē alicuius constituit, secundū glo.  
in c. omnes, 3. dist. Et inter eas quēdam sunt de ritibus & ceremo-  
nijs Ecclesiasticis, quales sunt, quę cōtinētur partim in primo &  
tertio Decretaliū, et illas Iuriscōsulti quoq; nō curant, nisi quōd  
interdum ex capitulis illorū librorū colligunt argumēta à simi-  
libus ad similia, à maiori ad minus. Quēdā uerò sunt quę causas  
& negotia forēsia concernunt, quales sunt, quę continētur in fi-  
ne primi Decretaliū, & in secundo per tot. in parte tertij, ut de  
cōtractibus et ultimis uoluntatibus. Item & in quarto, & in par-  
te quinti. Et illę propriè pertinet ad Iuriconsultos. Continētur  
autem Epistolę Decretales in libris Decretalium antiquarum,  
& in sexto Decretalium, & in Clementinis.

Sextus Decre-  
taliū.

Decretales antiquę continēt epistolas Gregorij Noni, & suo-  
rum antecessorum. Redegit enim eas in unum librum, quem uo-  
cauit Decretales. Sextus autem Decretalium est compilatio Bo-  
nifacij Octaui, quę ideo facta est, quia post Decretales Gregorij  
Noni, quidam pontifices succedentes quoq; ediderūt Decreta-  
les, sapius inter se pugnantes, quam contrarietatem Bonifacius  
Octauus opera quorundam episcoporum in concilio Lugdunē-  
si sustulit, & hoc opus composuit.

Clementine.

Clementine sunt quas Clemens V. in cōcilio Viennensi cōpo-  
suit. His adde extrauagātes Ioannis, 22. Omnes aut̄ illi libri con-  
tinent eosdē titulos. Est enim eadem ferè ratio per omnia, id est,  
illi tituli qui sunt in primo Decret. antiquarū, sunt quoq; in pri-  
mo Sexti, & in primo Clement. Decretales tamen antiquę mul-  
tos titulos cōprehendunt, de quib. in alijs libris nulla fit mētio.

IVS Canonicum priuatū, sunt Statuta & consuetudines, quę  
inducuntur à Capitulis, & alijs Collegijs clericorū. Et de ijs die  
quod suprā diximus de Statutis & cōsuetudine. Et tantum de di-  
uisione Iuris Canonici.

Materia



Materia circa quam Ius uersatur, est Iustitia. Dicitur autem secundum Imperatorem hic, constans & perpetua uoluntas, Ius unicuique tribuens. Voluntas est genus. Et idem est ac si dicerem: Est habitus uoluntatis, quia iustitia comprehenditur sub illa specie qualitatis. Dico constans & perpetua, ad differentiam iniustitiæ, & aliorum uitiarum, quæ quidem sunt habitus uoluntatis, sed non perpetui, nec durabiles. Dico Ius suum unicuique tribuens, ad differentiam fortitudinis, & modestiæ, & aliorum uirtutum. Diuisionem iustitiæ in uniuersalem & particularem, Item subdiviisionem in distributiua & commutatiua, à Philosophis pete. Idem dic de causis, quia Iurisconsulti contenti sunt, tenere officia iustitiæ, nempe Ius suum unicuique tribuere. Reliqua committunt philosophis.

Iustitia.

Vbi Physicus  
cessat, ibi incipit  
Medicus.  
Vbi Ethicus  
cessat, ibi Iurisconsultus  
incipit.

Sequitur Enarratio Textus.

Ius suum unicuique tribuere. Hoc sepe negligitur, ut superius, scilicet alterum non lædere, impleatur. Exemplum: Si furiosus penes te gladium deposuerit, poscenti secundum posterius præceptum, reddere cogereris, Sed superius uerat, ne scilicet furiosus aliquem lædat.

## DE IVRE NATVRALI, GENTIVM, & Ciuili. Tit. II.

VERS. Hinc descendit maris.



Vando quæritur, cuius iuris sit Matrimonium, Respondeo de, quo ad Institutionem est Iuris diuini, quia Deus in Paradiso instituit. Quo ad coniunctionem est Iuris naturalis. Quod uero ad consensum attinet, est Iuris gentium. Et quoque Iuris ciuilibus, quo ad stipulationes, & pacta dotalia. Et postremo Iuris Canonici, Quo ad solennitates, id est, quo ad sponsalia, benedictionem sacerdotis, & introductionem ad Ecclesiam.

Matrimonium  
cuius Iuris sit.

§. Lex est, quod populus Romanus.

Differt populus à plebe, sicut genus à specie. Populus enim comprehendit Patritios, Senatores, & quoque Plebeios. Appellatione autem plebis, ueniunt tantum plebei & infimi, à Senatoribus & Patritijs separati.

§. Sed et quod Principi.

Et sic est translata potestas condendi legem generalem in Imperatorem solum. Senatus enim, Consules, Tribuni, Prætores &c. qui poterant legem generalem condere, hodie non possunt propter illam translationem.

VERS. Proponebant.

Vt de morbos animalibus, & de morbis. Datur enim tres Actio. Nota tres dicitur



ENARRATIONES IN INSTITVT.

*ri Actiones ex edicto Aedilium Curulium.* nes ex edicto Aedilium Curulium. Actio redhibitoria, qua uenditor rem uenditam recipere tenetur, intra sex menses utiles à die uenditionis. Secunda Actio est, quanti minoris, quæ datur contra uendentem rem uitiosam, uel morbosam, in tantam æstimationem, quanti minoris ex uitio uel morbo latenti res ualuit. Et ista Actio datur ad annum utilem. Tertia actio est in factum, quæ datur in uendentem, quanti interest emptoris eam rem non emptam fuisse, & durat xl. diebus. Vide totum Tit. ff. de ædilitio edicto.

§. Sed naturalia.

*Occupatio.* Hic §. sed naturalia, uidetur pugnare cum his quæ suprâ diximus de Iure gentium, quod inducit poenas & seruitutes. Et sic uidetur Ius naturale per id mutari, quia Ius naturale dicit neminem lædendum. *Solutio.* Item omnium una libertas. Sed responde: Ius naturale propterea nõ esse mutatum propter regulam, quæ habet: Inferiorem legem negligendam esse, ut superior impleatur. Præcepta autem neminem lædere, & omnes esse liberos, sunt inferiora præcepta Iuris naturalis. Superius autem præceptum est conseruare communem hominum societatem, quod adimpleri non posset, nisi illa inferiora negligerentur. Habet autem hic §. differentiam inter Ius naturale, & Ius Politium. Quod autem Ius Civile subinde mutatur, fit propter casuum circumstantias. Aliud enim iustum est in alijs casibus & alijs regionibus & temporibus. e. Non debet. extrâ, de consang. & affinit. Obseruabis quoq; Ius naturale duplex esse, Ius primæuum & secundarium. Ius naturale primæuum dicitur, quod nos suprâ diximus Ius naturale esse. Secundarium uerò dicitur Ius gentium &c. Et unum sæpe capitur pro alio indifferenter.

*Quare Ius Politium subinde mutetur.*

DE IVRE PERSONARVM. TIT. III.



IC Tit. tractat per tot. de personis. Sunt autem personæ duplices, Liberæ aut seruituti obnoxia. Liberæ sunt duplices: Ingenuæ, aut libertinæ. Et illæ aut sunt sui Iuris, aut alieni. Alieni Iuris sunt filij familiæ, qui sunt sub potestate parentum, id est, patris & aui paterni, Cuius potestatis causæ sunt tres: nuptiæ, legitimatio filij naturalis, & adoptio. Sui Iuris sunt patres familiæ, cuiuscunque ætatis sint, etiam si essent infantes, & illi sunt aut sub tutela, aut cura, aut neq; sub tutela, neque sub cura. Sub tutela sunt minores xiiii. masculi, & fœminæ minores xii. Sub cura sunt minores xxv. annis. Neq; sub tutela, neq; sub cura sunt maiores xxv. annorum. Dic ergo conditionem hominum esse duplicem: libertatem, & seruitutem.

Libertas



Libertas est naturalis facultas faciendi quod cuique libet, nisi quod *Libertatis.*  
 i aut iure prohibetur, & diuiditur in ingenuitatem, et libertinitatem.  
 Ingenui sunt, qui statim ut nati sunt, liberi sunt, ut ordine ex textu *Ingenui qui.*  
 colligemus.

Libertini uero sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Et hi erant olim triplices, Romani, Latini, Dedititij. Causae libertatis querendae non sunt. Quia libertas est iuris naturalis. Seruitus uero est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur. Explicationem huius definitionis pete ex illis quae supra circa secundum praecipuum Iuris gentium diximus, scilicet fontes punire. Causae seruitutis sunt duplices. Aut enim sunt serui de iure gentium, aut de iure Ciuili. De iure gentium fiunt duobus modis: Captiuitate & Natiuitate. Natiuitate fiunt, qui nascuntur ex ancillis nostris. Captiuitate, qui in publico iusto bello capiuntur, secundum gl. in c. Ius gentium, 1. dist. Panor. in c. sicut, extra de Iure iur. De iure uero Ciuili fiunt per uenditionem. In hac autem requiruntur quatuor copulatiue. Primo iusta aetas, scilicet xx. anni. Secundo consensus uendendi. Tertio precij participatio. Quarto notitia conditionis, ut per Iura hic in glo. allegata, in uerbo Maior. *Libertini.* *Causae seruitutis.* *De iure ciuili ubi quatuor copulatiue requiruntur.*

Causa finalis seruitutis est. Prima erat ut seruarentur. Imperatores enim captiuos uendere solebant, & per hoc seruare ne occiderentur. *Causa finalis.*

Effectus est, quod domino acquiritur, quicquid seruus acquirit. Seruus enim qui in potestate alicuius est, nihil suum habet. §. Item uobis, infra, per quas personas nob. acquirit, & infra per totum tit. de stip. seruorum. *Effectus.*

Tollitur autem Seruitus. Primo per manumissionem, quae proprie dicitur datio libertatis, quae quibus modis fiat, in textu uidebimus. Secundo, si seruus fuerit a domino institutus haeres. §. licet, cum seq. infr. quibus ex cau. manumit. non licet. Tertio, per adoptionem. Quarto, si dominus in Iudicio seruum filium nominauerit. §. fin. infr. de adoptio. Quinto, si seruus fuerit Tutor datus in testamento filio domini sui. *Quibus modis tollitur seruitus.*

## DE INGENUIS. TIT. III.

§. Sed et si quis.

Quia partus quo ad statum seu libertatem, sequitur conditionem matris, quo ad dignitatem uero & honores, sequitur patrem. l. Mulieres. C. de digni. lib. xij. & l. foemi. de Senatorib.

VERS. Sufficit autem.

Id est, mater habet tria tempora, quibus partui libertatem acquirere potest: Primum tempus est conceptionis, Secundum dicitur *Quo ad libertatem leges in*



*spicium quod  
certius est. Sed  
mater semper  
est certa, ideo  
eius conditio  
inspicitur.*

medium tempus, scilicet inter conceptionem & partum. Tertium est tempus partus. Sufficit ergo matrem uno ex istis temporibus liberā fuisse, licet reliquis duobus ancilla fuerit. Pater autē in hominis procreatione tantum unum habet tempus, scilicet conceptionis. Igitur favore libertatis, partus sequitur matrem.

*¶ Cum autem ingenuus.*

Hunc & sic intellige. Si quis fuerit habitus pro seruo, cum tamen reuera non esset seruus, & postea manumissus fuerit, quæritur an illa manumissio efficiat quod habeatur pro libertino, non ingenuo. Et deciditur quod non. Quia nihilominus ingenuus est, cum manumissio non officiat ingenuitati, si uera seruitus non præcessisset.

## DE LIBERTINIS. TIT. V.



*Libertini.*

IC titulus continet secundam speciem libertatis, scilicet libertinitatem. Et primo ponit quis sit libertinus: Item, quid sit manumissio, & unde dicatur, quot modis contingat, & quæ sit diuisio libertinorum. Dic ergo Libertinū dici cum, qui fuit in seruitute, & manumissus est. Erant autem triplices libertini. Romani, Latini, & Dedititij.

Romani libertini erant, qui cōsequebantur plenam libertatem, & fiebant ciues Romani.

Latini libertini introducti erant per legem Iuniam Norbanam, quam ferebat Rex Roma. Norbanus. Et illi erant toto tempore uitæ suæ liberi, post mortem autem fiebant serui. Ita quod bona eorum non manserunt hæredib. sed ad dominum perueniebant. Et illa libertinitas sublata est per illum tit. C. de lat. lib. toll.

*Dedititij.*

Dedititij uerō erant, qui toto tempore uitæ seruibant, post mortem autem fiebant liberi. Et peculium eorum celsit hæredibus, non autem patronis. Hoc autem introductum erat ab Aelio Sentio rege Roma, per legem Aeliam Sentiam, ab eo dictam. Et illa libertinitas quoq; est sublata per illum tit. C. de dedit. liber. toll. Et sic secundum hoc Ius tantum supersunt libertini Romani. Qui quoq; de Iure consuetudinario desierunt in usu esse. Quia hodie de Iure consuetudinario inter Christianos sublata est seruitus, & per consequens libertinitas, secundum Barto. in l. Hostes. ff. de capt. & postl. reuers. Panor. in c. sicut. extra de Iureiur. Vbi autē nulla est seruitus, ibi quoq; nulla potest esse libertinitas, quia libertinitas est quasi priuatio seruitutis, & priuatio præsupponit habitum. l. decem. ff. de uerbo. obligatio. Ergo sequitur inter Christianos de Iure consuetudinario quoq; nullos esse libertinos. Est autem certum omnes homines, qui sunt sub Romano



Romano Imperio, teneri ut sint Christiani, si non re, nomine saltem.  
l. i. C. de summa trini. & fide Cathol.

DIFFERENTIA INTER LIBERTVM  
& libertinum.

Libertus & libertinus in hoc differunt, quòd libertinus propriè dicitur *Libertus* quatenus est manumissus, & nusquã respicit, & sic est nomẽ absolutum. Libertus uerò dicitur respectu patroni, sicut enim pater & filius, dominus & seruus sunt correlatiua, ita quoq; libertus & patronus.

QVIBVS EX CAVSIS MANVMIT-  
tere non licet. Tit. VI.

**L**N præcedenti titulo dictum est de definitione & diuisione manumissionis, & libertinorum. Item, de circumstantiis, ubi, quomodo, & quando manumissio fieri debeat. In hoc autem titulo tractatur de circumstantia personarum, id est, quis manumittere possit, & sic de causa efficiente.

Possunt autem manumittere omnes, quibus non prohibetur. Prohibetur autem duobus, Primùm, illis qui non sunt soluendo, & uolunt in fraudem creditorum manumittere. Nisi manumissio fiat in testamento, & manumissus hæres instituatur. Hoc enim casu creditores nullum sentirent incommodum, Cùm seruus hæres institutus teneatur eis satisfacere, ut hæres. Secundò prohibitum est minoribus xvij. annis, nisi habeant iustas causas manumissionis, De quibus hic in tex. uel in testamento manumitterent, tunc enim satis esset adimpleuisse xiiij. annum.

VERS. *Ne iniuria defunctus.*

Non enim minus iniuria afficiendus est defunctus quàm uiuus. Qui autem iniuria eum affecerit, tenetur hæredibus Actione Iniuriarum. l. ossa. ff. de relig. & sumpt. fun. l. i. §. quoties. ff. de Iniurijs.

*Præualuisse tamen.*) Id est, prædicta uera sunt quando ex proposito manumittit, ut creditores decipiat. Animus enim & hominis intentio distinguunt facta. l. foedissimam. C. de adulterijs. Estq; hic §. sumptus ex l. in fraudem. ff. qui & à quibus. C. manumiss. & c.

*Seruus hæres institutus est.*) Id est, quòd non potest esse hæres, nisi sit liber. Ideoque intelligitur illud prius, scilicet libertas, tacitè concessum, sine quo posterius, scilicet hæredis institutio, ualere non potest.

*Aut Alumnus.*) Alumnus tam in actiua quàm in passiuua significatione capitur. Significat eum quem tu aluisti, & quoq; qui te aluit. *Alumnus* Item significat filios ex concubina natos, l. i. cum gl. C. quæ res pig. oblig. poss.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

§. Cum ergo.

Hic §. etiã hodie est correctus per §. 1. in Autentico, ut sponsa. larg. coll. 9. ubi deciditur, quòd quilibet potest in testamento manumittere, cui permissum est testamentum condere: Sed omnis adultus, id est, 14. annorum, qui est sui Iuris, postquam adimpleuit 14. annum, potest condere Testamentum, §. cum ergo. hic tit. nostro. §. præterea, cum gl. infra, quibus non est permiss. fac. Testam. Ergo sequitur quòd etiam in testamento manumittere possit, postquam adimpleuerit 14. annum.

Mediam uiam, Scilicet inter 14. & 20. uidelicet xvij.

DE IIS QUI SUI VEL ALIENI  
Iuris sunt, Tit. VIII.

Continuatio.



N titulis præcedentibus explicauimus unam personarum diuisionem, quæ partim Iuris naturalis, partim uerò Iuris gentium erat. Ea enim pars quæ ingenuitatem tradidit, propriè ad Ius naturale spectabat. Cum eo Iure omnes ho-

Alieni Iuris.

mines liberi sint. Altera uerò pars de seruitute & manumissione ex Iure regentium originem traxit. Sequitur igitur alia personarum diuisio, quòd scilicet liberi homines sunt, aut alieni Iuris, aut sui Iuris. Alieni Iuris sunt, aut sub potestate dominorum, aut sub potestate parètum, & hæc diuisio est partim Iuris gentium, partim uerò est Iuris Ciuilis. Nam ea quæ de potestate dominorum in seruos tradit, ad Ius gentiũ referenda est, altera uerò, id est, de potestate in liberos, propriè ad Ius Ciuile spectat. Et hoc Ius ex Iure ciuili originem traxit. Cum relique gentes liberos in potestate non habeant, §. Ius autem, infra de patria potest. l. Nam ciuium. ff. de ijs qui sunt sui uel alieni Iuris.

Patria potestas.

Est itaq; patria potestas Ius, per quòd filij, filia, nepotes, neptes & cæteri descendentes per lineam masculinam, patri, auo paterno, uel proauo, scilicet legitimo subiiciuntur. Dico per lineam masculinam, propter eos qui ex filiabus nascuntur. Illi enim non sunt in potestate aui materni, sed in potestate sui patris & aui paterni. Cum matres liberos in potestate non habeant, §. Fœminæ, infra de adopt. Dico legitimo, quia non omnes liberi, qui patres & auos habent, sub eorum potestate sunt, sed tantum illi qui legitimos habent parentes. Ad hoc ergo ut intelligas qui liberi propriè sint in potestate pa-

Fœminæ liberos in potestate non habent.

Quinq; species liberorum.

rentum, dic, quòd quinque sunt species liberorum: Primò naturales & legitimi, qui scilicet ex iustis nuptijs procreati sunt, de quibus dicemus in tit. infra de nupt. Secundò legitimi tantum, ut liberi adoptiui, de quib. infra in tit. de adopt. Et illas duas species habent patres

in



in potestate. Tertio sunt naturales tantū, qui scilicet nati sunt ex cōcubina, uel ex duab. liberis personis, extra matrimoniū, inter quas tamen matrimonium potest consistere, Et illi nō sunt in patria potestate, nisi legitimantur. Legitimatō autē fit trib. modis. Primò per subsequens matrimoniū, c. 1. & c. tanta est uis. extr. q. filij sint legit. Secundo per dationē curiæ. §. fina. infr. de nupt. Quibus connumerari, infr. de hered. quę ab intest. defer. Tertio p̄ rescriptū Principis, uel comitis Palatini. Quarta species filiorum dicuntur spurij, qui scilicet ex scorto publico nati sunt, incertos patres habētes, quos uocāt, uulgo cōceptos. Quinta species est illorum, q̄ ex incestuoso coitu nati sunt, ut ex ascendētib. & descendētib. item ex collateralib. proximis; Et illę duę species quoq; nō sunt in potestate parentum. Nec possunt legitimari regulariter, nisi legitimatio fieret per rescriptum principis de plenitudine potestatis. Per subsequens autē matrimoniū legitimari nullo modo possunt. Vide Bal. in l. si qua illustr. C. de S. C. Or.

Legitimatō  
quot modis  
fiat.

CAUSAE patriæ potestatis tres sunt: Prima est legitimū matrimonium, de quo infrā de nuptijs. Secunda legitimatio filij naturalis. §. fin. infrā de nupt. Tertia est adoptio, ut infr. de adopt. in principio.

Causæ patriæ  
potestatis 3.

EFFECTVS uerò patriæ potestatis sunt: Primū, quod patri acquiritur plenum dominiū in bonis profectitijs filij familiās, administratio quo ad usufructum in bonis aduentitijs. §. Igitur liberi. infrā, per quas perso. nob. acquir. l. 1. & 2. C. de bo. mater. Secundo quod filius familiās non potest regulariter patrem in Ius uocare, etiā cum uenia iudicis. l. fin. C. de in Ius uoca. Tertio quod filius familiās nō potest cōtrahere neq; agere suo nomine, nisi ad ea quę ex castrensi, uel quasi castrensi peculio proueniūt, ut colligitur ex glos. in uerbo, dignitatem. in l. si longius. §. si filius familiās. ff. de iud. Quarto quod filius familiās nō potest Testamentum condere, nisi in castrensibus, uel quasi castrensibus peculijs, ut infrā, quibus non est permiff. fac. test. & §. fin. infrā de milit. test. Reliquos effectus patriæ potestatis, uide §. Ius autē. in glos. in uerbo, in Ius. infrā de patr. potesta.

Soluitur autē Ius patrię potestatis sex modis: Primò morte naturali patris, uel aui paterni &c. Secundo morte ciuili, quando scilicet pater prop̄ aliquod malefactum deportatur, uel est bannitus. Intellige tamen, quod auus paternus prius fuerit mortuus. Tertio, dignitate patriciatus. Illa .n. dignitas summa erat post Cæsarem. Idem dic, si filius fa. eligi in episcopū. Quarto, si pater fuerit captus ab hostib. sed dum patria potestas est tantū in pendent.

Quibus modis  
soluitur Ius patrię  
potestatis.

Patriciatus.



*Contrariorum eadem disciplina.*

*Quæ persone sint sui iuris.*

*Qui sui iuris sunt triplices.*

*Sub tutela.*

*Neq; sub cura, neq; sub tutela.*

*Summaria huius tituli.*

dentis & suspensio, nec penitus sublata, Quia pater ex seruitute rediens iure postliminii acquirit pristinam suam potestatem. Quinto emancipatione. Sexto adoptione aui. Et sic habes qui sint alieni iuris, uide licet filij sub potestate parentum, & serui sub potestate dominorum. Ex quibus facile cognosces atq; intelliges, qui sint sui iuris. Contrariorum enim eadem est disciplina. Sunt itaq; omnes personæ sui iuris, exceptis seruis, & filijs familiars. Et uocantur patres familiars, siue puberes sint, siue impuberes. Sicuti filij fami. dicuntur omnes, qui sunt sub potestate parentum, cuiuscunq; tandem ætatis sint. l. Nam ciuium. ff. de ijs qui sunt sui uel alieni iuris. Patres familiars autem siue illi qui sui iuris sunt, sunt aut sub tutela, uel cura, aut neq; sub tutela, neq; sub cura. Sub tutela sunt masculi usq; ad 14. annum, feminae usq; ad xij. & uocantur impuberes, siue pupilli. Deinde adulti siue puberes à xiiij. anno usq; ad xxv. annum, sub cura sunt & uocantur minores. Ab anno uero xxv. & ultra, neque sub tutela, neque sub cura sunt, & uocantur Maiores. Tunc enim personis ac rebus suis ipsi præsumunt, nisi sint prodigi, aut furiosi, quibus quoq; dantur Curatores. Quid autem sit tutela uel cura, Item quotuplices sint, uidebimus infra suo loco.

Hic titulus tractat primam speciem secundæ diuisionis, scilicet, de potestate dominorum in seruos. Quæ cum de iure gentium satis dura, & intolerabilis sit, per ius ciuile est aliquo modo restricta & limitata, ne domini quacunq; de causa in seruos sequiret, & hoc ideo, quia Reip. interest, ne quis re sua malè utatur.

*Qui ad ædem sacram.* Quid hodie iuris sit, si delinquens ad sacram ædem fugit, uide in l. fidei, & in l. præsentis, C. de ijs qui ad eccle. con fug. c. inter alia. extra de immu. eccle.

DE PATRIA POTESTATE. TIT. IX.



In hoc titulo traditur altera species subdiuisionis supra traditæ, scilicet patria potestas. Et definitur prima & præcipua causa patriæ potestatis, scilicet matrimonium. Deinde addit causam efficientem patriæ potestatis, uidelicet ius ciuile, & ponit quædam exempla.

DE NVPTIIS. TIT. X.



VM in causis matrimonialibus sint uaria iura, quæ circa gradus consanguinitatis & affinitatis, Item circa diuortia ubique non conueniunt, primum omnium necesse iudicamus, de huiusmodi constitutionibus pauca præmittere, ut constet secundum quæ iura nostro tempore causæ matrimoniales tractandæ & iudicandæ sint.

Sunt



Sunt itaq; quinque Iura, quæ ad decisiones causarum matrimonialium allegari possunt. Primum Ius est consuetudo quæ ante legem Moisi extabat. Secundum est Ius Mosaicum. Tertium est Ius Civile. Quartum est Ius noui Testamenti. Quintum est Ius Canonicum.

DE PRIMO IVRE, DE CONSVETVDINE  
scilicet, quæ ante legem Moisi fuit,

**P**RIMUM itaq; de consuetudine ante legem Moisi dicemus. Erat autem illa consuetudo Ius, quod permittebat nuptias in primo gradu consanguinitatis & affinitatis. Nam secundum illam consuetudinem, Abraham duxit Saram, quæ soror consanguinea eius erat, hoc est, ex eodem patre, et duabus matribus nata. Quia Genes. 20. Abraham dicit Saram esse sororem suam, ex eodem patre, non autem ex eadem matre, licet interpretes ibi exponant sororem pro fratris filia. Cum Abraham Genes. 12. Loth quoq; uocauerat fratrem suum, & tamen filius fratris erat, Genes. 11. Secundò, secundum illam consuetudinem duxit Iacob simul duas sorores, ut Rachel & Liam, Genes. 29. Cum tamen Rachel ipsi Iacob in primo gradu affinitatis primi generis propter Liam sororem, quæ Iacob uxor erat, iungebatur. Sed hæc consuetudo nihil ad nos, quia Ius Mosaicum, civile & Canonicum expressè illos gradus prohibuerunt. Nam si Sara fuit soror consanguinea Abrahamæ, prohibitus est is gradus per Moisen, Leuit. 18. his uerbis: Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, non reuelabis. Et de Iure Ciuili in §. inter eas. infra de nupt. Et de Iure Canonico in c. Non debet, de consang. & affinit. Si autem fuit fratris filia, ut interpretes uolunt, per legem Moisi, is gradus Leuit. 18. non reperitur prohibitus. De Iure tamen ciuili & Canonico prohibitus est, §. fratris. infra de nupt. d. c. Non debet. de consang. & affi. Exemplum autem Iacob cum duabus sororibus expressè per Moisen Leuit. 18. prohibitum est, nec unquam per Ius Positiuum tales nuptiæ permissæ sunt. Ideo hæc consuetudo nihil ad nos, nec hæc exempla in consequentiâ trahenda.

DE LEGE MOISI.

**S**ecundum Ius diximus esse legem Moisi. Permittebantur autem nuptiæ per Moisen inter consanguineos post primum gradum, & inter affines in primo gradu. Quia filiam fratris ducere licebat, Cum inter consanguineos hæc



ENARRATIONES IN INSTITVT.

hæ personæ tantum fuerint prohibitæ, ut ascendentes & descendentes. Item collaterales proximi, ut frater, soror, siue consanguinei, siue uterini sint, siue ex utroque parente. Item amita, matertera, patruus, auunculus. Ideo sequitur quod fratris filiam ducere licebat, licet non planè sit in secundo gradu. Fratrum autem & sororū liberi hoc iure sine dubio coniunguntur. Inter affines aut quocq; tantum proximiores prohibeantur, ut nouerca, uxoris filia, uxoris neptis, uxoris soror, auunculi uel patruī uxor. Reliquæ personæ sunt permissæ hoc iure, de quibus omnibus habes Leuit. 18. Expresse autem hoc mandatum erat: Si frater decedebat sine prole, relicta uxore, tenebatur frater superuiuens relictam fratris ducere, & semen mortui suscitare. Deut. 25. Et tamen erat in primo gradu affinitatis. Et tantum de gradibus consanguinitatis et affinitatis secundum legem Mosi scriptam.

Circa diuortia autem hoc ius quoq; habet speciales constitutiones. Nam Deut. 24. expresse habetur, Quod maritus poterit dimittere uxorem ex quacūq; causa, & ei dare libellum repudij. Et tantum de lege Mosi scripta.

πολυγαμία.

Erat autem ante Moysen, & tempore Moysi, & post Moysen quoque consuetudo, quæ πολυγαμίαν permittebat, Sicuti extant multa exempla, ut Iacob, Dauidis, Salomonis, & qui simul plures habuerunt uxores. Sicuti autem nos consuetudinē, quæ ante legem Mosi extabat, in causis matrimonialibus non sequi debemus, Ita nec legem Moysi, siue consuetudinē illius temporis amplecti tenemur. Primum ideo quod Christus ipse πολυγαμίαν, & ea quæ Moyses de diuortijs & libello repudij tradidit, sustulit. Nam Matt. 19. Christus Phariseis de libello repudij ex quacūque causa interrogantibus, ita respondit: Moyses ad duritiā cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem uobis, quod quicūq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationē, & aliam duxerit, mœchatur. Et per illam ipsam sententiā Christus quoq; improbat πολυγαμίαν, quæ licita erat tempore Moysi, cum dicit: Quicūque dimiserit uxorē suam, & aliā duxerit, mœchus est. Item tollitur πολυγαμία per Pauli sententiam, 1. Cor. 7. Vir sui corporis potestatem non habet, sed uxor, Igitur is qui uxorē duxit, illi soli alligatus est, nec potest se alij obligare. Secundò quod Moyses in causis matrimonialibus nos non liget, probatur. Nam sicuti alia Iudicialia Mosaica nihil ad nos pertinet, ita nec illa, quæ de matrimonijs disponunt. Ideo nos sequi debemus leges presentium magistratuū, ut Cæsaris, & quod Cæsar nos remittit. Certum est autem, quod ius ciuile quoque prohibet quasdam nuptias, quas Moyses



Moses permittebat, ut inter me & fratris mei filiã. & fratris ueræ. Instit. de nupt. Item inter me et relictam fratris mei. l. fratris. C. de incest. & inutilib. nupt. Ideo lex Moisi & consuetudo sui temporis de matrimonijs disponentes, ad nos quoq; non pertinet.

## DE IVRE CIVILI.

**T**ERTIVM Ius quod de causis matrimonialibus disponit, est Ius civile. Prohibetur aut per hoc Ius iudicis gradus, qui supra per consuetudinem ante legem & per ipsam legem Moisi prohibiti erant. Prohibentur autem & alia quedam, quæ de lege Moisi & consuetudine permessa erant. licebat enim de lege Moisi ducere fratris filiam, ut colligitur Leuit. 18. Is gradus de Iure civili prohibitus est, ut & fratris uerò. hic tit. nostro. Item de consuetudine, ut diximus, licebat Iudeis plures habere uxores, quod hoc Iure quoq; prohibitum reperitur. l. Eum qui duas. C. de adult.

Sunt aut in hoc Iure potissimum duo consideranda. Primum est quod permittit nuptias in secundo gradu consanguinitatis, ut inter liberos duorum fratrum, uel duarum sororum. & duorum, hic tit. nostro. l. si neptem. ff. de ritu nupt. Et sic post Moysen, Ius civile restrinxit matrimonia per unum gradum. Secundum est, quod Ius civile diuortia permittebat multis ex causis. Nam in & distrahuntur, in Autentico de nuptijs. col. 4. enumerat Imperator uarias causas, propter quas matrimonia legitime contracta distrahuntur. Sed tamen is & uidetur correctus, per & prædictis itaque causis, in Autentico, ut liceat matri & auia. collat. 8. Sed tamen de illo Iure nouissimo quoq; extant multæ causæ diuortij.

## CAUSAE DIVORTII DE IVRE NOUISSIMO.

**P**RIMA est si alter ingressus fuerit religionem. & quia uerò ex consensu, in Autentico, ut liceat matri & auia. Secunda est impotentia coeundi. Tertia est captiuitas. d. & prædictis itaque causis. Sed hoc Ius in causis matrimonialibus quoque non est considerandum, cum in nouo Testamento quedam uideantur expressè sublata, præsertim ea quæ de diuortio dicta sunt. Nam Christus Matt. 19. dicit: Ego aut dico uobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mæchus est; per quam sententiam reliquæ causæ diuortij sublatae sunt, præcipue ea quæ de captiuitate disponit, licet Ius civile quoq; non distinguat in captiuitate, scilicet, utrum constet an coniux in captiuitate redacta, uiuat, & tunc non permittatur alteri aliud matrimo-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

nium. Si uerò dubium fuerit an uiuat, expectetur per quinquenni-  
um, & postea permittuntur nuptiæ. §. sed etiam captiuitatis. uers. si  
uerò incertum, in Autentico de nupt. collat. 4. Cùm ergo Ius ciuile  
& nouum Testamentum circa diuortia non uidebantur conuenire,  
per Christianos Imperatores, causæ matrimoniales ad cognitionem  
Episcoporum reiectæ sunt, ut ipsi secundum ea, quæ in nouo Testa-  
mento disposita sunt, iudicent. De alijs uerò casibus in nouo Testa-  
mento omiſsis, condant rationabiles Canones, secundum quos in cau-  
sis matrimonialibus decideretur. Canones autem prohibent quoq;  
secundum gradum in nuptijs, quem leges permiserunt. c. Non debet.  
extrà, de consang. & affinit.

Nota autem obiter, quòd omnes casus, qui de consuetudine ante  
legem Moisi, item per ipsam legem Moisi, & per Ius Ciuile prohibiti  
erant, etiam de Iure hodierno omnes prohibiti sunt. Non enim ex-  
tat aliquod exemplum, quòd Ius Canonicum permiserit gradum,  
qui prius prohibitus fuerit. Econtrà autem de Iure hodierno mul-  
ta sunt prohibita, quæ prius permissa erant, ut uides de Polygamia,  
Item, de Diuortijs. Item circa gradus consanguinitatis & affinita-  
tis, in quibus hodie nuptiæ prohibitiæ sunt, usque ad quartum gra-  
dum inclusiue. d. c. Non debet. extrà de Consanguinitate & Affi-  
nitate.

Hodie prohibi-  
te sunt nuptie  
usq; ad quartu  
gradum inclu-  
siue.

Quartum Ius, est Ius noui Testamenti, sed de hoc Iure, quod ad  
gradus consanguinitatis & affinitatis attinet, nihil disponitur. Sed  
tantum habetur in eo, quod ad diuortia attinet.

Cause diuortij  
Matt. 19.

Enumerantur enim duæ causæ Diuortij. Prima est adulterium,  
de quo Matthæi decimo nono capite. Secunda est, Si alter ex con-  
trahentibus infidelis fuerit, & noluerit habitare cum fidei, sed di-  
scesserit, permillum est fidei iterum nubere. De hac causa habes  
priore Corinth. septimo. Hoc tamen sic intellige, non quòd hodie  
liceat Christiano ducere Iudæam, uel Turcæ alicuius filiam, cùm  
sponsus & sponsa debeant esse eiusdem Religionis. Sed ita intelligen-  
dum est, quòd temporibus Apostolorum sæpe alter ex coniugibus  
conuertebatur ad Christum, altero infideli manente. Illi poterant co-  
habitare, si uolebant. Si autem infidelis non uolebat, sed discedebat,  
fidelis non erat ligatus.

DE QVINTO IURE, SCILICET  
Canonico.

QVINTVM Ius, est Ius Canonicum. Hoc autem Ius in certis  
quibusdam casibus omnia Iura suprâ dicta mutat. Primum  
autem mutat consuetudinem, quæ ante legem Moisi extabat, prohi-  
bendo



bendo scilicet matrimonia inter affines, usq; ad quartum gradum inclusiuè. c. i. de Consanguinitate & affinitate: per quam constitutionem prohibitæ sunt nuptiæ duarum sororum, simul & separatim. Et de hoc est quoque text. in c. qui dormierit. cum similib. 27. quæstio. ij. Deinde sustulit quoque Polygamiam, quæ hæc consuetudine permessa erat, de qua xxviij. quæ. ij. & iij. per totum. c. si quis fuerit. 32. q. 7. c. gaudemus. de diuor. & l. cum qui duas. C. de adulte. Secundo mutauit quoq; legem Moisi, in eo quod prohibuit ducere relictam fratris, siue sponsa, siue uxor fuerit. c. si quis desponsauerit. xxviij. q. ij. c. fin. de Diuortijs. Item quod diuortia fieri non permittit, nisi ex quatuor causis, de quibus infra. Cum tamen de lege Moisi, ex quacumq; fieri non poterat, ut supra diximus. Tertio mutauit quoque Ius Ciuile, in eo quod prohibuit matrimonia inter Consanguineos, usq; ad quartum gradum inclusiuè. c. finali de Consanguinitate & affinitate, per quod sublatum est Ius Ciuile, permittens nuptias inter filios fratrum & sororum. Item, in eo quoq; mutauit, quod non dirimit matrimonia liberorum sine consensu parentum contracta. c. Sufficiat. xxviij. quæstio. ij. Quarto mutauit quoq; Ius Noui Testamēti, in eo scilicet, quod Episcopis, Presbyteris, & Diaconis matrimonia interdixit, ut per totum titulum de Cleric. coniug. quum tamen illa matrimonia de Iure Noui Testamēti, & ueterum Canonum licita sint. Sicuti ex dispositione & Exemplis sacræ scripturæ probari potest. Nam Paulus priore ad Timotheum tertio, ita inquit: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum. Et in eodem capi. addit: Diaconi sint unius uxoris uiri & c. Idem habes ad Titum capite primo. Præterea extant exempla. Quia Matthæi octauo hæc uerba habentur: Ut quum uenisset Iesus in domum Petri, uidit soerum eius iacentem & febricitantem. Vnde colligitur, quod uxorem habuerit. Et quod Apostoli uxores habuerint, colligitur quoque ex capite nono prioris Epistolæ ad Corinthios, ubi dicit: Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierculam circumducendi, sicut & ceteri apostoli? Et quod idem obseruatum sit in primitiua ecclesia, probatur per textum in c. Nycena, 31. distinct. Et ex multis historijs colligi potest. Hæc autem postea per Ius Canonium mutata, & sublata sunt, ut in titulo de Cleric. coniug. Et in multis alijs locis.

Quum ergo nunc quinque extent Iura de Matrimonijs disponētia, & inter se non conuenientia, dubitari poterit, quod nam ex eis debeat seruari in illa diuersitate. Et supra quidem dictum est, consuetudinem ante legem Moisi seruandam non esse, quia per Moisen sublata est. Et postea lex Moisi per Ius Ciuile quoque mutata, & Im-

Ius Canonium  
mutauit quoq;  
Ius Ciuile.

Matrimonia sã  
cerdotum sunt  
licita.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

peratores ipsi in causis matrimonialibus à iure Ciuili recesserunt, eas que ad cognitionem Episcoporum reiecerunt, sequitur quòd in causis matrimonialibus extent tantum duo iura usitata, ius scilicet Noui Testamenti, & ius Canonicum.

*Quòd ius seruandum sit in causis matrimonialibus.*

*Ius Canonicum quatenus seruandum sit.*

Sed certum est, quòd ius noui Testamenti Canonibus non cedit. Igitur concludere primùm, quòd ius noui Testamenti in casibus in eo decisis, simpliciter sine aliqua limitatione siue mutatione seruandum sit. Sed ex eo tantum causæ diuortij iudicari possunt, & pro parte quidem, ut Matthæi 19. & 1. Corinth. 7. De alijs autem casibus, ut de gradibus consanguinitatis & affinitatis, nihil dispositum est. Seruatur itaq; in alijs casibus in nouo testamento non decisis, ius Canonicum. Et hoc ex duab. causis. Primùm ideo, quòd Cæsar, cuius subditi sumus, & cui tenemur parere, seipsum & nos in causis matrimonialibus subiecit. Secundò, quòd est ius usitatum, & à multis seculis ex longissima experientia introductum & obseruatum. Quare seruandum est, quatenus non pugnat cum iure Noui Testamenti, pugnat autem cum eo in matrimonijs sacerdotum, ut dictum est. Ergo in hac parte nõ est seruandum. l. Nam magistratus. ff. de arbitris. c. Sunt quidam. 25. q. 1. & in hoc casu sine dubio pugnat cum iure Noui Testamenti.

Sunt autem & alijs casus, in quibus ius Canonicum dicitur pugnare cum nouo Testamento, sed non sine controuersia, ut in illis quæstionibus, utrum post diuortium propter adulterium, innocenti liceat, altera parte uiuente, contrahere matrimonium. Item, utrum sola desertio coniugis sine adulterio, sit causa diuortij. Sed de his quæstionibus infra dicemus. Et nunc tractationem causarum matrimonialium, secundum ius usitatum, aggrediemur.

Quia autem causæ matrimoniales non possunt intelligi sine cognitione linearum & graduum, propterea premittemus primùm de Arbore Canonica.

DE ARBORE CANONICA



ARBOR Canonica primùm est excogitata, ut esset quædam demonstratio ad oculos, secundum quam personarum distantia, mutuò inter se discernerentur. s. Agnationis. infra de arbore consanguinitatis. Est autem arbor duplex, Ciuilis, & Canonica.

*Arbor ciuilis.*

Arbor ciuilis est, quæ pertinet ad successionem & tutelas. l. Iuris. consultus. ff. de grad. affinit. Et de hac arbore hic nihil dicemus, sed infra. in tit. de arbore consang.

Arbor



Arbor uerò Canonica est, quæ spectat ad matrimonia. c. Ad se-  
dem. 35. quæst. 5. Est autem illa arbor duplex: Arbor consanguini-  
tatis, & arbor affinitatis. De arbore consanguinitatis primùm dice-  
mus.

Arbor Canonica.

DE ARBORE CONSAN-  
guinitatis.



ICITVR autem consanguinitas, uinculum personarum  
ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione  
contractum. Et dicitur consanguinitas, quasi sanguinis  
unitas.

consanguinitas.

Consideranda autem sunt in arbore duo, scilicet Linea, &  
Gradus.

Linea dicitur collectio personarum, ab eodem stipite descenden-  
tium, gradus continens, & numeros distinguens. Et est triplex, linea  
ascendentium, descendendum, & collateralium, l. 1. ff. de gradibus  
affinitatis. c. 1. 35. quæstio. v. Linea descendendum est, quando nume-  
ramus à patre ad filium, à filio ad nepotem, à nepote ad pronepotem,  
& sic deinceps. Ascendentium Linea est, quando numeramus à fi-  
lio ad patrem, à patre ad auum, ab auo ad proauum, & deinceps. Col-  
lateralium uerò est, quando numeramus fratres & sorores, & ulte-  
riores quoq;. Et illa subdiuiditur in lineam æqualem, & inæqualem.  
Aequalis linea est, quando gradus æquè distant à communi stipite,  
ut frater & soror æquè distant à communi stipite. Item, patruelles &  
consobrini à communi stipite. Inæqualis est, quando quædam per-  
sona alias gradu præcedit, ut quum quæritur de fratre, & fratris  
præmortui filio. Item de consobrinis & sobrinis. Quia frater præ-  
cedit gradu fratris filium. Et consobrini gradu præcedunt sobrinos.  
Igitur sunt in linea inæquali.

Linea quid.

Gradus uerò est habitudo distantium personarum, qua cogno-  
scitur quota agnationis uel cognationis distantia, duæ personæ in-  
ter se differunt. Et dicitur gradus, ad similitudinem scalarum, gra-  
dum, siue locorum procliuium, quia ita gradimur de proximo ad  
proximum. d. l. Iurisconsultus. ff. de gradi. affinit.

Gradus.

NUNC DICEMVS DE REGVLIS, EX  
quibus gradus discerni possunt.



PRIMUM non est necesse tradere regulam de ascenden-  
tibus & descendibus. Quia inter illas personas nu-  
ptiæ in infinitum sunt prohibitæ. Ergo non omnes hic  
tit. nostro, propter sequentes tamen regulas intelligen-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

das dic hanc esse regulam in ascendentibus & descendentibus.

PRIMA REGVLA DE ASCENDENTIBUS & DESCENDENTIBUS.

Tot sunt gradus, quot sunt personæ, connumeratis intermedijs, una dempta, ut auus & nepos sunt in tertio gradu. Et hoc ideo, quia pater & filius censentur una persona. Dicemus itaque de collateralibus. Et de ijs extant duæ regulæ.

SECUNDA REGVLA DE COLLATERALIBUS IN LINEA ÆQUALI.

Quoto gradu utraque persona distat à communi stipite, eodem gradu etiam inter se distant, ut exemplum: Patruelles & consobrini distant à se mutuò in secundo gradu, quia numerando ad stipitem, quælibet distat ab eo in secundo gradu, Item sobrini inter se distant tertio gradu, quia quælibet persona distat à stipite tertio gradu. Ita filij sobrinorum distant à se inuicem quarto gradu, quia quælibet earum quarto gradu distat.

TERTIA REGVLA DE COLLATERALIBUS IN LINEA INÆQUALI.

Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem gradu distant inter se, c. ult. extrà de consang. & affinit. Exemplum: Patruelles et sobrini sunt in tertio gradu, quia sobrini sunt remotiores, & distant à stipite tertio gradu. Ergo & à patruelib. eodem gradu distant, licet patruelles sint tantum in secundo à stipite. Aliud exemplum: Nepos Petrutij distat à filia patruis quarto gradu, quia tot sunt personæ usq; ad stipitem.

DE ARBORE AFFINITATIS.

*Affinitas.*



**A**FFINITAS secundum leges est personarum proximitas, proueniens ex iustis nuptijs. Dico ex iustis nuptijs, quia ex interdictis et illicitis nuptijs de iure civili non contrahitur affinitas. l. Non facilè. §. Affines. & §. sciendum. ff. de gradibus affinit. Secundum Canones uerò est personarum proximitas ex quocunque coitu proueniens, omni carens parentela. Et de illa affinitate loquimur hic. Et dicitur affinitas, quasi duorum ad unum finem unitas, eò quòd cognationes diuersæ, uel per nuptias uel alioqui per coitum copulantur.

*Duobus modis  
contrahitur  
affinitas.*

Contrahitur igitur affinitas duobus modis: Primò per legitimas nuptias. Secundò per coitum extra matrimonium, siue sit licitus, siue in-



ue incestuosus. c. discretionem. c. penult. extrà, de eo qui cogno. con-  
sang. uxor. suæ. Per nudam autem desponsationem, nondum secuta  
copula carnali, non est contracta affinitas, sed publica honestas, que  
quoque impedit matrimonia, ut infrà dicemus.

Sunt autem tria genera affinitatis. Primum est, quod mediante u-  
na persona contrahitur. Persona enim addita personæ, mutat genus *Tria genera*  
attinentiæ, non autem gradum. Exemplum: Ego & frater meus su-  
mus consanguinei in primo gradu consanguinitatis, frater meus du-  
cit uxorem, illa est persona addita per copulam carnis, & mutat ge-  
nus, id est, alio genere attinet mihi, quia uxor est affinis, frater autem  
consanguineus, gradum autem non mutat: sicuti enim frater est mihi  
in primo gradu consanguinitatis, ita uxor eius est mihi iuncta in  
primo gradu affinitatis. Et hoc genus habet tantum prohibitio-  
nem in matrimonijs usque ad quartum gradum. Reliqua duo gene-  
ra matrimonia non impediunt.

Secundum genus affinitatis est, quando primo generi est addita a-  
lia persona per carnis copulam. Exemplum: Vxor fratris mei est mihi *Secundum ge-*  
in primo genere affinitatis iuncta, mortuo fratre meo adde eius reli-  
ctæ uiduæ alium maritum, & is erit mihi affinis in secundo genere.  
Aliud exemplum: Soror mea habuit maritum, qui est affinis meus in  
primo genere, ea mortua, maritus eius aliam accepit, quæ est mihi in  
secundo genere, & tamen in primo gradu, ibi marito mortuo, eius re-  
lictam ducere possum.

Tertium affinitatis genus est, quod constituitur mediantibus tri-  
bus personis. Persona enim secundo generi per carnis copulam adie-  
cta constituit tertium genus. *Tertium.* Exemplum: Relicta fratris mei uxor,  
que mihi est in primo genere affinitatis, post eius mortem nupsit Ga-  
io, qui est mihi in secundo genere, ipsa decessit, Gaius autem aliam dux-  
it, & illa est mihi in tertio genere affinitatis. Iam quæritur, utrū mor-  
tuo Gaiō liceat mihi ducere relictam eius, et deciditur quod sic. Quia  
secundum & tertium genus hodie non impediunt matrimonia. c.  
Non debet. extrà, de consangu. & affinit. Primum enim genus tan-  
tum obstat nuptijs, in quo contrahitur affinitas inter sponsum & cō-  
sanguineas sponsæ, & uicissim inter sponsam & consanguineos spō-  
si, inter consanguineos autem sponsi & spōsæ nulla est affinitas, que  
nuptias impedit. Hinc est quod pater & filius possunt ducere ma-  
trem & filiam (scilicet si uidua extat quæ habet filiam, & uir qui ha-  
bet filium.) Et duo fratres possunt ducere duas sorores. c. quod su-  
per his. extrà de consang. & affinita. Et ita secundum & tertium ge-  
nus affinitatis regulariter matrimonia non impediunt, sed tantum pri-  
mum genus. Subijciemus ergo in primo genere affinitatis regulas.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
PRIMA REGVLA IN PRIMO  
genere Affinitatis.

In affinitate propriè non est gradus, sed computantur personæ à consanguinitate contrahentium, ut consanguinei uxoris quoto gradu sunt ipsi uxori iure consanguinitatis, eodem quoque gradu sunt ipsius marito iure affinitatis. Et econtrà, consanguinei mariti quoto gradu sunt ipsi marito iure consanguinitatis, eodem quoque gradu affinitatis sunt ipsi uxori. Exemplum: Frater mariti est marito iunctus in primo gradu consanguinitatis, Ergo ipsius uxori in primo gradu affinitatis iunctus est. Aliud: Neptis fratris uxoris est ipsi uxori in tertio gradu iure consanguinitatis, Ergo ipsius marito in tertio gradu affinitatis est.

SECVND A REGVLA.

Sicuti consanguinitas usq; ad quartum gradum inclusiue impedit matrimonia contrahi, Ita quoq; affinitas usq; ad quartum gradum, d. c. Non debet. extrà, de consanguinit. & affinit. Exempli causa. Si Titius duceret uxorem, quæ moreretur, quæritur utrum defunctæ consanguineam denuò possit ducere. Et responde, quòd non usque ad quartum gradum. Quia affinitas est perpetuum impedimentum, quod durat etiam mortua persona, mediante qua contrahitur. c. fraternitatis. 35. q. 10. Nunc de nuptijs dicemus. Et primùm de sponsalibus.

DE SPONSALIBVS.

*sponsalia quid.*



VNT autem sponsalia mentio & repromissio futurarum nuptiarum. c. Nostrates. 30. q. 5. Et habet nomen à spòdendo. Quia ueteres de futuris nuptijs spondebant, inde uenit sponsus & sponsa. Quæ autem requirantur ut sponsalia ualeant, uedebimus de matrimonijs, Eadem enim quæ in matrimonijs requiruntur, ferè etiam in sponsalibus adhibenda sunt. Sunt autem sponsalia duplicia, de futuro, & de præsentì.

*sponsalia de futuro.*

Sponsalia de futuro dicuntur tractatus de futuris nuptijs celebrandis, ut cùm adolescens dicit puellæ: promitto tibi, quòd te ducam in uxorem, Per illam promissionem nuptiæ non sunt contractæ, sed tantùm sponsalia de futuro. Sicut in simili dicitur: Promitto tibi quòd emam à te domum tuam. Per hæc uerba emptio non est celebrata, sed tantùm tractatus de futura emptione celebranda, quando scilicet conuenitur de merce & precio. Ita quoque nuptiæ non sunt contractæ per hæc uerba: Promitto tibi quòd te capiam, quia hoc est tantùm de futuris nuptijs, & ueræ nuptiæ postea contrahuntur



trahuntur per consensum de præsentī, de quibſtis in c. penult. extrà de sponsalib. Et licet uideatur, quòd germanica lingua illam differentiam non admittat, tamen si quis obseruet, poterit idem in germanica lingua intelligere. Sæpe enim fit, quòd adolescentes differūt, ubi interrogantur, uel à puella, uel ab eius cognatis, quid sit facturſ, an uelit eam ducere, Adoleſcēs respondit: Promitto quòd eam accipiam, uel promitto tibi, quòd te accipiam, tantum est tractatus de futuris ueris nuptijs celebrandis. Et sic uides sponsaliorum de futuro causam esse consensum per uerba de futuro. d. c. penult. extrà de sponsalib.

EFFECTVS sponsaliorum de futuro sunt: Primò, quòd ea pars *Effectus sponsaliorum de futuro.* per quam stat, quo minus sponsalia deducantur ad matrimonium, tenetur ad duplum arræ, si data est arra. l. Mulier, in principio. C. de sponsalibus. Secundò quòd secuta copula carnali, efficiunt perfectum matrimonium. c. Is qui, extrà de sponsalib. Tertiò consanguinei sponsi nō possunt ducere sponsam, & econtrà. Quia licet affinitas contracta non sit, si copula non accessit, publica tamen honestas contracta est. c. ad audientiã. & c. sponsam alterius. extrà de sponsalib.

Soluuntur autem sponsalia de futuro: Primò dissensu utriusq; partis, & quoq; de Iure Ciuili dissensu parentum. c. præterea, extrà de sponsalib. l. in potestate. ff. de sponsal. Secundò si spōsus in terram longinquam se contulerit, & per triennium abfuerit, ita quòd sponsa alteri nubat. c. de illis. extrà de sponsa. l. liberū. C. de repudijs. Tertiò si superueniunt sponsalia de præsentī cum alio uel cum alia. c. sicut ex literis. extrà de sponsalib. Quarto per affinitatem superuenientem. c. super eo. extrà de consangu. & affinita. Et tantum de sponsalibus de futuro.

Sponsalia de præsentī dicuntur, quando de præsentibus nuptijs tractat, & contrahentes per uerba de præsentī consentiūt, *Sponsalia de præsentī.* ut dicendo: Promitto tibi quòd sis uxor mea. Item, tractabo te tanquam uxore meam. Item, nemo nos separabit, excepta morte &c. Et illa sponsalia propriè dicuntur matrimonium, nec interest inter illa sponsalia & matrimonium, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat. l. Nuptias, ff. de reg. Iur. Nunc itaque de nuptijs dicemus.

## DE NVPTIIS.

**N**VPTIÆ autem siue matrimonium est maris & foeminae coniunctio legitima, indiuiduã uite consuetudinē, diuini humaneque Iuris communicationē continens. Dico legitima, ad differentiam



ENARRATIONES IN INSTITVT.

*Hec clausula  
diuini atq; hu-  
mani iuris etc.  
additur ad dif-  
ferentiam con-  
cubinatus, quia  
eandem affecti-  
onem non po-  
test quis habere  
ad concubi-  
nam. Vid. glo.  
in uerbo indiui-  
duam. Inst. de  
patr. potest.  
Vxor sequitur  
forum mariti.  
Cōubernium.  
Matrimonia  
duplicita.  
Matrimonia  
clandestina.*

rentiam scortationis. Dico indiuiduam uitæ consuetudinem; Quia non separant nisi morte, & diuortio, de quibus infra. Dico diuini iuris; propterea quod ambo debeant profiteri eandem religionem. Ità quod aut ambo Christiani, aut ambo Iudæi sint. 1. Ne quis. C. de Iudæis. Dico humani iuris, quia uxor perfecto matrimonio non ad forum parentum, sed mariti pertinet. 1. de Iure. §. ult. ff. ad municipales.

Et nota obiter Synonyma esse, matrimonium, connubiū, cōiugium, consortium, et nuptiæ. Contuberniū uerò dicitur, quod serui & ancillæ contrahunt. Sunt autem matrimonia duplicia, clandestina & publica.

Clandestina dicuntur quæ clam contrahunt, non adhibitis testibus, quib. probari possent. c. 1. & c. cū in ihibitio, extrà, de clandest. desponsat. Et hæc matrimonia si ab utraq; parte non negantur, sunt matrimonia: si aut ab una parte negantur, probatio incumbit illi qui matrimoniū dicit contractum esse. d. c. i. de clandest. despon. Et si probari poterit, est matrimonium, tam corā Deo, quam coram Ecclesia. c. quod nobis. extr. de clandest. desponsat. Si autem probari non poterit, & tamen contractum est corā Deo, qui corda scrutatur, matrimonium est, sed corā Ecclesia, & in foro matrimonium non est, propter defectū probationis. Et licet illa matrimonia quoq; dicantur clandestinè contracta, in quib. omisæ sunt solennitates, quas Ecclesia de honestate requirit, ut est publicū proclama, Itē benedictio sacerdotis, introductio in Ecclesiam, & similia. d. c. cum in ihibitio, de clandest. desponsat. Tamen propter omissionem illarum, non uitiantur, si alioqui nullum impedimentum subest. Quia hæc & similia non sunt de substantia matrimonij, sed tantum de solennitate, ut infra dicemus.

Publica matrimonia sunt, quæ coram testibus quibusdā, quibus probari possunt, contracta sunt, siue sint solennitatibus & ceremonijs solitis consummata, nec ne.

*Questio, si  
quis cum una  
clandestinè, cū  
alia publicè cō-  
traxit, quæ de-  
sponsatio præ-  
cedat.*

Quando autem quærit: Si quis cū una contraxit clandestinè, & cum alia publicè, quæ desponsatio præcedat, & alteri præiudicet. Et dic: Aut publicum matrimoniū præcessit clandestinū, & non est dubium, quod clandestinò præferat. c. ueniens. la. 2. & c. si inter, in principio, de spōsalib. c. Tenor, de re iudica. Aut clandestinū præcessit publicū, Et dic: Aut clandestinū probari non potest, & non præiudicat publico, nisi in foro pœnitentiali, secundum Hostien. in §. utrū clandestina. uers. Matrimoniū, de clandest. desponsat. Aut clandestinum matrimonium potest probari, Et distingue: Aut quæris utrum præiudicet sequenti publico tantum, quo ad



quo ad hoc, ut impediatur eius consummationem, & dic quod sic. c. quod nobis, in fin. de clandest. despons. c. quod nobis, qui filij sint legit. Aut quæris, utrum clandestinum præiudicet publico, quo ad legitimisationem liberorum ex publico natorum. Et dic: aut liberi procreati sunt, antequam clandestinum ab Ecclesia receptum est, & non præiudicat liberis, ante illam Ecclesiæ receptionem natis, etiamsi postea fiat diuortium. c. 2. Qui filij sint legitim. Aut post receptionem prioris clandestini matrimonij procreati sunt, & præiudicat clandestinum matrimonium illorum legitimitati. Quia ab illo tempore dicitur secundum matrimonium non ualere. d. c. 2. sumpto argumento à contrario sensu, qui filij sint legit. De pœnis autem eorum qui contrahunt clandestinas nuptias, uide in c. fin. de clandest. despons. Publica autem matrimonia subdiuiduntur, quædam enim contrahuntur sub conditione, quædam purè. Conditiones autem sunt triplices.

Quædam sunt } Honestæ, & possibiles.  
 } Inhonestæ, & impossibiles.  
 } Honestæ, & impossibiles.

Circa honestam & possibilem ita distingue: Aut est conditio necessaria, aut uoluntaria. Si necessaria est, dic: Aut est talis conditio quæ omnino extitura est, nec tamen est de substantia matrimonij, ut si quis hoc modo contrahit: Promitto tibi quod ducam te, si sol cras orietur. Hæc conditio non suspendit contractum, sed habetur pro non adiecta, secundum Hostien. in sum. sua, in tit. de conditio. appos. §. Quæ conditio Verf. Quid si contrahit sub conditione & c. Et est ratio. Quia talia futura iam sunt præsentia in suis causis. Si tamen quis hoc modo contrahendo, uelit suam promissionem conferre ad aliquod certum tempus, dicendo: promitto tibi matrimonium, si sol in Cancerum uenerit & c. matrimonium in suspensio esset usque ad illud tempus et ualere matrimonium, si promittens interim cum alia contraheret. Vide Henr. Boy. hic in c. super eo, de conditio. apposit. Aut conditio non est omnino extitura, & tunc, aut est talis conditio, quæ aliàs sine expressione tacitè intelligebatur in contractu, ut illa: promitto tibi quod ducam te, si Deus uoluerit, si Deo placuerit, si uixerimus, & talis conditio non suspendit matrimonium, arg. l. conditiones extrinsecus & l. aliquando. ff. de conditio. & demonstrat. Aut non intelligebatur tacitè, & dic: Aut est talis conditio, cuius præexistencia est necessaria ad substantiam matrimonij de iure speciali, & dispensatio: ut si duo qui sibi inuicem iuncti sunt sanguine in secundo uel tertio gradu, contrahunt his uerbis: Promitto tibi nuptias, si Papa dispensauerit, & non ualet simpliciter talis dispensatio.

Quia



ENARRATIONES IN INSTITVT.

*Sponsalia non tenent ubi requiritur dispensatio.*

Quia cum sponsalia non teneant, ubi requiritur dispensatio, Ergo nec sub conditione contrahi poterunt, arg. l. inter stipulantē. *gl.* *ff.* de uerbo. oblig. Aut est talis conditio, cuius præexistētia necessaria est ad substantiā matrimonij de iure cōmuni, ut cum Christianus dicit Iudæ: Contraho tecum matrimoniū, si facta fueris Christiana. sine qua conditione non ualeret talis promissio. c. caue. & c. non oportet. 28. q. 1. Igitur per talem conditionē matrimonia suspenduntur, tam ex ui conditionis, quā ex natura rei, id est, fidei, quæ debet inesse antequam sit matrimonium. Et tantum de conditione honesta & possibili necessaria:

*Promitto tibi nuptias si honeste uixeris.*

Si autē conditio honesta & possibilis est uoluntaria. Et distingue: Aut est talis quæ tacitè inest, ut si contrahētes ita dicunt: Promitto tibi nuptias, si honestè uixeris, & non habet pro conditioe, quia non suspendit actum. Et igitur ualent nuptiæ quasi puræ. arg. d. l. conditiones extrinsecus. *ff.* de conditio. & demonstrat. Et arg. l. Non rectè. C. de fideiussoribus. Aut est talis conditio, quæ non inest tacitè, sicut illa: Contraho tecum, si mihi dederis centū. Item si nauis ex Asia uenerit. Itē, si pater meus consenserit. Et distingue: Aut post illam promissionē secuta est copula carnalis, & per copulam censetur promittens à conditione recessisse. Igitur habetur pro matrimonio puro, per tex. in c. per tuas. extrā, de condit. appo. Aut carnalis copula nondū est subsecuta, & tunc suspendit talis conditio matrimoniū, nec potest promittens cogi ante conditionis euentum. c. super eo, extrā, de condit. appo. Et tantum de conditione honesta & possibili uoluntaria.

DE CONDITIONE INHONESTA & IMPOSSIBILI.



Iuero conditio est inhonesta & impossibilis de iure, ut si quis hoc modo promitteret uirgini, uel mulieri matrimonio: Promitto tibi nuptias si publicè in templo docueris, uel si Missam celebraueris etc. Et quia tales actus mulieris sint inhonesti, et de iure impossibiles. c. Noua quædā, de pœ. & remis. Et nihil operatur talis adiectio, sed censetur matrimonium purè contractū, si modò uterque consensit, etiā sub ista conditione. c. 1. & si. de con. appo. si conditio est inhonesta & impossibilis de facto. Et tunc: Aut est contra substantiam matrimonij, ut hoc modo: Contraho tecum, si prolem uitaueris. Item si te adulterandam tradideris, uel si meliorem non potero inuenire. Et non ualet talis contractus, nec est matrimonium. c. si. in prin. de conditio. appo. Aut non est contra substantiam matrimonij, ut si



ut si hoc modo dicat: *contraho tecū, si hominem interfeceris, si furum aut rapinam cōmiseris.* Et tunc habetur pro non adiecta, & censetur matrimonium purum. d. c. fin. §. licet de conditio. appo.

Si uerō est honesta & impossibilis, ut si hoc modo contrahat: *contraho tecum, si imperium mihi dederis, uel si coelum digito attigeris,* Et quoque habetur pro non adiecta. d. c. fin. §. licet de condi. appo. Et tantum de matrimonijs conditionalibus.

Purum matrimonium dicitur, quod sine alicuius conditionis adiectione contrahitur, ut si quis hoc modo contrahat: *Promitto tibi, quod sis mea uxor.* Item promitto tibi, quod nemo nos separabit, excepta morte. Et quæ diximus de matrimonijs conditionalibus, siue puris, habent locum tam in publicis, quàm clandestinis desponsationibus. Item tam in desponsationibus de futuro, quàm de præsentī. Item quæ diximus de clandestina & publica desponsatione, quoque habent locum siue per uerba de futuro, siue per uerba de præsentī.

Omnes autem nuptiæ siue sint clandestinæ, siue publicæ. Item siue sint conditionales, siue puræ, sunt duplices. Aut enim sunt illicitæ, aut licitæ. *Omnes nuptiæ duplices.*

#### DE ILLICITIS NUP TIIS.



**N**UPTIAE illicitæ sunt, quæ uel natura, uel lege, uel canone prohibente & repugnante contrahuntur. Et illæ subdiuiduntur in incestas siue nepharias, & inutiles.

Incestæ siue nefariæ sunt, quæ natura repugnante & prohibente contrahuntur. Quarum causæ sunt. Primum ratio sanguinis inter ascendentes & descendentes usq; in infinitum, siue sint naturales & legitimi, siue naturales tantum, siue legitimi tantum, siue spirij, siue incestuosi. Quales sunt pater filia, auus neptis, auia nepos, mater filius. §. inter eas, hic titulo nostro. l. Nuptiæ. & l. fin. ff. de ritu nuptiarum. l. si adulterium. ff. de adult.

Secunda causa est consanguinitas inter collaterales proximiores. Quales sunt, frater soror, fratris uel sororis filia, patruus, auunculus, amita, matertera. l. quinetiam. ff. de ritu nup. Tertia causa est affinitas proximior, ut nurus cum socero. Item uitricus cum priuigna, nouerca cum priuigna, fratris uxor, uxoris soror, sororis maritus. l. ab incest. C. de incestis & inutilib. nup. l. Auunculo. ff. de cond. sine causa. Leges addunt patrem adoptiuum, & filiam adoptiuam.

Effectus autem incestarum nuptiarum & nefariarum sunt, quod non reputantur pro matrimonio, nec uocantur mariti & uxores. Et sic neq; dos, neq; donatio propter nuptias debetur, Neq; liberi ex eis editi sunt in potestate parētum, cum neq; naturales neq; legitimi sint.



sed incestuosi. Ideoq; hæreditate paterna indigni sunt. § si aduersus, hic titulo nostro. Nec etiam de rigore Iuris ciuilis debentur eis alimenta à patre. Authentica, Ex complexu. C. de incestuo. & inuti, nupt. De æquitate tamen Canonica ali debent. c. cum haberet. extrà de eo qui dux. in matri, quam per adult. poll.

*Pæna contrahentium incestuosis nuptiis.*

Pæna uerò contrahentium illas nuptias, est confiscatio omnium bonorum. c. quum secundum II. de Hæreti, in vi. Nisi extent liberi ex priori licito matrimonio. Secundò priuatio cinguli, id est, dignitatis. Tertiò missio in exiliũ, & præterea si uilis persona fuerit, corporis castigatio. § Sancimus, in Autentico de incest. & nepha, nupt. col. 2. Et illæ nuptiæ contractæ non soluuntur per diuortium, uel alium modum. Ab initio enim nullæ erant et inualidæ.

DE INVTILIBVS NVPTIIS;



INVTILES nuptiæ sunt, quæ tantum lege & Canone prohibente, et non natura repugnante contrahuntur. Illarum causæ sunt. Primùm, cognatio legalis, ut inter fratrem & sororem adoptiuam, adoptione durante. § sed si qua, hic titulo nostro. Secundò, consanguinitas in secundo, tertio, quarto gradu inclusiue, computando à consobri- nis. c. 1. & c. Non debet. extrà de consangu. & affinit. Tertio, affinitas quoq; in secundo, & tertio, & quarto gradu, in primo genere affinitatis. In secundo enim & tertio genere affinitatis, matrimonia permixta sunt. d. c. Non debet, cum glo. Quod autem diximus de prohibitis matrimonijs propter affinitatē, tu intellige, quo ad sponsum & sponsam, non aut eorum consanguineos. c. quod super his, extrà de consang. & affinit. Quarto, ratio honestatis, ut si filia Senatoris, uel ducis, nuberet alicui artem ludæ- tram exercenti, inuiles nuptiæ essent, quum in coniunctionib. non solum quid liceat, sed etiam quid honestum sit, consi derari debeat. l. semper in coniunctionibus. ff. de ritu nupt. Quintò ætas, si scilicet masculi ante xiiij. & foeminae ante xij. annum contraxerunt. § Masculi, hic titulo nostro. Sextò, raptus uirginis seu mulieris, in Autentico de raptis mulier. quæ raptò. nubunt, per totum tit. De Iure Canonico tamen potest esse matrimoniũ. c. Raptor. xxvij. quæst. ij. Vide xxxvi. quæ. 1. per totum. & c. Cum causa. extrà, de raptoribus. Septimò, si pupilla Tutori uel Curatori, siue filio Tutoris uel Curatoris nupserit. l. 1. C. de interd. matri. inter pupill. & tutorem. Octauò, ipsum matrimo- nium contractum, Qui enim habet uxorem, aliam ducere non poterit. l. Neminem. C. de incest. & inutilibus nuptijs. l. Eum qui

*vide l. Semper in Conuentionibus. et l. Non omne. ff. de re. iur. et ibi De- cium.*



Eum qui duas. C. de adult. Nono, cognatio spiritualis, quæ est inter eum qui puellam suscepit ex baptismo, & susceptum. l. Si quis alumnus, in fin. C. de nuptijs. & extrà per totum de cognatione spiritali.

Effectus nuptiarum inutilium si contractæ fuerint, hi sunt, quòd non habentur pro matrimonio, nec ipsi pro maritis & uxoribus. Ideoq; neq; dos, neq; donatio propter nuptias debentur, liberi ex illis nuptijs procreati non habentur pro legitimis, & excluduntur ab hæreditate, si scientes impedimentum subesse contraxerunt. l. qui cõtra legum, C. de incoest. & inuti. nuptijs. c. Referente. extrà, qui filij sint legitimi. Et nec illæ nuptiæ soluuntur, neq; per Diuortium, neque per alium modum, cùm ipso iure non ualeant, nisi in posterioribus gradibus dispensatum sit. Et tantum de illicitis nuptijs.

### DE LICITIS NVPTIIS.



**S**EQVITVR nunc de nuptijs licitis dicendum, quæ autem illæ sint, ex superioribus facilè colligi potest. Sunt enim omnes licitæ, quæ non sunt prohibitæ. Prohibitæ autem ex supradictis pete.

Requiruntur autem ad matrimonium licitum. Primò, quòd contrahentes sint Ciues Romani, hoc est, liberi homines, ut hic in princ. tit. nostri, licet de iure Canonico nõ requiratur. c. 1. extrà de coniu. ser. uorum. Secundò, iusta ætas, scilicet ut masculus sit xiiij. annorum, puella uerò xij. Tertiò, consensus parentum.

In hoc autem puncto, quòd Canonistæ & Theologi nostri temporis non conueniunt, dic esse duo consyderanda. Primùm, utrum consensus parentum requiratur in matrimonio contrahendo. Secundò, utrum matrimonium sine consensu parentum contractũ ualeat, nec ne.

In primo membro non est disceptatio, Quia tam Theologi, quàm Canonistæ concludunt, quòd consensus parentum adhiberi debeat in matrimonio contrahendo. Theologi habent pro se quartum præceptum: Honora patrem & matrem, & multos similes locos. Canonistæ habent c. Nostrates, xxx. quæstio. v. c. penul. & ult. xxxij. quæstio. ij. Et notatur per legistas in l. Titia, ff. de uerbo. obligat. Nec est dubium, quin liberi peccent sine consensu parentum contrahentes.

Quod uerò ad secundum membrum istius quæstionis attinet, in quibusdam conueniunt, in quibusdam non conueniunt. Ideo distingue hoc modo: Aut post matrimonium sine consensu paren-



tum iam contractum, res nō est integra, hoc est, carnalis copula subsecuta. Aut res adhuc est integra, hoc est, carnalis copula non subsecuta.

Primo casu, si scilicet res non est integra. Canonistæ & Theologi quoq; concordant, quòd hoc matrimonium separari non debeat, ut cunq; consensus parentum defuerit, Theologi considerant maius scandalum, si rescinderetur. Canonistæ habent textum expressum in c. cum causa, extrà, de Rapto.

Secundo casu, quando scilicet Res adhuc est integra, nec copula carnalis subsecuta, nec tamen parentes consenserunt. Et distingue: Aut parentes contrahentium sunt duri, qui aut prohibuerunt liberis matrimonia, aut occasionem quærere noluerunt, & nulla quoq; est inter eos disceptatio, sed utrinq; decidunt, quòd matrimonium sine huiusmodi parentum consensu ualeat.

Canonistæ habent cap. Sufficiat, xxvij. quæst. ij. Theologi allegant lus Ciuile, ut lege qui liberos, ff. de ritu nupt. Aut parentes non sunt usq; adeò duri, sed alioqui quæsiuissent commoda coniugia liberis, & tamen liberi sine ipsorum consensu alibi contraxerunt. Et dic: Aut parentes tacent, nec impugnant expressè, & quoq; ualeat matrimonium, tam secundum Theologos, quàm secundum Canonistas. Theologi habent pro se exemplum Tobiaë iunioris, cui Angelus Raphaël, parentibus nescijs, desponsauit Saram filiam Raguelis, ut Tobiaë 6. capi. Et hoc matrimonium ualuit, quia parentes postquam intellexissent, non impugnaverunt. Tobiaë 11. Licet quoq; res hic non erat integra. Canonistæ habent pro se d. c. Sufficiat. Aut parentes matrimonium sine ipsorum consensu contractū, impugnant. Et subdistingue: Aut puer inobediens, qui sine parentum consensu contraxit, perseverat in sua inobedientia, nec curat in hoc parentes, & tunc si matrimonium consummatur, quoq; est matrimonium, secundum utrosq;, & liberi indenati sunt legitimi. Theologi habent pro se exemplum Esau. Genes. 28. Apud Canonistas non habet dubium, d. c. Sufficiat. Aut puer, qui contraxit redit ad parētes, & subiicit se eorum uoluntati post contractum matrimonium. Et in hoc casu si pars, quæ alteram sine consensu parentum ad contrahendum induxit, est honesta, & paris conditionis. Et Theologi quoq; non temerè permittunt separationem, apud Canonistas non habet dubium quin ualeat. Aut pars quæ alteram induxit dolo ad contrahendum sine consensu parentum, est inhonesta, uel saltem leuis & humilis conditionis. Et hoc casu est magna disceptatio inter Canonistas & Theologos. Canonistæ contractum pro firmo iudicant, Theologi dissolunt.



Canonistæ habent pro se textum in c. Sufficiat. Et licet ibi textus dicat: Sufficiat solus secundum leges consensus, &c. Tamen illa uox leges, interpretanda est, i. Canones. c. legum, ij. quæstion. 1. Secundò allegant rationem, quòd in causis spiritualibus & conscientiæ, nō tantum habet autoritatis, quantum in reliquis contractibus. c. si an- num. §. in huiusmodi, de Iudicijs in vi. Quia patria potestas, neq; Iuris naturalis, neq; gentium est, sed Iuris Ciuilis. §. Ius autem, suprâ de patria potesta. Tertiò allegant dictum Christi, Matthæi 19. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.

Theologi autem habent pro se primùm quartum Præceptum: Honora patrem & matrem. Secundò text. Deutero, cap. 7, ubi dicit: Filiam tuam non dabis filio Chanaanæ, &c. nec filiam illius accipies filio tuo. Et sic patet, quòd Deus potestatem contrahendi matrimonia collocauit in parentes, dum dicit: Non dabis filiam tuam, alioqui dixisset: Vos liberi ne accipietis, &c. Tertiò habent pro se textum Numeri capi. tricesimo, qui dicit: Mulier si quidpiam uouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater uotum, &c. & tacuerit, uoti rea erit, Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater, & Vota & Iuramenta eius irrita erunt. Et licet is textus non faciat mentionem de nuptijs: Tamen idem colligi potest per argumentum à minori ad maius. Quartò habent pro se Ius Ciuile, ut §. Masculi, hic titulo nostro, & l. Nuptiæ, cum l. sequenti, ff. de ritu nupt. ubi habetur, quòd parentū consensus de necessitate requiritur ad nuptias liberorum. Postremò allegant argumentum ab absurdo & inconuenienti. Nam si nuptiæ sine consensu parentum contractæ ualerent, sequeretur quòd quilibet scurra, posset honesti alicuius uiri filiam quasi furari, eamque decipere. Id autem ualde absurdum & inconueniens esset.

Theologi tamen in suis libris protestantur, se per hæc nolle ponere legem Iudicibus, sed tantum propter conscientias, hæc scripta esse, scilicet si filia alicuius sine patris consensu contraxisset, & matrimonium autoritate patris dissolutum fuisset, & ipsa alij nupsisset cum cōsensu patris, quòd non debeat habere malam conscientiam. Et hoc de consensu parentum.

Autoritas tamen Tutorum uel Curatorum non requiritur in matrimonio contrahendis. l. in copulandis. C. de nupt.

Autoritas Tu-  
torum uel Cu-  
ratorum non  
requiritur.

Quartò requiritur consensus contrahentium, dic autem consensum esse triplicem: Consensus cohabitationis, consensus copulæ carnalis, & consensus matrimonialis siue coniugalis societatis. c. Sufficiat, xxvij. quæst. ij.

Consensus cohabitationis matrimonium non facit, quia aliàs in-

De cōsensu co-  
habitationis.



ter fratrem & sororem, inter filium & matrem esset matrimonium. d. c. sufficiat. quod tamen fieri non potest. c. literas. extra de rest. spol. c. Non debet. extra de consang. & affinit.

*De cōsensu carnalis copulæ.* Consensus carnalis copulæ quoque non facit matrimonium, quia si contrarium decideretur, sequeretur quod scortator cum scorto esset in matrimonio, Item sequeretur quod inter Beatam uirginem & Ioseph non fuisset matrimonium, cum ipsa ab initio contractus proposuerit uirginitatem retinere. d. c. sufficiat. c. Beata Maria. 27. q. 2.

*De consensu matrimoniali.* Consensus matrimonialis duplex. Consensus autem matrimonialis siue coniugalis societatis, ut de indiuidua uitæ consuetudine, facit matrimonium. c. cum locū, & c. Tua, de sponsalibus. Et sic certum est, quod consensus coniugalis societatis facit matrimonium. Dic ergo hunc consensum esse duplicem: Tacitum, & expressum.

*Tacitus consensus matrimonialis.* Tacitus consensus est, quando nulla uerba saltē ab una parte proferuntur, sed consensus utcunque colligit. Et in hoc distinguitur. Aut queris de illis, qui loqui non possunt, ut de mutis, & certū est quod ualeat matrimonium, dummodo consensus per signa demonstrari possit. c. cum apud, extra, de sponsa. Aut querimus de illis qui loqui possunt, & regulariter non ualeat matrimonium, nisi consensus expressē per uerba declaretur. c. licet, extra, de sponsa duorum, ibi, utroque dicente. Et hoc ideo est statutum ab Ecclesia, ne matrimonia insint incertis, aliās sequeretur absurdū, scilicet si adolescens et puella tacite cōsentirent, et neuter de alterius uoluntate certus esset, quod esset matrimonium, neutro sciēte. Ad hec ergo dubia & pericula tollenda, statutū est, ut uerbis exprimant consensum. Dic tamen in hoc casu, Aut neuter contrahentiū utitur uerbis, sed signis, & non contrahitur. d. c. licet, sumpto argumento à cōtrario sensu, extra, de sponsa duorum. Aut una pars contrahentiū utitur uerbis, altera signis, & tunc si ex signis sumitur uiolēta p̄sumptio, & est matrimonium, ut si adolescēs dicit puellę: Consentio in te, ut in uxorem, & si uis me in uirū, porrige mihi manum; si hoc fit, est matrimonium, per ea quę notant Doct. in c. si. de sponsa duorum, & in c. si, 27. q. 2. Si uerò una pars tantum uerbis utatur, altera uerò neque uerbis, neque signis, ut in p̄sentia puellę adolescens dicit eius patri: Promittitis mihi filiam uestram in uxorem, & tunc si puella p̄sēns tacet, uidetur consentire. Vide de hoc D. Ias. in l. Titia, in primo notabili. ff. de uerbo. oblig. Et hoc uerū est, si pater nomine filię hoc modo promittit; si autem extraneus quispiam nomine puellę promitteret, ipsa p̄sēnte & tacente, nihil operaretur hoc.

Expressus



Expressus consensus est, quando contrahentes utrinque utuntur uerbis. Et in hoc distingue: Aut usi sunt uerbis consuetis, ut accipio te in meam, & accipio te in meum, & non est dubium quin matrimonium sit contractum. c. si inter uirum. extrà, de sponsalibus. c. licet. extrà, de sponsa duorum. Aut usi sunt uerbis non consuetis ad matrimonium, ut si dicat: non dimittam te, non deseram te, & dic, aut cōstat de mente & consensu contrahentium, quod uolunt contrahere, ut quia interuenit inter eos fides pactionis, cum carnali copula subsequuta, uel fides consensus. Et tunc quoq; contrahitur matrimonium, ut habetur in c. 1. de sponsa duorum. c. uli. 27. q. uli. Aut non cōstat de mente contrahentium, & non est matrimonium, ut notatur in c. Tua nos. extrà, de sponsalibus.

Expressus consensus.

Quintò requiritur, quod non sit nepharium & iure prohibitum, ut diximus de nuptijs illicitis. Et hæc quinq; sunt de substantia Matrimonij.

### SOLENNITATES NVPTIARVM.



ARRAE autem, annuli, dos, donatio propter nuptias, cōuentiones, publica nuptiarum celebratio, traductio in ecclesiam, copulatio, benedictio sacerdotis, uel amen sponsæ & c. solennia sunt nuptiarum, quæ de honestate tantum, & non de necessitate adhibentur. c. nostrates. c. qualis. & c. spōsus. c. Nullum. 30. q. 5. Et ea quæ requiruntur ad substantiam matrimonij, requiruntur quoq; ad substantiam sponsaliorum, excepta ætate. Sufficit enim contrahentes sponsalia esse septem annorum. extrà, de despons. impub. per totum. l. in sponsalib. ff. de sponsalib.

Causa efficiens matrimonij est consensus per uerba de præsentī, quia consensus nuptias facit, non cōcubitus. l. nuptias. ff. de reg. iur. ens. Secundò consensus per uerba de futuro, iuncta copula carnali. c. Is qui fidem, & c. Si inter. extrà, de sponsalibus.

Causæ finales.

Causæ finales sunt. Prima propter scortationem uitandam, sicut Paulus dicit: Propter scortationem uitandam unusquisq; habeat suam, & unaquæq; suum. Secunda & potissima causa finalis est ratio procreandæ sobolis. Pudor enim est foeminis nuptiarum præmia nō habere. c. pudor. 32. q. 2. c. Non enim. 32. q. 1.

Effectus nuptiarum licitarum sunt, quod habentur pro legitimis matrimonijs, contrahentes sunt mariti & uxores, debetur dos & donatio propter nuptias, liberi sunt in potestate parentum, admittuntur ad successionem. d. §. Si aduersus, sumpto argumento à contrario sensu. §. Intestatorum, infrà de hæredita. quæ ab intest. defer.

Effectus.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
 QVIBVS MODIS SOLVANTVR  
 Matrimonia.

Soluuntur autem matrimonia iam contracta duobus modis, Mortenaturali, & per diuortiu m. De morte non est dubium, quia mortuo marito, uxor libera est à lege mariti, & econtrà.

DE DIVORTIO.

*Diuortium.*



**E**ST autem diuortium legitima separatio mariti & uxoris, cum causæ cognitione, apud competentem Iudicē. Et habet nomen à diuertendo. Dico in definitione Mariti & uxoris, ad differentiam eorum, qui contrahunt inceastas et inutiles nuptias, quia non sunt mariti & uxores. Igitur non opus est diuortio, quia priuatio præsupponit habitū. l. decem stipulatus, ff. de uerb. oblig. Dico cum causæ cognitione, & apud competentem Iudicem: Quia separatio propria autoritate fieri non debet, sed coram iudice competenti, iudiciario ordine seruato, cum sufficienti causarum probatione. c. Seculares, & c. historia. 33. q. 2. c. porrò de diuortijs. Et si ante causæ cognitionem uxor propria autoritate expulsa fuerit, ante omnia est restituenda. d. c. Historia, cum c. sequenti. Nisi adulterium sit notorium, & ipsa post expulsionē perseuerat in adulterio notorio, tunc petenti restitutio denegatur. Vide quæ notatur in c. literas. de resti. spol. c. significasti. de diuortijs.

*Diuortium fit ex quatuor causis.*

Fit autem diuortium ex quatuor causis, Primò propter adulterium. Nam si maritus poterit de adulterio conuinci, uxor habet Ius petendi diuortium. Et econtrà, Matthæi 19. c. ex literis. de diuortijs.

*Casus in quibus uxor adultera non potest accusari.*

Sunt tamen quidam casus, in quibus uxor adultera non potest accusari à marito, nec peti diuortium.

Primus est, si maritus quoque conuincitur de fornicatione & adulterio, & tunc quo ad ipsos fit criminis compensatio. d. c. significasti, in fin. de diuortijs. Et 32. q. 6. per totum.

Secundus, si maritus ipse prostituit eam. c. Discretionem, de eo qui cog. consang. uxo. suæ.

Tertius, cum uxor uirum credens defunctū, nupsit alij. Quia maritus prior tenetur eam recipere, non obstante adulterio, nisi scienter post reditum primi, apud eum permanserit. c. cum per bellicam. c. si uirgo. 34. q. 2. c. Dominus, de secund. nuptijs.

Quartus, si cognita fuerit ab aliquo, quem credebat esse proprium maritum. Argumento c. In lectum, 34. q. 2.

Quintus casus est, si uxor fuerit ui oppressa. l. scedissimā. C. de adult:



adult. l. uim passam. ff. de adulterijs. c. propositio. 32. q. 5. de hoc tamen intellige de ui absoluta, non de leuibus minis.

Sextus est, quando adulteram reconciliauit sibi post adulterium commissum, uel eam publicè adulterantem retinet in consortio maritali. 32. q. 1. per totum. l. crimen. C. de adulterijs.

Septimus est, si infidelis fidelem dimittit, dato sibi libello repudiij, & illa nupserit alijs, & postea uterq; conuertatur ad fidem, tenetur prior eam recipere, non obstante quòd ab alio sit cognita. c. gaudeamus, de diuortijs.

**SECUNDA CAUSA** est, quando alter coniugum infidelis fuerit. In hoc tamen distingue: Aut ab initio matrimonij uterq; erat infidelis. Aut uterq; erat fidelis, & matrimonio constante alter lapsus est in hæresim, uel gentilitatem. *Secunda causa propter quam fit diuortium.*

Primo casu dic: Aut quæris utrum conuersus ad fidem statim possit infidelem relinquere, Et distingue: Aut infidelis est gentilis, & non Iudæus, & non statim relinquere debet, si infidelis uoluerit cohabitare. Et ita secundum Canonistas intelligitur sententia Pauli, 1. Corinth. vij. Aut infidelis est Iudæus. Et distinguunt Doct. Aut maritus est Iudæus, uxor Christiana, & statim potest uxor relinquere maritum, quia Iudæi habent Legem & Prophetas, quibus muniti & parati sunt animas simplicium fallere, nec desistunt à sua pertinacia, quod non est in gentilibus. Vide quæ notantur in c. Iudæi, xxviii. q. 1. Aut maritus factus est Christianus, & uxor Iudæa, Et tum si uxor uult cohabitare, non separentur, Cum mulieres non facillè possint uiros in errorem deducere, d. c. Iudæi. Sed huic decisioni obstat exemplum Salomonis, quem mulieres gentiles seduxerunt ad Idololatram, ut habetur 3. Regum 11. Aut quæris utrum conuersus non statim, sed postea, infidelem in sua infidelitate perseverantem, possit relinquere. Et dic: Aut infidelis uult cohabitare sine blasphemia Christi, & non sunt separandi, per sententiam Pauli, 1. Corinth. 7. Aut infidelis non uult cohabitare, uel cohabitare, non tamen sine contumelia & blasphemia nominis Christi, & separandi sunt. c. Quanto. uer. si enim alter. extra, de diuortijs. Et hoc casu sine dubio fidelis etiam suo coniuge infideli uiuente, iterum potest nubere. per tex. Pauli: Si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus frater uel soror in eiusmodi. Et est text. in d. c. Quanto. Secundo casu, quando scilicet quæritur de ijs, qui ab initio fuerunt fideles, & alter constante matrimonio lapsus est in hæresim, uel gentilitatis errorem. Et distingue: Aut quæris utrum matrimonium propter hæresim uel talem errorem in totum possit dissolui, ita quòd fidelis altero uiuente, habeat transitum ad secundas nuptias. Et dic: quòd non. d. c. Quan-

*Exemplum contrarium.*



ENARRATIONES IN INSTITVT.

to. §. si uerò alter. extrà, de diuortijs. Quidam tamen dicunt hoc uerum esse, quando matrimonium fuit consummatũ carnali copula, secus si non fuit consummatũ. Aut quæris utrum soluatur per separationem thori, & dic: quòd sic. arg. d. c. Quanto. §. si uerò alter. in uerbo, relinquitur.

Impotentia  
coëundi.

TERTIA CAUSA est impotentia coëundi, illa autem est duplex, Naturalis, & Accidental.

Naturalis impotentia dicitur in uiro nimia frigiditas. In foemina inhabilitas ad matrimonium. Dic ergo: Aut potens contraxit cum impotente, nesciens impotentem esse. Et dic: Aut uir est naturaliter nimia frigiditate affectus, & illa dissoluit matrimonium Iure cõtractum. c. 1. & 2. 33. q. 1. & c. laudabilem, de frigid. & malefi. Aut foemina non est disposita ad matrimonium naturaliter. Et dic: Aut potest ei subueniri, ope medicorum, sine graui periculo corporali, & non dirimit matrimonium. Aut non potest ei subueniri, uel subueniri quidẽ, sed tamen cum graui periculo, & dirimitur. c. fraternitatis. §. Per hæc autem, de frigid. & malefi. Et licet in his casibus, ut diximus, fiat separatio, non tamen fieri debet. Distingue ergo: Aut non potest apparere de impotentia seu impedimento ante triennium, & triennium expectare debent. c. Laudabilem, de frigid. & malefi. Aut constat de impedimento ante triennium, & dic: Aut constat per confessionem ambarũ partium, & erit tempus arbitrarium. d. c. Laudabilem. de frigid. & malefi. §. Si autem. Aut ambæ partes non fatentur impotentiam, ut quia uxor probauit uirum esse impotentem, & uir negat. Et dic: Aut impotentia est notoria, & statim fit separatio. d. c. Laudabilem, in principio, sumpto argumento à contrario sensu. Aut impotentia non est notoria. Et tunc si alter petit separationem, expectabitur triennium. d. c. laudabilem. Vide Hostiens. in sum. sua, super tit. de frigid. & malefi. Et tantum de ista quæst. si potens contraxit cum impotente, ignorans impotentiam naturalem. Aut potens contrahit cum impotente, sciens impotentiam. Et tunc licet propriè matrimonium non sit, tamen est societas quæ dirimi non debet. Et si eam habere non potest pro uxore, habeat pro sorore. Et econtrà, c. consultationi, & d. c. laudabilem. §. quòd si ambo. Si tamen potens pars cum alia contrahat, ualet illud secundum matrimonium, tenetur tamen impotentẽ ut fratrem uel sororem alere, ut notatur in d. c. consultationi.

DE ACCIDENTALI IMPOTENTIA.

ACCIDENTALIS impotentia est, quæ naturaliter potentem, per accidens reddit impotentem. Et illa subdiuiditur in uiolen-



**violentam & occultam.** Violenta dicitur, quæ uiolenter inferitur, ut sectio, propter quam quis amittit uirilia, ita quod spado fit. Et in hac distingue; Aut illa uiolentia accidit ante matrimonium contractum, & propter eam dirimitur matrimonium. c. quod sedem, in fin. Iunct. glos. in uerbo, impotent. Et glo. in c. ex literis, in uerbo, contraxit. extra, de frig. & malefi.

Aut illa uiolentia accidit post matrimonium. Et tunc postquam matrimonium tenuit semel, per impedimentum superueniens nõ tollitur, secundum quosdam. arg. c. discretionem. uers. sed nec affinitas. extra, de eo qui cog. consang. uxor. Dispensari tamen posset consideratis circumstantijs, & propter maius periculum uitandum. Si uerõ est dubium, an illud impedimentum præcesserit, uel secutum sit, præsumitur quod præcesserit, ut sic expediantur, nec maneant impediti. Vide Hostien. in sum. sua, de frig. & malefi. in §. tertio. uers. Accidentalialis, cum uers. sequenti.

Impotētia accidentalis occulta dicitur, quæ fit ex maleficio, (*was ein mann einem ein süplin eingibt*) uel sortilegio (*Zauberei*) In hac distingue: Aut maritus per maleficio siue sortilegium redditus est impotens omnibus, præterquam uxori suæ. Et non dirimitur matrimonium, quia illud sortilegium factum est, pro uitando adulterio. Aut per sortilegium uel maleficio factus est impotēs soli uxori suæ, omnibus alijs mansit potens. Et dic: Aut maleficio accidit in ipso matrimonio contracto. Et non dirimitur, quia speratur quod curetur. Aut præcessit matrimonium. Et dic: Aut est maleficio temporale, & non dirimitur, Aut perpetuum, & dirimit. c. si per sortiaras. 33. q. 1. Vide Hostien. in d. §. 3. de frig. & malefi.

**QUARTO FIT** diuortium, si alter coniugum alteri continuis insidijs mortem machinetur, secundum Canonistas in c. 1. & glos. in c. 2. extra, de diuortijs. *Quarta causa diuortij.*

Theologi nostri temporis addunt **QVINTAM CAUSAM**, scilicet desertionem, hoc est, si maritus deseruerit uxorem, uel ipsa maritum. In hac causa Canonistæ cum Theologis non conueniunt. *Quinta causa diuortij.*

Canonistæ habent pro se primò dictum Pauli, 1. Corinth. 7. qui dicit: His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere, quia si discesserit, manere innuptam, aut uiro reconciliari. Secundò habent pro se Ius Civile in Authentica, hodie. C. de repudijs. ubi dicit text. Hodie quantiscunque annis maritus in expeditione manserit, mulier sustinere debet. Distingunt tamen Canonistæ hoc modo: Aut constat quod coniunx discedens adhuc uiuit, & nullæ nuptiæ alijs permittuntur. c. Dominus, in principio, extra, de secūdis nupt. Aut dubitatur de eius uita,



ENARRATIONES IN INSTITVT.

uita, et ne tum alteri nubat, Si tamen de facto nupserit, nō dissoluitur, donec de uita absentis constiterit, tum tenetur relinquere secundum. d. c. Dominus. §. si uerò aliquis. Theologi aut̄ quoq; habent pro se dictum Pauli, 1. Cor. 7. quod habet: si infidelis discedit, discedat, nō enim seruituti subiectus est frater uel soror in huiusmodi. de quo tex. uide in c. Quanto. extrà de diuort. Secundo allegant absurdū. Quod scilicet innocens pars sine sua culpa priuaretur Iure suo, quod tamen fieri non debet. d. c. discretionem. §. Nam etsi. extrà de eo qui cog. Vos cogitate.

DE REDINTEGRATIONE.

Quomodo red-  
integrentur  
matrimonia.



Edintegrentur autem matrimonia post diuortium: Primò mutua recōciliatione. c. Apostolus, cum sequēti 32. qu. 7. Secundò superueniente adulterio à parte illius quæ petijt diuortium. c. Ex literis. extrà, de diuortijs. Tertiò, si diuortium per errorem esset factum. Nulla enim sententia in causa matrimoniali ita transit in rem iudicatam, ut non possit retractari quandocunque comperta ueritate, c. lator. extrà, de sent. & re iud.

De reintegratione post separationem propter infidelitatē seu heresim, uide quæ notantur in c. de illa, & in c. Quanto. extrà, de diuor. Et de reintegratione post separationē propter impotentiam, uide quæ notantur in c. fraternitatis. extrà, de frig. & malefi.

Innocens pars  
non potest cum  
alio contrahere,  
uiuente in-  
nocente.

Sed nunc est quæstio, si matrimonium propter aliquam causam est solutum per diuortium, nec potest reintegrari, quia partes nolunt, uel ob aliam fortè causam, Vtrum alter ex coniugib. altero uiuente possit cum altero, uel cum alia secundo contrahere. Primò uideamus de separatione propter adulterium: quod aut̄ attinet ad personam nocentem, quæ scilicet adulteriū commisit, non est dubium, quin matrimonium contrahere non possit cum alio, quamdiu innocens uiuit, quia Christus dicit Matthæi 19. Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur. Et habetur hoc in c. licitè. 32. q. 7. De hoc aut̄ dubitatur, utrum innocens pars adultera uiuente, possit secundo contrahere. In hac quæst. non conueniunt Theologi nostri temporis & Canonistæ, Canonistæ simpliciter interdiciunt secundum matrimonium, quamdiu altera pars uiuit, Allegant ad hoc dictum Pauli, 1. Corinth. 7. quod habet: His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere, quoniam si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. Sed certum est quod uxori non est permissum discedere à marito, qualibet de causa, nisi sit causa fornicationis expressè



Expresè habetur Matthæi 19. Ergo illa sententia Pauli intelligi debet de discessu ex causa fornicationis, quòd scilicet uterq; maneat sine nuptijs post diuortium, uel reconcilientur. Ita intelligit Augustinus illum locum in Commentario suo ad Cor. & in Homel. 49. & in lib. de adulterinis coniugijs. Quæ sententia allegatur in c. quemadmodum. 32. q. 7. Idem tenet Hierony. ad Damasum presbyterum, cuius sententia allegatur in c. Omnes. 32. q. 7. Et possunt pro hac opinione allegari optimæ rationes.

Prima est fauor liberorum ex coniugibus separatis natorum, ut scilicet parentes reconcilientur. Difficillimè autem reconciliatio obtineri posset, si secundæ nuptiæ liberæ essent.

Secunda ratio est fauor delinquentis, ne omnino eijciatur extra Ecclesiam, sed agat pœnitentiam. Si enim innocenti parti liberè liceret, nocente uiuente, secundò contrahere, & nocens continere non posset, non haberet modum nec uiam perueniendi ad pœnitentiam, quia cum alio contrahere non posset propter dictum Christi: qui dimissam ducit, mœchatur. Si ergo innocens contraxit cum alio, nulla superest spes de pœnitentia, cum tamen Ecclesia non claudat gremiũ redeuntibus. ut c. super eo. in vi. de hæreticis. & l. fina. C. de summa trinit. & fid. Catho. Et illa pars non potest redire quamdiu altera uixerit.

Tertia est, Licet per diuortium fiat separatio quo ad cohabitationem & thorũ, non tamen soluuntur substantialia matrimoniũ, quàm diu ambo uiuunt, quia si substantialia soluerentur, sequeretur, quòd utriq; tam nocenti quàm innocenti permissum esset secundò contrahere. Sed Christus expresè dicit: Qui dimissam ducit, mœchatur. Ergo substantialia matrimoniũ sublata non sunt, & per consequens, secundæ nuptiæ sequi non possunt. Vide de hac quæstione, 32. q. 7. per totum.

Theologi nostri temporis contrà sentiunt, scilicet, si innocens nocentem post multas admonitiones recipere ad consortium noluerit, sed ad aliud matrimonium se conferre uoluerit, quòd liceat, etiã nocente uiuente, allegant ad hoc dictum Christi, Matth. 19. Sumpto argumtento à contrario sensu. Dicit enim Christus: Quicumq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, excepta causa fornicationis, mœchatur. Ergo à cõtrario sensu, qui propter causam fornicationis uxorem dimittit, & aliam ducit, non mœchatur. Et dictum Pauli quod Canonistæ allegant, interpretantur de discessu propter contentiones, & rixas coniugum, quòd tum demum manere debeant sine nuptijs, donec reconcilientur. Secundò allegant, quòd innocens pars sine sua culpa priuaretur iure suo, quòd tamen fieri nõ debet. c. discre.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

tionem. §. fina. extrà, de eo qui cog. consang. uxo. Tertiò, si matrimonio est propter infidelitatem solutum, Et tunc si fidelis incidit in hæresim, & propterea factum diuortium, non licet fideli, hæretica parte uiuente, cum alio contrahere. c. quãto. §. si uerò, extrà de diuortijs. Aut propter infidelitatem est factum diuortium, ut quia alter est Gentilis uel Iudæus. Et licet fideli contrahere cum alio, etiam infideli uiuente, per dictum Pauli: Si infidelis discedit, discedat, 1. Corinth. 7. & c. quanto. §. Nos igitur, extrà, de Diuortijs. Si tamen infidelis fuerit cõuersus priusquam fidelis iterum contrahat, tenetur fidelis recipere cõuersum, c. gaudemus. §. Qui autem, extrà de diuort. Tertiò, si matrimonium est separatum propter impotentiam perseuerantẽ. Et quoq; licitum est potenti contrahere cum alio, impotente uiuente, c. 1. in fin. ferè, de frig. & malefi. Quartò, si separatum est propter continuas insidias, neutri licet contrahere iterum, altero uiuente, per ea quæ notantur in c. quæsiuit, de diuort.

Memineris etiam non tantum primas nuptias, sed etiam bigamiã, & si fieri posset, octogamiam licitam esse. c. quomodo, c. aperiant. c. Deus masculum, xxxi. q. 1.

SEQVITVR Enarratio textus tituli de nuptijs.

*Consensum habeant.*

*Quorum parẽ  
tum consensus  
requiratur.*

Hic obserua, Si causæ matrimoniales secundum Ius Ciuile deciderent, sicuti tamen non fit, Tamen secundum ea requireretur in matrimonijs filiorum consensus patris, & aui paterni, non autem matris, & aui materni. Quia textus hic dicit: Consensum habeant parẽtum, quorum in potestate sunt. Sed certum est, quòd matres liberos in potestate non habent. §. Foeminae, infra, de Adoptio. Ergo & c. Honestum tamen est, quòd matris consensus accedat.

*§. Mariti tamen.*

*Affinitas respicit  
tamen con  
trahentes, non  
autem eorum  
cõsanguineos.*

Et hoc hodie permissum est per regulam, quòd affinitas respicit tantum ipsos contrahentes, non autem eorum consanguineos. Exemplum: Vxor non potest nubere alicui ex consanguineis mariti, usq; ad quartum gradum, & maritus uicissim non potest ducere uxorem ex consanguineis uxoris prioris, usq; ad quartum gradum. Eorum autem consanguinei quicumq; tandem sint, non obstante affinitate, licite iunguntur.

DE ADOPTIONIBVS. TIT. XI.



IXIMVS supra patriam potestatem habere tres causas: legitimum matrimonium, legitimationem filij naturalis, & adoptionem. Sunt autem proximo titulo due priores absolutæ. Restat nunc tertia, adoptio scilicet.



Est autem adoptio in genere, legitimus actus, per quem quis fit filius, qui alioquin non est filius. Et est duplex: Adoptio in specie, & arrogatio. Adoptio quid.

Adoptio in specie dicitur, quando adoptatur filius familiæ ab aliquo, & ea fit coram quovis magistratu, mixtum Imperium habente. §. Imperio. hic titulo nostro.

Causa efficiens est consensus adoptantis, adoptandi, & eius qui adoptandum habet in potestate, quales sunt: avus paternus, & pater. l. In adoptionibus. ff. de adoptio.

Effectus est, quod adoptatus ab intestato succedit patri adoptivo, etiam extraneo, licet uiuente patre suo naturali in adoptivi potestate non fuit. §. sed hodie, hic tit. nostro. Secundò, si auo paterno siue materno nepos in adoptione datus fuerit, quod per hoc soluitur Ius patriæ potestatis patris naturalis, & transit in potestatem aui adoptatis. §. Si uerò. hic tit. nostro. l. penult. c. cod.

Arrogatio uerò est, quando adoptatur paterfam. Et hoc fit principis, id est, Cæsaris autoritate. Requiritur autem in arrogatione, quod arrogandus sit pubes. Secundò, si impubes fuerit, requiritur quod per rescriptum principis, cum causæ cognitione, & sufficienti cautione fiat. §. cum autem impubes, hic tit. nostro. Arrogatio.

Causa efficiens arrogationis, est mutuus consensus cum interrogatione & responsione reciproca inter arrogatorem, & arrogandum, si arrogandus fuerit pubes. l. ij. ff. eod.

Effectus est, quod arrogatus unà cum liberis & rebus suis transit in potestatem arrogantis. d. l. ij. §. si. ff. eod. Et adeo, quod etiam alteri in adoptionem dari possit. §. In plurimis, hic tit. nostro. Et huc refer quæ supra de patria potest. diximus. Sunt enim ijdem. Possunt autem adoptare omnes, quibus non est prohibitum. Et prohibetur primò castratis. §. Sed & illud. hic tit. nostro. Secundò foeminis, exceptis quibusdam casibus. §. foeminæ. hic tit. nostro. Tertiò illis, qui non decem & octo annis maiores nati sunt, quàm adoptandus. §. Minorem. hic tit. nostro. Quartò tutoribus & curatoribus, ne arrogant pupillos uel adultos. l. Nec ei. in prin. ff. eod. Qui possunt adoptare.

Possunt autem adoptari nepotes, & quoq; alieni, in locum filiorum & nepotum. Hic autem nihil dicemus de modis, quibus soluitur adoptio, Quia cum adoptio sit causa patriæ potestatis, soluitur illis ipsis modis, quibus patria potestas. De quibus in tit. sequenti.

VERS. Imperia Magistratus.

Vides hic, quod Iurisconsulti utuntur nomine generis pro specie, quoties speciem non habent. Hic enim adoptio, quæ nomen generis est, diuiditur in arrogationem & adoptionem in specie. Sicuti etiam



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Iurisdictione in genere diuiditur in Imperium & Iurisdictionem in specie. Vide Barto. in l. Imperium, ff. de Iurisdic. omnium Iud. Item cognatio in agnitionem & cognitionem in specie.

VERS. *Et naturalia & adoptionis Iura.*

Ex hoc textu nota regulam: Vbi plures sunt rationes, ibi quoque debet esse fortius Ius, sicut hic uides in patre & auo. Quia in patre est tantum Ius naturale, In auo uero naturale & Civile. Ideo auus plus Iuris habet in nepote suo, quem pro filio adoptauit, quam pater.

§. *Sed si quis.*

Ratio est. Quia Auus tam filium, quam nepotem habet in sua potestate. Ideo; quum nepos sit in sua potestate, potest eum, uigore patriæ potestatis, in adoptionem alteri dare, patre suo, hoc est filio, non consentiente.

§. *Apud Catonem.*

Serui multis  
modis liberan-  
tur.

Serui liberantur multis modis. Primò manumissione, de qua supra. Secundò institutione hæredis. §. Idemq; Iuris, supra. Quibus ex causis manu. non licet. Tertio adoptione, de qua hic. Quarto nominatione filij, hoc est, si coram Iudice seruum filium nominauerit, ut hic.

QVIBVS MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS SOLUITUR. Tit. XII.

**I**MPERATOR hæcenus quomodo personæ, quæ in minorum potestate sunt, soluantur ab illorum potestate, tractauit: Nunc porrò secundum membrum diuisionis supra traditæ prosequitur, quibus modis Ius scilicet patriæ potestatis soluitur.

VERS. *Si uero, qui in potestate &c.*

Imperator hic incipit tractare 1. modum, per quem patria potestas soluitur, scilicet per mortem naturalem, ut infra in tex.

§. *Cum autem.*

Mors ciuilis.

Secundus modus, per quem soluitur patria potestas, est mors Ciuilis. Et ideo dicitur mors Ciuilis, quòd huiusmodi homines, quo ad Ius Ciuile, habentur pro mortuis, & omnes actus Iuris Ciuilis amittunt, qualia sunt: Testamenti factio, testimonium &c. Cum ergo patria potestas sit Iuris Ciuilis. §. Ius autem, supra de patria pot. sequitur, quòd ciuilitè mortui hoc Ius amiserint, & liberi eorum sui Iuris facti fuerint. Sunt autem ciuilitè mortui, banniti & deportati.

Dicitur autem deportatio, in insulam missio, propter aliquod maleficium capitale, ut perpetuò illic maneant. l. Inter poenas. §. Decurionis. ff. de Interd. relegat. & deporta. Dico, in insulam, Quia deportatio fieri non potest, nisi certus locus, & sic Insula assignetur.

Et



Et sic habes primam differētiā inter Deportationem & Relegatio-  
nem. Quia Relegatio est alicuius loci interdictio, quem Relegatus ui  
tare cogitur, & extra illum locum poterit uersari ubicunq; uoluerit. Relegatio  
Deportatus autem cogitur in loco assignato manere, & alioqui in Deportatus  
omnibus alijs locis non est tutus. Dico, perpetuo, ad differentiam re-  
legationis ad certum tempus, uel in perpetuum, nec adimit uitam ci-  
uilem. Quia relegati retinent Ciuitatem, familiam, patriam potesta-  
tem, Testamenti factionem, & omnia, quæ sunt Iuris Ciuilis. Depor-  
tati uerò tantum in perpetuum deportantur, & amittunt Ciuitatem,  
familiam, patriam potestatem, quia sunt ciuilitate mortui & c. l. Rele-  
gati, iuncta l. Relegatorum, ff. de interd. relegat. & c. Tu hodie refer  
ad Bannitos nostri temporis, qui æquiparantur deportatis, maximè  
si propter tale maleficium bannitus quis fuerit, propter quod in amis-  
sione Ciuitatis quoq; bona publicarentur, aliàs æquiparatur Banni-  
tus Relegato, secundum gloss. hic in uerbo, Retinet, quam approbat  
Bart. in l. Ut uim. ff. de iustit. & iure, & uide Bart. in prima quæstio-  
ne suarum disputationum. Reliqua de Relegatione, Deportatione,  
& Exilio, uide per totum tit. ff. de Interdict. relegat. & deportatis.

§. Sed si ex indulgentia.

Nota ex hoc textu, Quod infames & damnati per sententiā pro-  
pter aliquod capitale maleficium, per Imperatorem in integrum re-  
stitui possunt, Ita quod acquirunt omnia iura prius amissa. Sicuti ui-  
demus in Edicto in Comitibus Spiræ promulgato, ubi seditiosi rustici  
sunt restituti.

§. Poenæ seruis.

Serui poenæ dicuntur hodie, qui damnantur ad mortem per sentē. Serui poenæ.  
tiam. Ideo illorum testamenta & codicilli non ualent, secundum Bar.  
in Authentica, sed hodie, C. de donat. int. uir. & uxor. & l. qui ultimo.  
ff. de poenis.

VERS. Qui in metallum.

Damnati in metallum differunt ab his qui in opus metalli damnā-  
tur, quod illi grauioribus uinculis premiebantur. Ideo si damnati in Damnati in me-  
tallum, & o-  
pus metalli.  
opus Metallum fugiebant, postea quoq; in metallum damnabantur. l.  
Aut damnatum. §. Inter eos, cum §. sequenti. ff. de poenis. Sed hæc poe-  
næ hodie non sunt in usu, ut hic in gloss. in uerbo, in metallum.

§. Sed ex constitutione.

Tertius modus est dignitas patriciatus. Fuit autem illa dignitas Ius patriæ pæ-  
restatis solui-  
tur.  
summa post Cæsarem. Idem dic hodie in Episcopis. Si enim filius fa-  
miliæ electus est in Episcopum, eo ipso liberatus est à patria potesta-  
te. Quæ autem sint aliæ dignitates, à patria potestate liberantes, Vi-



de in l. fin. glos. C. de Decurio. lib. x. & §. fin. in Autentico, Constitutiones, quæ de dignitatib. coll. 6. Vide glos. hic, in uerbo, non liberat.

§. *St ab hostibus.*

*Captiuitas.*

Quartus modus est captiuitas. Sed nota captiuitate patriam potestatem nō tolli, sed tantū suspendi. Ideo si pater captus ab hostibus, redit, recuperat omnia sua iura, ac si nunquam fuisset captus.

VERS. *Sui Iuris fuisse.*

Quia l. Cornelia fingit eum prima hora captiuitatis mortuū fuisse. Sicuti Ius postliminiū fingit eum nunquam fuisse captum, si reuertitur. Sunt autem illæ fictiones necessariae propter actus liberorum, ut contractus & testamenta, quæ fiunt in absentia parentum.

§. *Præterea.*

*Emancipatio.*

Quintus modus est emancipatio. Est autem emancipatio relaxatio patriæ potestatis, cum consensu patris emancipantis, & filij emancipandi, coram competenti Iudice. Nomen habens à mancipi, id est, proprium, inde mancipare, id est, potestatem alicuius rei acquirere, & quo poteris componere emancipare, id est, potestatem alicuius rei amittere. Dico, cum consensu emancipantis, quia filius regulariter nō potest cogere patrem, ut eum emancipet, neq; etiam filius inuitus emancipari potest. Exceptis quibusdam casibus, De quibus in glos. fina. huius tituli, in uerbo pene. Ideoque emancipatio est actus uoluntarius, non autem necessarius. Dico coram competente Iudice. Quia nudus consensus patris & filij non est satis, sed requiritur quædam solennitas, quæ propriè est Iudicis accessus. l. Non nudo. C. de Emancipat.

*Causa efficiens.*

Causam efficientem uides esse consensum utriusque, iuncta solennitate. Hoc autem casu neuter tenetur allegare causam Emancipationis, sed satis est consensus cum solennitate coram Iudice. d. l. Non nudo.

*Effectus.*

Effectus Emancipationis est solutio patriæ potestatis, ut scilicet filius postea liberè contrahere, testari, & omnia agere, sicut paterfamilias, possit. Item quod acquirit plenum dominium, hoc est proprietatem & usufructum in omnibus bonis suis, tam aduentitijs, quam profectijs.

*Emancipatio non est poena, sed beneficium.*

Et sic uides Emancipationem non esse poenam, sed beneficium, cum per eam filius multa acquirat, quæ prius non habuit. l. 1. ff. si à parente quis manumiss. fuer. Et propterea debetur patri præmium aliquod, siue sit Legale, siue Conuentionale. Legale præmium, quia II. tribunt patri idem Ius in bonis filij, siue nepotis emancipati, quod habet patronus in bonis liberti, uidelicet, si emancipatus est impubes,




bes, habeat pater eius tutelam, & succedat ei, si sine liberis decesserit. §. & tunc, titulo nostro.

Conuentionale præmium debetur patri pro emancipatione. Quia pater potest aliquid accipere à filio, ut eum emancipet. d. l. i. §. si parens. ff. si à parentibus quis manumiss. fuer. Et uide de his præmijs §. hoc quoque, cum sequenti infra, per quas personas no. acquir. Et prædicta sic intellige, quòd filius emancipatus non excluditur hodie ab hæreditate patris ab intestato decessentis. §. si quis igitur. in Autentico de hæred. ab intest. uenien. collat. 9. Idem dic, si pater testamentum condidisset, & filium emancipatum præterisset, non instituendo eum, nec exhæredando, tum Prætor dat emancipato bonorum possessionem, contra tabulas. §. Emancipatos, infra de exhæredat. liber. Patria autem potestas semel soluta, amplius honestè reintegrari non potest, nisi per adoptionem. Semel tamen adoptatus, amplius adoptari non potest. l. qui liberatus. ff. de adopt.

VERS. Sed Emancipatio.

Qui uolebat filium suum emancipare, uendebat alicui fortè pro duobus nummis, sub hac conditione, ut statim manumitteret eum. Imaginariæ sunt & simulatæ tam uenditio, quàm manumissio.

DE TUTELIS. TIT. XIII.

VPRA diximus de personis que sunt alieni Iuris, ut de seruis & filijs familiæ, id est, quibus scilicet modis alieno Iuri subiiciantur, & iterum liberentur. Nunc de his dicemus, quæ sunt sui Iuris. Diximus autem illas esse uel sub tutela, ut pupilli & pupillæ, uel sub cura, ut adulti & minores: uel neque sub tutela, neque sub cura, ut maiores 25. annorum, qui nec prodigi, nec furiosi sunt. Trademus autem primò de illis qui sunt sub tutela.

Dicitur autem tutela, uis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui se propter ætatem defendere non potest, Iure civili data ac permessa, ut hic in prin. Dico in capite libero, quia seruus non potest gerere tutelam, neque etiam habere tutorem. Si tamè in testamento datus esset tutor à domino suo, per hoc liber esset. §. sed & seruus infra, qui test. tut. da. pos. Dico propter ætatem, quia tutor datur masculo minori xiiij. & feminae minori xij. anno, ut infr. Quibus modis tut. fin. in prin. Dico Iure civili, quia non est Iuris naturalis, nec gentium, sed Iuris positiuu. Habet autem nomen à tuendo, & dicuntur tutores, quasi tuitores. l. i. ff. de tutel. Et hic titulo nostro in principio. Est autem tutela triplex.



Tutela triplex. } I. Testamentaria.  
 } II. Legitima, &  
 } III. Datiua.

DE TESTAMENTARIA TUTELA.



Testamentaria tutela dicitur, cum liber homo, masculus, maior, & sane mentis, qui loqui & audire potest, tutor liberis impuberibus, à testatore, in testamento datur. §. permissum. hic titulo nostro. Dico liber homo, quia sicuti seruus alioqui non potest esse tutor, ita nec in Testamento tutor dari potest. In hoc tamen distingue, Aut datur seruus alienus in tutorem, aut proprius. Primo casu dic: Aut datur pure, & datio nulla est. Aut datur sub illa conditione, si liber erit, & ualet datio conditione existente. §. Seruus autem alienus. Infrà, Qui Testa. tuto. dar. poss. Secundo casu, quando scilicet datur seruus proprius, & ualet datio, siue cum libertate, siue sine libertate fiat. Nam etiamsi detur sine libertate, tamen tacite uide tur libertatem accepisse, cum tutela esse non possit, ubi non est libertas. §. sed & seruus. infrà, Qui testa. tut. da. pos. Secundo dico liber homo simpliciter, quia non distinguitur, siue sit paterfamilias, siue filiusfamilias, qui tutor datur. Quia filiusfamilias, in publicis causis siue officijs, loco patrumfamilias habetur, ideo magistratus & tutelae gerere possunt. l. filiusfamilias. ff. de ijs q sunt sui uel alieni iuris. Dico masculus, quia officium tutelae uirile est, nec possunt mulieres tutrices esse. Hodie tamen mater & auia, tutrices sunt, si uiduae manserint, & renunciauerint beneficijs muliebribus, ut C. per tot. quando mat. tu. offi. fung. pos. Vt dicemus infrà. Dico Maior, quia minor 25. annis tutor esse non potest, Si tamen tutor datur, incipit tutela, cum maior factus fuerit, §. furiosus, infr. Qui test. tu. da. pos. Dico sane mentis. Quia furiosus in tutorem dari non potest, si tamen detur, tunc tutor erit, cum compos mentis factus fuerit. d. §. Furiosus. Idem dic de prodigo. Quia huiusmodi personae ipsae opus habent curatorib. ut infr. dicemus, Dico qui loqui potest, quia muti & surdi tutores esse non possunt. l. i. ff. de tutel. Tardè autè audientes, tutores esse possunt. Quod dico Liberis, intellige de filijs & filiabus. Item de nepotibus & neptibus patrem non habentibus, Item de posthumis, Si autè in testamento dederit filijs suis tutores, non comprehenderentur nepotes. §. si quis filiabus, infrà, Qui test. tut. da. pos. Dico Impuberibus, ad differentiam adultorum (xiii. an.) & puberum, quibus non dantur tutores, sed curatores, ut infrà de cura. per tot. Secundo

officium tutela est uirile, hodie tamen mater et auia tutrices dari possunt



Secundo ad differentiam maiorum, quibus neque tutores, neque curatores dantur, nisi sint furiosi, uel prodigi. Dico, in Testamento: Quia in Codicillis dari non possunt, nisi sint Testamento confirmati. l. 3. ff. de testa. tut. Tum autem hæc datio uires acquirit, postquam is qui in Testamento hæres scriptus est, hæreditatem adierit. Si autem hæredes scripti hæreditatem repudiauerint, nihil ualet datio, Sicuti nec totum Testamentum. l. si nemo. ff. de Testa. tut. Et illas circumstantias, quas in hac definitione recensuimus, refer quoque ad alias species tutelarum. Quia omnes tutores siue sint Testamentarij, siue Legitimi, siue Datiui, debent esse liberi homines, masculi, maiores, sanæ mentis, frugales, qui loqui & audire possunt. Non tamen omnes tutores in Testamento dati simpliciter ualet. Quia sunt quidam casus in quibus requiritur tutoris confirmatio, ut primò, si pater filium naturalē & legitimum emancipauerit, & postea in Testamento ei tutorem dederit, non ualet datio sine confirmatione. Confirmatio tamen facienda est sine inquisitione, scilicet morum & facultatum tutoris. §. fin. hic titulò nostro. Idem dic, si pater dederit tutorem filio naturali. In hoc tamen distingue: Aut pater naturalis in Testamento relinquit aliquid filio naturali, & quoque dat tutorem. Et confirmari potest datio sine inquisitione. l. fin. C. de confir. tut. Si autem mater dederit liberis suis impuberib. in Testamento tutores, distingue: Aut liberos quibus tutores dedit, in eodem Testamento hæredes instituit, & datio confirmari potest, cum inquisitione. l. 1. C. de confirma. tut. l. pater. ff. de Testa. tut. Aut non instituit hæredes, & iudex non tenetur confirmare dationem. Solebant tamen Prætores eam confirmare. Vide l. Mater. & quæ ibi notantur, C. de Testa. tut. Et tantum de tut. Testa.

#### DE LEGITIMA TUTELA.

Legitima tutela dicitur, quando lex dat tutores liberis impuberibus, testamentarijs tutoribus non extantibus, quod fit cum Testator decessit intestatus. Aut si condidit quidem Testamentum, & in eo tutelæ non meminuit. Aut dedit quidem tutorem in Testamento, sed is uiuo testatore decessit: §. Quod autem. infra de leg. ag. tut. Est autem legitima tutela quadruplex.

Legitima tutela quadruplex.	}	I. Agnatorum.
		II. Patronorum.
		III. Parentum, &
		IIII. Fiduciaria.

#### DE AGNATORVM TUTELA.

Agnatorum tutela dicitur ea, quam lex hodie agnatis & cognatis  
proximis



## ENARRATIONES IN INSTITVT.

proximis expressè defert, nullis Testamentarijs tutoribus extantib.  
 §. Ex his. in Autentico de hered. ab intest. uenien. colla. 9. Dico in de-  
 finitione hodie, quia olim agnati ( *schwertmagen* ) tantum erant le-  
 gitimi tutores, Cognati autem ( *spillmagen* ) excludebantur, ut in-  
 fra, per tot. tit. de leg. ag. tut. sed hæc differentia per Ius autenticorū  
 nouissimum sublata est. Quia uocantur ad successionem & tutelam,  
 qui sunt proximiores, siue sint agnati siue cognati. d. §. Ex his. In Feu-  
 dis tamen agnatio adhuc habet prærogatiuam, quia cognati exclu-  
 duntur agnatis extantibus. Sicuti etiam cognatio in Feudis nihil ope-  
 ratur, ut in usibus Feudorum per tot. ferè. Et nota circa hanc tutelā,  
 licet lex agnatis & cognatis deferat tutelam, si in Testam. tutor datus  
 non est, non tamen possunt illi administrare, nisi quædā præcedant.  
 Primò, quòd decernatur administratio per iudicē. l. 3. §. fin. ff. de ad-  
 ministr. tut. Secundò, quòd conficiatur Inuentariū. l. Tutor qui reper-  
 torium, in principio, ff. de administr. tut. Tertiò, quòd iuret se utilia  
 facturum, & inutilia prætermitturum. Vide Angel. infra de legit. ag.  
 tut. circa finem prin.

### DE PATRONORVM TVTELA.

TVTELA patronorum dicitur, quam habent patroni in libertis  
 & eorum liberis, & ea introducta est, tantum ex mente & sententia le-  
 gis 12. tab. non autem expressis uerbis. Nusquam enim in l. 12. tab.  
 cautum reperitur quòd patronus sit tutor liberti impuberis. Quia ta-  
 men lex 12. tab. disposuit patronos libertis, sine liberis decedentibus  
 successuros, colligitur eandem legem quoq; uoluisse quòd cum tute-  
 la onerentur. Qui enim uult sentire commodum, debet quoq; sentire  
 incommodum, ut infra, de legi. patro. tut. in fi.

### DE PARENTVM TVTELA.

PARENTVM tutela dicitur, quando parentes liberorum emā-  
 cipatorum tutores fiunt, ad exemplum patronorum. Dico ad exem-  
 plum patronorum, quia hæc tutela primū neq; ex uerbis, neque ex  
 mente l. 12. tab. introducta est, Cū lex 12. tab. eius non meminerit,  
 neq; etiam fit mentio in ea de successione in bonis filij emācipati. Ideo  
 tantum ad exemplum tutelæ patronorum primū introducta est.  
 Et sic cū hodie emancipatio in successione nihil operetur, et im-  
 pediat, §. Si quis igitur, in Autentico, de hæred. ab intest. ue. colla. 9.  
 Meritò pater filio emancipato succedens, eius tutelam suscipiat. Vi-  
 de Bart. in l. frater. C. de legit. tute.

### DE FIDVCIARIA TVTELA.

• FIDVCIARIA tutela dicitur, quando frater fratris sui emanci-  
 pati



pati impuberis post mortem patris tutor fit. Illa autem tutela neque ex uerbis, neque ex mente legis xij. tab. sicuti agnatorum & patronorum tutela, neque etiam per interpretationem siue extensionem, sicut parentum tutela, sed tantum propter fiduciam quam lex habebat erga fratres, introducta est. Quia lex confidebat fratres propter ius sanguinis futuros diligentiores in defendenda persona fratris impuberis, quare eam appellauit fiduciarium, à fiducia. Hodie autem quia condita est lex, quæ uocat fratres ad successionem fratris emancipati, dicitur & ipsa ex mente ipsius legis legitima. per l. frater, C. de legit. tute.

## DE DATIVA TUTELA.

Datiua tutela est actus legitimus, per quem datur tutor impuberi pure, à Iudice mixtum imperium habente ad petitionem matris uel proximorum consanguineorum, testamentarijs uel legitimis tutoribus non extantibus. Et dicitur Datiua, quia à Iudice datur. Dico pure, quia si à Iudice detur tutor in diem, uel sub conditione expressa, datio ipso iure non ualere. l. mutuo. §. sub conditione. ff. de tutel. Dico mixtum Imperium habente, quia datio tutoris est mixti Imperij. Ideoque qui simplicem iurisdictionem in specie tantum habet, & non Imperium, tutores dare non potest, d. l. mutuo. §. tutoris datio. ff. de tutel. Dico ad petitionem matris, uel proximorum consanguineorum, quia mater, uel ea deficiente, proximi consanguinei, ad quos hereditas pupilli de iure pertinet, quam primum fieri potest, & infra annum, Iudicem illius loci, unde originem traxit (da er geboren vñ gezogen ist) & ubi facultates inueniunt, domiciliumque habet, accedere, & pupillis tutores idoneos petere debent, ut C. per tot. Qui pet. tut. & l. un. C. ubi pe. tu. quod si neglexerint tutores petere infra annum, & pupillus decesserit, priuarentur eius successione. l. sciant. C. de legit. hæ. Nisi habeant legitimam excusationem, fortassis propter absentiam, aut probabilem facti ignorantiam. Iuris enim ignorantia non excusat. l. fin. C. qui tuto. pet. Dantur autem Datiui tutores trifariam. Aut sine inquisitione, aut ex inquisitione, aut extraordinarie, uel anomalè.

Sine inquisitione dantur, quando non queritur de moribus eorum, & an sint locupletes.

Aut ex inquisitione dantur, quando facultates & mores inquiruntur.

Extraordinarie siue anomalè dantur, quando mater uel auia datur. Dicitur autem illa tutela anomala, quia neque testamentaria, neque legitima, neque etiam proprie loquendo, datiua est, Cum mulieres regulariter tutelam tanquam uirile officium, gerere non possint.

• l. l. C.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

l. i. C. quando mul. tut. off. fungi poss. Et illi omnes satisfiant rem pupilli saluam fore. § Nos autem, infrà, de Attilia. tut.

Causam efficientem illius tutelæ uides esse iudicem habentem mixtum imperium, præcedente petitione matris, uel consanguineorum, Hodie tamen si facultates pupilli non excedunt 500. aureos, possunt dari tutores à quouis magistratu. § Nos autem, infrà de Attilia. tut.

A QVIBVS DENTVR TVTORES.

Dantur autem à Iudice tutores illi, qui Testamento dari possunt, de quibus suprà.

Mater tamen excipitur, quæ à Iudice potest dari tutrix, licet in testamento non detur, Aut. Matri & auix. C. quando mul. tut. off. fungi poss. Et econtrà. Seruus in testamento tutor datur, ut suprà, qui test. tut. da. poss. et tamen à Iudice tutor dari non potest. Sic Creditores & debitores pupilli à Iudice tutores constitui non possunt, licet in Testamento dentur. Cùm fides eorum censeatur à testatore approbata. § sed hoc, infrà, de satisfat. tut.

QVIBVS TVTORES DARI POSSINT.

Et potest dari tutor absenti, nolenti, & inuito, sicuti etiam inuitus datur, cùm tutores compelli possunt, nisi habeant excusationes. § penult. infr. de satisfat. tut. l. Illud. cum l. sequenti, ff. de tuto. uel cura, datis ab his.

DE TVTORVM OFFICIO.

Absoluimus tractationem de constituendis tutoribus. restat dicendum, quòdnam sit eorum officium, ubi pupillus educetur, & quæ detur actio. Tutorum autem officium, siue sint testamentarij, siue legitimi, siue datiui, est, instituere pupillum bonis moribus, mercedes præceptoribus constituere, alimenta ministris pupilli præstare, l. cum plures. § cum tutor. ff. de administrat. tu. Corpus & salutem impuberis tueri. l. consilio. in principio, ff. de curato. furiosi. Impuberem defendere, si ab alio conueniatur. l. Tutoris præcipuum. ff. de administrat. tuto. Pro impubere promittere, soluere, & iudicium contra alium intentare. Alimenta pupillo dare, l. iij. § tutor. ff. de susp. tuto. Pecuniam dare ad usuram (gelt außthun vmb zins.) si pupilli substantia est mobilis, ut inde sustentetur. Authentica, nouissimè, C. de administrat. tut. Et hoc si neglexerint, tanquam suspecti remouentur. Et damna de bonis eorum, pupillo resarciuntur, l. fin. in principio. C. de administrat. tuto.

Tutorum officium.

DE EDUCATIONE PVPILLI.

Educatur aut pupillus apud matrè, si innupta manserit, si uerò nupserit, uel mortua fuerit, apud cognatos, aut eos, quibus. Prætor eam



tor eam prouinciam decernit. Est autem potissimum cura adhibenda, ne apud eos educetur, ubi pudicitia eius periclitaretur. l. penult. ff. ubi pupil. edu. deb. & C. eod. per totum.

### QVIBVS MODIS TVTELA FINIATVR.

Finitur autem tutela. Primò pubertate, Item arrogatione, deporatione, seruitute, captiuitate pupilli. Item morte naturali pupilli uel tutoris, capitis diminutione tutoris maxima uel media. De quibus omnibus dicemus infr. Quib. mod. tut. finia.

Finita autem tutela, tenetur tutor reddere rationem suæ administrationis coram Iudice. Durante autem tutela iudicialiter contineri non potest. l. nisi finita, cum similibus. ff. de tutel. & rationibus distrah. Obligatio autem, ex qua actio tutelæ nascitur, non prouenit ex contractu, sed ex quasi contractu, quia pupillus cum tutore uerè non contraxit, sed quasi. Et oriuntur mutuae actiones, directa & contraria. Directa datur pupillo, qua conuenit tutorem de reddenda ratione. Contraria autem datur tutori, qua conuenit pupillum, de restituendo quod eius nomine impendit. §. Tutores. infr. de obli. quæ ex quasi contractu nasc.

*Actio tutela habet locum tutela demum finita.*

#### *In uerbo, Recasuri.*

Quia tutores dantur tantum illis, qui sunt sui Iuris, & impuberes: Nepotes autem ex auo, auo mortuo non sunt sui Iuris, si filius aui, hoc est, pater nepotum adhuc uiuit, in cuius potestatem post mortem aui cedunt. Ideoq; auus eius non potest tutores dare in testa. nisi pater eorum uel mortuus fuerit, uel ipsi ab eo emancipati, tum enim possunt.

### QVI TESTAMENTO TVTORES

dari possint. Tit. XIII.



IC Titulus tractat circumstantiam personarum & temporis. Recenset enim quæ personæ, & quibus Tutores in Testamento dari possint. Deinde quando dentur.

#### *VERS. Sed sciendum.*

Ratio est, quia seruus tutor esse non potest, nisi sit liber. Ex quo autem dedit seruum Tutorem in Testamento, uidetur ei quoq; libertatem tacitè concessisse, cum tutela sine libertate esse non possit. Directa libertas est, quæ statim competit ex testamento, ut si Testator ita dixerit in Testamento suo: Lego Titio seruo meo libertatem. Hoc casu statim post mortem testatoris ipso Iure, & sine facto hominis liber esset. Fideicommissaria uerò libertas est, ubi testator fidei hæredis committit, ut seruum manumittat, ut hoc modo: Caius hæres meus post mortem meam Titium seruum manumittat, tum enim

*Seruus tutor esse non potest. Directa libertas.*

*Fideicommissaria libertas.*



statim ipso iure liber esset, sed requireretur factum hominis, id est, manumissio hæredis.

§. *Seruus, In uerbo, Purè.*

Id est, Non sub conditione, ut si ita dicit testator: Titius seruus Seij sit tutor filij mei, & non adiecit illam conditionem: si liber erit, inutilis est datio.

VERS. *Certæ autem rei.*

Tutor datur  
personis.

Tutor.  
Curator.

Quibus detur tutor, nempe personis, non autem rebus. Et nota hic obiter differentiam inter Tutorem & Curatorem, scilicet quòd Tutor principaliter personæ, secundariò uerò rebus pupilli datur. Curator autem datur principaliter rebus, & secundariò personæ minoris. l. in copulandis. C. de nupt.

VERS. *Quid si nepotes.*

Quæstio est, Si quis in testamento filijs suis tutorem dedit, an nepotibus ex filio præmortuo quoque censeantur tutores dati. Et distinguit Imperator, Aut Testator dicit: Do filijs meis tutorem, & nõ continentur nepotes. Aut dixit: Do liberis meis tutores, & continentur nepotes. Quia illa dictio latius patet. l. liberorum. in princ. ff. de uerb. significatio.

DE LEGITIMA AGNATORVM

Tutela. TIT. XV.

§. *Sunt autem agnati.*

Cognatio. Cognatio in genere propriè dicitur ab eo, quòd quasi unà cõmuniter uenire nati, uel ab eodem orti, progenitiue sint. Et est duplex: Cognatio legalis, & cognatio naturalis.

Cognatio legalis fit per adoptionem, de qua uide l. Non facile. §. cognati. cum sequenti. ff. de gradib. affinit.

Cognatio naturalis dicitur, quæ per iura sanguinis contrahitur: Et est duplex: Agnatio, & Cognatio in specie.

Agnati. Agnati dicuntur, qui nobis per mares coniuncti sunt, ut patruus, quia iunctus est per masculum, uidelicet patrem, cuius frater est. Et idem habent illi nomen gentilitium, & sunt eiusdem familiæ. Est autem de iure Ciuili introducta.

Effectus. Effectus eius est, quòd in successiõibus & tutelis præferebantur cognatis. Sicuti etiam hodie in bonis feudalibus fit. Tollitur autem per capitis diminutionem, ut hic, & §. sed agnationis. infra eod.

Cognati. Cognati uerò in specie dicuntur, qui nobis per foeminas iuncti sunt, ut Auunculus, quia per matrem meam mihi iunctus est. Item filius amittæ, licet enim amita sit mea agnata, quia soror patris mei, filius tamen eius, cognatus meus est, quia iunctus per foeminam, hoc est, matrem suam.



trem suam. Et hæc species tollitur tantum maxima & media capitis diminutione. Et licet hæc differentia inter agnatos & cognatos de iure antiquo procedebat, scilicet quod agnati in successione & tutelis habebant prærogatiuam, ita ut penitus excluderent cognatos: Hodie tamen per ius Aulen. est sublata illa differentia, quia uocantur ad successione & tutelam proximiores gradu, siue sint agnati, siue cognati. §. Ex his. in Aulen. de hæred. ab intest. uenien. coll. ix.

Prædicta tamen intellige de bonis allodialibus. Quia in Feudis agnati etiam hodie habent prærogatiuam, & cognati penitus excluduntur, ut in usib. Feudorum, per totum. Et licet deferat tutelam agnatis & cognatis, si in testamento tutor datus non est, non tamen possunt administrare, nisi quædam præcedant. Primò, quod decernatur administratio per Iudicem. l. iij. §. si. ff. de administra. tuto. Secundò, quod conficiatur Inventarium. l. Tutor qui Repertorium, in prin. ff. de administra. tutorum. Tertiò, quod iuret se utilia facturum, & inutilia prætermitturum. Vide Angel. hic.

VERS. Quia qui nascuntur

Filius amitæ tuæ sequitur agnationem & familiam sui patris, & non matris, quæ tua agnata est.

§. Quod autem lex.

Habes hic duos casus, in quibus pater, quo ad tutelam, dicitur Incestatus decedere. Primus si fecit testamentum, nec tamen tutelæ in eo meminit. Secundus si dedit tutorem in testamento, & is uiuo testatore decesserit.

§. Sed agnationis.

Id est, illa prærogatiua, quam habent agnati in successione & tutelis præ cognatis, tollitur capitis diminutione, hoc est, per status mutationem, ut si agnati facti essent serui, aut deportati.

VERS. Non omnibus modis.

Id est, non qualibet capitis diminutione tollitur cognatio, sed tantum per maximam & mediam capitis diminutionem, non autem per minimam, sicuti agnatio. Hoc tamen intellige, non quod ipsa cognatio, id est, consanguinitas tollatur, cum sit naturalis quædam coniunctio, quam capitis diminutiones à iure Ciuili introductæ, tollere non possunt. l. Iura sanguinis. ff. de reg. iur.

Effectum tamen agnationis tollunt, scilicet quod capite diminuti, maxima uel media capitis diminutione cognatis non succedunt, ut hic in glo. in uerbo, sed agnationis.

Modi per quos  
tollitur cognatio.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE CAPITIS DIMINVTIONE.

Tit. XVI.

**I**MPERATOR hic digreditur à proposito. Instituit enim disputationem principaliter de tutelis, quam modò relinquit, & obiter interpretatur quid, & quottuplex sit capitis diminutio, cum in §. si precedentis. tituli eius obiter meminerit.

Est autem capitis diminutio prioris status siue conditionis cōmutatio, ut hic in prin. tit. nostri, & l. i. ff. de capit. diminut. Caput enim sumitur hic pro statu, & diminutio pro commutatione, secundum glo. hic in uerbo, commutatio. Est autem capitis diminutio triplex: Maxima, media siue minor, minima.

*Ciuitatem, id est, ius ciuium Romanorum.*

Maxima est, cum quis amittit libertatem & ciuitatem simul, ut damnati per capitalem sententiam, uel pro seruis uenundati.

Media siue minor est, quum ciuitas amittitur, & libertas retinetur, ut in ijs qui in Insulam deportantur, uel banniuntur.

*Ciui-liter mortuus dicitur, cui omnes ciuiles actus sunt prohibiti.*

Effectus istarum duarum diminutionum est, quòd diminuti habentur pro mortuis ciuiler. Quare etiam ad tutelam, curam uel successionem suorum agnatorum & cognatorum non uocantur. Et propter hunc effectum Imperator istum titulum tutelis inseruit. *Uel. del. ij. ff. eod.*

Recipiunt autem pristinum statum hoc modo diminuti, per restitutionem principis. §. sed si ex indulgentia. sup. Quib. mod. ius patr. potest. sol. glo. in §. quod aut. in uerbo, si manumissus. hic tit. nostro.

Minima capitis diminutio est, quum libertas retinetur, status autem hominis mutatur, ut fit in emancipatis & arrogatis.

Effectus istius diminutionis est, quòd per eam tollitur ius agnationis, id est, prærogatiua in successione & tutelis, quam habet agnati. Intellige tamen de tutela agnatorum tantum, Quia testamentaria & datiuam tutelam tollere nō possunt. Sed nos suprā diximus, illam prærogatiuam agnatorum hodie non habere locum.

VERS. *Serui pœnæ.*

Id est, Qui obijciuntur bestijs, quæ pœna amplius non habet locum. Hodie aut seruus pœnæ dicitur, in quem fertur capitalis sententia, ut diximus suprā in §. pœnæ seruus. Quib. mod. ius patr. potest. sol.

*Libertatem amittit*) scilicet quando rediguntur in seruitutem.

*Aqua & igni*) In cuius locum successit deportatio, ut diximus in §. Cum autem, supr. Quib. mod. ius patr. potest. sol.

*Quod accidit his*) Id est, patribus familijs.

*Alieno iuri*) Quia passi sunt se arrogari.

*Non habuit caput*) Quia tempore seruitutis censetur mortuus.

DE



## DE LEGITIMA PATRONORVM

Tutela. Tit. XVII.



VIA supra uisum est de legitima agnatorum tutela, & adhuc alia est, quæ appellatur legitima, scilicet tutela patronorum, eam quoq; hic subiungit Imperator.

*Introducenda est*) Hæc tutela nõ est expressa in l. 12. tab. ed colligitur ex mente illius legis, cum enim patroni succedunt liberis, merito sunt etiam tutores.

VERS. Quia plerunq;

Ex illa regula fluunt omnes tutelæ legitimæ

Plerunq;

Dicit textus plerunq; propter fœminas. Nam & ipsæ succedunt. *Quando liceat mulieri petere tutelam.* Tutrices tamen esse non possunt, exceptis matre, auia, & proauia, quæ hodie legitimis & datiuis tutoribus præferuntur, non autem testamentarijs, modò renuncient secundis nuptijs, senatusconsult. Velleia. & alijs beneficijs à lege fœminis cõcessis. Authentica, Matri & auia. C. quando mul. tut. offi. fung. poss. Vide Bart. in l. si quis sub conditione, ff. de testament. tutel.

## DE LEGITIMA PARENTVM

Tutela. Tit. XVIII.



VPRA dictum est de legitima patronorum tutela, iam subiicit de legitima parentum tutela.

*Recepta est alia tutela*) Sicuti Dominus qui manumittit seruum impuberem, patronus fit, & tutor liberti impuberis: Ita quoq; pater qui emancipat filium impuberem, retinet ius tutelæ in eo.

## DE FIDUCIARIA TUTELA. TIT. XIX.



IMPERATOR hic occurrit tacitè obiectioni, uidebatur quòd illa fiduciaria tutela quoq; dicenda sit legitima, ad similitudinem tutelæ patronorum. Sicuti enim mortuis patronis liberi eorum consequebantur legitimam tutelam in libertis: Ita quoq; uidebatur defuncto parente filij emancipati tutelam pertinere ad filios defuncti, & sic fratris emancipati. Imperator autem tantum ponit antecedens, ommissa cõsequencia, sic enim argumentatur: Liberi patroni eo mortuo fiunt legitimi tutores liberorum impuberum. Ergo eadem ratione filij mortuo patre emancipate, fiunt legitimi tutores filij, hoc est, fratris emancipati. Sed illa cõsequencia est falsa, quia Imperator decidit hic contrarium, uidelicet quòd propterea non sit uocanda legitima tutela, cum magna sit diuer.

F iij



ENARRATIONES IN INSTITVT.

sitas inter filios patroni erga liberos, & fratres inter fratrem emancipatum. Quia si filius emancipatus impubes à patre emancipatus non fuisset, post eius mortem effectus esset sui iuris, nec cecidisset in potestatem fratrum suorum. Libertus autem si manumissus non fuisset, mansisset in potestate liberorum patroni, patrono scilicet mortuo, quod non est in filio emancipato. Hæc tamen tutela quoque est legitima, ex alia ratione supra tradita.

DE ATILIANO TVTORE. TIT. XX.



VPRA uisum est de Testamentaria tutela & de legitima, uidelicet, quia cessante testamētaria & legitima, opus est prouidere de datiuā. Ideo subdit de Attiliano tutore.

*De Attiliano tutore* ) Id est, de Datiua tutela.

VERS. *A Prætor urbano.*

*Prætor.* Prætor propriè dicebatur urbanus Iudex, quia in urbe Ius dicebat, à præeundo dictus, quasi præitor. Eius officium Romæ tantum erat. Nam in prouincijs erant Præsides. Alioqui Præsidis nomen generale est, eo quòd Proconsules, Legati Cæsaris, & quilibet prouincias regentes, licet Senatores fuerint, Præsides appellabantur. l. i. ff. de officio Præsidis.

*Nomen præsidis generale.*

DE AVTORITATE TVTORVM. TIT. XXI.



ABES hic effectum tutelæ, nempe pupillum regulariter nihil posse agere, nisi tutoris autoritas accedat. In hoc tamen breuibus ita distingue: Aut agitur ut pupillus contrahendo alium sibi obliget in commodum suum, ut si ab aliquo centum aureos ex causa donationis stipuletur, & ualet contractus sine tutoris autoritate. Aut agitur ut ipse obligetur alijs, & non potest sine tutoris autoritate. l. contra Iur. ciuil. in princ. ff. de part. Et hæc est summa huius tituli.

VERS. *Ne ullum damnum habeant.*

*Pupillus sine autoritate Tutoris adire hæreditatem defuncti non potest.* Quia hæres adeundo hæreditatem quasi cõtrahit cum legatarijs, & creditoribus defuncti. l. Apud. §. fin. cum l. sequent. ff. Quibus ex caus. in possessio. eatur. Quare si hæreditas quam pupillus adiret, esset grauata legatis, & ære alieno, damnum haberet, quia legatarijs et creditoribus teneretur satisfacere.

*Tutor datur personæ pupilli. Curator uero rei.* VERS. *Sed curator* ) Ratio autem, quare hic adijcitur curator, & non tutor, est, Quia si tutor detur, respiceret datio principaliter personam pupilli. Et sic prioris tutoris autoritas etiam lite finita, extincta esset, quod fieri non debet, cum lis non sit modus tollendæ tutelæ. Curator non personæ pupilli, sed liti datur, lite ergo finita, cessat quoque

curator.



curator. Cum cessante causa, cesset effectus. Ergo administratio prioris tutoris agentis cum pupillo quo ad personam eius, & cætera negotia, nihilominus manet firma. *cessante causa cessat effectus.*

## QVIBVS MODIS TVTELA FINIATVR.

Tit. XXII.

**H**IC titulus potissimum positus est propter actionem tutelæ. Diximus enim supra tutores tutela durante, de ratione administrationis iudicialiter conueniri non posse, sed tum demum postquam tutela fuerit finita. Refert ergo scire, quot sint modi per quos finiatur, quos hic ordine in textu audiemus.

*§. Item finitur tutela, si arrogati &c.*

Hodie legitima tutela non perit per minimam capitis diminutionem tutoris, cum ea tantum tollat agnationem, non autem cognationem. Cognati autem hodie quoque sunt legitimi tutores, sicuti agnati. Ergo &c.

## DE CVRATORIBVS. TIT. XXIII.

**E**XPLICATVM est supra inter cætera tutelam pubertate finiri. Cum autem puberes usque ad annum 25. nondum censeantur habiles & idonei ad negotia sua gerenda, dantur eis postea Curatores.

Est itaque cura, potestas in capite libero ad tuendum siue gerendum illius negotia, qui propter ætatem ea gerere non potest. Dico ad tuendum negotia, quia curator datur principaliter rebus siue negotiis, secundario uero personæ. Tutor uero datur principaliter personæ, & secundario rebus pupilli. Et hic nota differentiam inter tutorem & curatorem. Primò, quòd Tutor datur impuberi & pupillo: Curator uero puberi & adulto. Secundò, quòd Tutor, ut diximus, datur principaliter personæ, & secundario rebus pupilli, Curator uero datur principaliter rebus, secundario personæ pupilli. Tertiò, Tutor potest dari in Testamento, Curator uero non regulariter. Quartò, Tutor datur inuito, Curator uero non, nisi ad litem. *Differentia inter Tutorem et Curatorem.* *§. Item, hic tit. nostro. Sunt autem Curatores duplices, Legitimi, & Datiui.*

Legitimi sunt proximi agnati siue cognati, quos dat lex Furiosis & Prodigis, etiam maioribus xxv. annis, licet Iudices hodie dent ex inquisitione, hic titulo nostro, *§. furiosi.* *Legitimi Curatores.*

Datiui sunt qui dantur à Iudice puberibus & minoribus xxv. annis, & maioribus, scilicet mente captis, surdis, mutis, & qui perpetuo morbo laborant, quia rebus suis & negotiis præesse non possunt. l.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

si furioso. ff. de cura fur. In Testamento autem de Iure dari non possunt, de facto tamen dati, ualet datio, si Iudex confirmauerit.

CAUSA efficiens curæ est, lex & Iudex. Illi ipsi autem Iudices dant Curatores, qui tutores dare possunt, nempe qui habet mixtum Imperium. §. Dantur. hic titulo nostro.

CAUSA finalis est gerere illius negocia, qui propter ætatem gerere non potest, ut hic in principio. Effectus quære supra de tutelis.

*Quib. modis  
finitur tutela.*

Finitur autem Cura illis ipsis modis, quibus tutela. Nisi quòd cura anno xxv. Tutela uerò xiiij. cessat. Item si datus est Curator ad negocia certa, siue ad litem certam, finitur cura negotio siue lite finita.

Officium Curatoris est agnoscere legata, fidei commissa, hæreditatem, & alia bona adulti, furiosi siue prodigi, Inuentario tamè super his facto. Item non solum patrimonium, sed corpus & uitam eius tueri debet, maximè si est furiosus. l. Consilio. ff. de curato. furio.

§. Furiosi quoque.

*Prodigus.*

Furiosus & prodigus æquiparantur, quo ad curam. Vtrique enim, etiam cum maior est factus, curator datur. Est autem Prodigus qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilapidando & dissipando profundit &c. Possunt autem Curatores dari prodigis, siue furiosis. Primò filius patri, si prob. est. l. 1. in fin. ff. de cura. furio. Secundò filius matri. l. furiosæ. ff. de cura. furio. Deinde agnati & cognati &c. Finitur autem illa cura, si furiosus cœperit esse sanæ mentis, & Prodigus frugalis. l. 1. Verf. Tamdiu. ff. de cura. furiosi.

DE SATISDATIONE TUTORVM  
uel Curatorum. Tit. XXIII.

*Satisfatio.*



SATISDATIO, de qua hic loquimur, est species prætorie stipulationis, qua stipulatur pupillus si dari potest, à tutore, siue adulto à Curatore, coram magistratu, ut promittat & caueat res eius saluas fore. Dico: si dari potest, quia si pupillus est infans, stipulatur eius nomine seruus proprius. Si uerò seruum non habuerit, emitur aliquis: quòd si & hoc fieri non potest, cõstituit Prætor seruum publicum, qui eius nomine à tutoribus stipuletur. l. si pupillus, cum l. sequenti. ff. Rem pupilli sal. fore. Et fit duobus modis, Fideiussoribus & pignoribus. §. Quibus. §. Quod si, hic titulo nostro.

CAUSA finalis est, ne pupillorum siue adultorum bona à Tutoribus siue Curatoribus diminuantur, ut hic in principio.

EFFECTVS est, quòd ex illa satisfatione quæsitæ est utilis actio pupillo, finita tutela, & adulto finita cura, quàm primum constiterit quòd curator dolo malo quid egerit. l. Non quasi. §. hanc stipulationem.



nem cum glos. in uerbo, Aliud. ff. Rem pupilli saluam fore.

VERS. *Quem maior pars elegerit &c.*

Ratio autem, quod unus ex Tutoribus, & Curatoribus gerat administrationem solus, hæc est, quia plerumque negligentius expeditur, quod pluribus, quam quod uni committitur. l. si plures. §. quamuis, cum §. fin. ff. de adm. tut.

§. *Sciendum autem est.*

Imperator in hoc §. obiter perstringit quæ personæ sint pupillis & adultis obligatæ ex administratione rerum suarum, si non fuerit satisfdatum, uel satisfdatum, non tamen idoneæ. Circa quod tu ita distinguè: Si plures sunt dati tutores simul qui nihil gesserunt, conueniuntur illi primùm, quorum bona executiuntur, & si inde pupillo potest satisfieri, fideiussores non conueniuntur, sin minus, conueniuntur fideiussores quoque, cum excussione bonorum. Si & inde pupillo non potest satisfieri, agitur contra Magistratum in subsidium. l. aduersus, cum l. sequenti. C. de magistra. conueni. Si uerò dati sunt plures tutores, & administratio tutelæ diuisa est, ita quod uni ex eis tantum cum satisfatione imponeretur. Si hoc casu is nihil gessit, conuenitur primùm ipse gerens, & executiuntur eius bona. Secundo cæteri Contutores, Fideiussores, & Magistratus in subsidium.

In Magistratibus autem sic distinguè: Sunt quidam qui tantum dant Tutores, nec exigunt satisfationem rem pupilli saluam fore, ut Prætor, Præfectus urbis, &c. Et illi non conueniuntur in subsidium. §. Neque hic titulo nostro. Secundo quidam Magistratus possunt Tutores dare, & exigere satisfationem simul, quales sunt Magistratus municipales, & defensores Ciuitatum. Illi admoniti à cognatis ut darent Tutores, si non dederint, uel dederunt quidem, sed sine satisfatione, uel cum satisfatione, non tamen idonea. Et conueniuntur in subsidium si minoris conditio inde facta est deterior. l. Aemilius. ff. de adm. tut. §. Nos autem, supra de Attiliano tuto. Tertio sunt qui exigunt tantum satisfationem, nec possunt Tutores dare. Et hi quoque conueniuntur, si satisfationem non exegerunt, uel exegerunt, sed non sufficienter, Quales sunt Tabelliones, Notarij, & similes. l. i. §. si Magistratus. ff. de Magistra. conue. glo. in §. Nos autem, in uerbo, eorū, supra de Attiliano Tutore.

Duplices magistratus.

§. *Subsidiaria autem Actio*

Subsidiaria actio dicitur, quando agitur contra Magistratum, excussis tutoribus, eorum collegis, & fideiussoribus.

DE



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE EXCVSATIONE TVTORVM  
uel Curatorum. Tit. XXV.



VIA suprà de Tutoribus & Curatoribus constituendis, deque illorum officio & actionibus dictum est, & sæpe Tutores uel Curatores excusationes, quibus se à tutelis & curis liberant, obijciunt, Imperator hic modos ad excusationem sufficientes, enumerat.

Excusatio.

Est autem excusatio, alicuius iustæ causæ allegatio, ob quam non debeant cogi ad tutelam uel curam. Et sumitur ex multis rationibus, quas hic in textu audiemus.

§. Item diuus.

Fiscus est Thesaurus principis, siue publicum ærarium, quo reponitur pecunia pœnalis propter aliquod maleficium, uel simile quiddam præstita, uel debita. Bona enim deportatorum, hæreticorum, contrahentium incestas nuptias, Item hæreditas eorum, qui mortem defuncti non uindicant iure, aut qui sibijps, metu alicuius atrocissimi delicti, mortem consciuerunt, deferuntur ad fiscum. l. 1. ff. de iure fisc. Et qui illam pecuniam exigit, procurator fisci dicitur, qui excusatur ab onere Tutelæ &c.

VERS. Nec anni.

Nam alioqui si quis aberat Reip. causa, post reditum habebat uacationem anni, infra quem non poterat uocari ad tutelam. Hoc intellige de noua tutela suscipienda, non autem de suscepta.

§. Item Romæ.

Licet excusentur Grammatici, Medici & Rhetores, artes in sua patria exercentes, non tamen omnes excusantur, sed adhibetur certus numerus pro magnitudine Ciuitatum, in quibus degunt.

In minoribus enim ciuitatibus quinque Medici, tres Rhetores siue Sophistæ, & totidem Grammatici, In maioribus septem Medici, quatuor Rhetores, & totidem Grammatici. In maximis autem ciuitatibus, decem Medici, quinque Rhetores, & totidem Grammatici à tutelis & curis excusantur, & ultra illorum numerum nõ admittitur excusatio. l. si duas. §. Grammatici. ff. eodem.

Philosophi quoque qui suam artem profitentur, excusantur quotquot fuerint. Non enim certus numerus præfigitur, cum pauci sint, qui philosophentur. l. sed & reprobari. ff. eodem. De Theologis non est dubium quin sint excusati, quia de iure Ciuili & Canonico, ab omnibus oneribus & officijs ciuilibus sunt exempti, ut habetur in multis locis. C. de Episcop. & cleri. Iuxta illud: Nemo militans Deo, implicet se negocijs secularibus. Iuris autem professores non excusantur à tutelis, nisi Romæ legerint. d. l. sed reprobari. §. fin. uel nisi à consilijs

Iuris professores non excu-



consilij principum fuerint. l. Jurisperitos, ff. eod. Nec etiam excusantur Mathematici, qui docent Musicam, Arithmeticam, Geometriam, & Astronomiam, l. Geometræ, ff. eod. Vide glo. hic, in uerbo, Grammatici.

*Sanctur a iure  
lis, nisi Romo  
legerint.*

VERS. Non appellant &c.

Scilicet à datione, cum se excusare possint. Si tamen excusatione proposita sententia feratur, in qua grauaretur, posset appellare. l. cum in una, §. Tutor, ff. de appel.

§. Qui autem excusare se uolunt.

Hic §. continet tempus, infra quod admittitur excusatio, si qua potest produci. Tu autem ita intellige illam computationem, quod primo tutores uel curatores dati, si habitant in urbe, siue intra centesimum miliare ab urbe, habeant 50. dies ad excusationem, si uero ultra centum miliaria habitauerint, pro qualibet dieta 20. miliaria, & ultra illas dietas 30. dies ad excusationem haberent, postquam cognouerint se tutores datos. Ex hoc tamē uideatur sequi, illorum, qui longius absunt, conditionem esse deteriorem, quam eorum qui habitant in urbe, aut prope urbem, ueluti si quis esset ducentis miliarijs ab urbe, haberet pro qualibet dieta 20. miliaria, & sic decem dies, infra quos possit proficisci Romam, & ultra illos decem dies adhuc 30. quibus simul computatis, extarent 40. dies, cum in urbe, aut prope urbem habitantes 50. dies continuos habeant, quod tamen esset iniquum. Ideo dicit l. scire oportet. §. aliud, ff. eod. illam computationem de 30. diebus esse intelligendam, si tutores habitauerint quadringentis & quadraginta miliarijs ab urbe. Ibi enim haberent 20. miliaria pro dieta, & sic 22. dies, ad profectionem itineris, & ultra illos 22. dies, alios 30. sicuti hic textus dicit, & computarentur 52. dies continui. Quare uides illam computationem de 30. diebus ad eos qui intra quadringenta et quadraginta miliaria habitant, non pertinere. Cum ipsi quoque habeant 50. dies ad excusationem, sicuti mens. §. nostri, in fin. uult, dum dicit: Ne minus sint quam 50. dies. Licet uerba aliud uideantur sonare.

*Computatio  
dierum, intra  
quos exceptio-  
nes opponere  
licet.*

DE SUSPECTIS TUTORIBVS  
& Curatoribus: Tit. XXVI.



AEPE contingit, quod tutores & curatores in administrationibus habentur pro suspectis. Ideo Imperator illam suspicionem hic tractat.

Est autem suspectus tutor siue Curator, qui non administrat



*Vnde colligitur suspicio.*

ministrat bona fide, sed dolo & fraudulenter. Differunt tamen hic tutor et curator. Quia tutor à pupillo tutela durante & nondum finita tanquam suspectus accusari non potest. Curator uerò potest, etiam durante cura. Et colligitur illa suspicio contra tutorem & curatorem potissimum ex dolo, mendacio ac denegatione alimentorum, ut hic. Hæc aut accusatio est publica, Ideò quilibet accusare potest tutorem suspectum, etiam mulieres, pupillo tamen aliqua ratione uel sanguinis, uel familiaritatis iunctæ. §. consequens, hic titulo nostro. Modò probent dolum. Et fit accusatio coram illis ipsis magistratibus, qui tutores dare possunt. §. Datum, hic titulo nostro.

**C A V S A** finalis est, ut Tutor remoueatur.

**E F F E C T V S** sunt, primò quòd lite contestata, interdicitur suspecto administratio. §. si quis aut suspectus, hic titulo nostro. Secùdò quòd conuictus de dolo, remouetur tanquam suspectus etiam si paratus sit satisfacere, rem pupilli saluam fore, & fit infamis. §. Nouissimè, hic titulo nostro.

**VERS.** *Dummodo meminimus famæ eius parcendum.*

*Quare parcedum fame patronorum.*

Quia libertus in libello non debet exprimere dolum patroni, propter reuerentiam quam debet patrono, Sed tantum generaliter accusare, quòd male et negligenter res suas administrauerit. Et hoc casu non fieret infamis, cum propter dolum non condemnatur per sententiam, ex quo in libello de dolo non sit facta mentio. Vide Bart. in l. Hæ enim. in fin. princip. ff. eod.

**VERS.** *Quinimo & mulieres.*

*Quomodo mulieres possunt accusare.*

In hac accusatione est speciale in fauorem pupillorum & adultorum, quòd mulieres admittuntur. Alioquin enim huiusmodi & similia uirilia officia per Edictum Pretoris eis interdicta sunt, ne contra pudicitiam sexui congruentem, alienis causis se immisceant. Huic autè Edicto Calphurnia improbissima mulier, que inuerecundè postulabat, & Magistratum inquietabat, causam dedit. l. i. §. secundo loco, cum §. sequenti. ff. de postulando.

**FINIS LIBRI PRIMI INSTITUTIONUM IMPERIALIUM.**

**IN**



# IN LIBRVM SECVN<sup>37</sup> DVM INSTITVTIONVM.

DE RERVM DIVISIONE, ET ACQVL  
rendo ipsorum dominio. Tit. I.



**I**N HOC LIBRO TRACTATUR SE-  
cundum membrum diuisionis supra traditæ, de  
reb. scilicet. Est autem res, generalissimum nomē, *Res.*  
cuius appellatione, non tantum ipsa res, sed etiam  
causæ & fructus rei, Item iura & seruitutes ipsi rei  
debitæ, ueniunt. l. rei appellat. cum glos. ff. de uer-  
bo. sign. Sunt autem triplices res.

Quædam sunt in patrimonio nostro, quæ scilicet dominio nostro  
subijci possunt, ut res corporales. De quibus infra tractatur in §. sin-  
gularum, usq; ad finem tituli nostri.

Quædam uerò sunt extra patrimonium nostrum, quæ nostro do-  
minio subijci non possunt, ut res communes, & nullius, quales sunt  
sacræ, sanctæ, & religiosæ. De quibus tractatur à principio tituli us-  
que ad §. singularum.

Quædam uerò sunt nec in, nec extra patrimonium nostrum, qua-  
les sunt seruitutes urbanorum & rusticorum prædiorum, ut iter, a-  
ctus, uia, aquæ ductus, usufructus, quæ per se non possunt esse, cum  
hæreant in alia aliqua re, ut colligitur ex l. 1. ff. de usufru. lega. & l. Re-  
ctè dicimus, in princ. ff. de uerb. signifi. Et de his tractabitur usq; ad  
tit. de usucapio. exclusiue. Quia autem quædam res dominio nostro  
subijciuntur, de dominio præmittemus.

## DE DOMINIO.



**S**T itaq; dominium ius perfectè disponendi de re corpo-  
rali, si rei copiam habeas, sin minus, uendicandi, nisi uel le-  
ge, uel conuentione prohibearis. Genus istius definitio-  
nis est ius. Reliqua omnia posita sunt ad differentiam alia-  
rum specierum Iuris, ut adoptionis, patriæ potestatis, possessionis,  
usucapionis, præscriptionis, obligationis, actionis &c. Dico autem  
perfectè disponendi, ad differentiam possessionis, que est ius insisten-  
di. Item ad differentiam aliarum specierum Iuris, possessor enim non  
potest perfectè disponere. Dico de rebus corporalib. quia rerum in-  
corporalium, ut seruitutum, & similium, propriè nullum est ius. d. l.  
Rectè dicimus, ff. de uerb. signific. Ideo is cui seruitutes debentur, nō



ENARRATIONES IN INSTITVT.

dicitur habere earum dominium, sed ius in re aliena. Dico si rei copiam habeas, quia dominus rerum suarum copiam habens, dicitur moderator & arbiter rerum suarum. Ideo intellige, si rei copiam habes, hoc est, si rerum tuarum administratio sine controuersia ad te pertinet. Dico, Sin minus, uendicandi, quia is qui res suas non possidet, ut puta per alium spoliatus, utiq; de eis perfectè disponere non potest. Poterit tamen eas à possessore quolibet uendicare. Dico nisi lege prohibearis, quia pleræque personæ licet dominium rei habeant, tamen non possunt pro libito tractare. Exemplum: Maritus est dominus dotis, & tamen eam alienare non potest, quia lex prohibet. §. Nā dotale, infrà. Quibus alien. licet, uel non. Item pupilli, furiosi, prodigi quoque sunt domini rerum suarum, & tamen non possunt de eis disponere, lege prohibente. §. Vnde in his, suprà de autor. tutor. l. Is cui bonis, ff. de uerbo. obligat. Dico nisi conuentione prohibearis, Quia si uenditor pactum in contractu apposuit, de re non uendenda, efficit illud pactum adiectum, quòd emptor utcunq; dominus rei sit factus, rem alienare non possit. Vide doct. in §. duo fratres. l. qui Romæ, ff. de uerbo. obligat. Idem dic de debitore, qui creditori suo rem aliquam pro debito obligauit, quia is utcunq; sit dominus rei obligatæ, non tamen potest de ea disponere, quia conuentio obstat. Est autem dominium duplex: directum & utile. Directum dicitur, quod est sine fructu, cum spe tamen consolidationis, quale est, quod habet dominus feudi, siue Emphiteosis. Utile dicitur, quod habet uasallus, siue Emphiteota. Plenum autem is habere dicitur, qui habet utrunq;, ut est in omnibus bonis allodialibus & hæreditarijs.

*Directum.*

*Utile.*

*Plenum.*

*Cognata.*

Cognata domini sunt, quasi dominium, & ius in re. Quasi dominium habet is, qui rem aliquam ab eo, qui non erat dominus, quem tamen putauit esse dominum, ex iusta causa, ut emptionis uel donationis, & bona fide acceperit, id est, nesciens rem alienam esse. Dicitur autem ideo quasi dominium, quia is qui non est dominus, dominium quod non habet, in alium transferre non potest, iuxta regulam. Nemo. ff. de reg. iur.

*Effectus.*

*Ius in re habere.*

Effectus quasi domini est, quòd mediante præscriptione & usu capione, quæ facit quem uerum dominum, & interim si quasi dominus rem amiserit, habet actionem Publicianam, ad repetendam rem amissam, de quib. infrà. Ius in re habet creditor in pignore, licet enim dominus pignoris uideatur creditor, tamen non est dominus, sed tantum habet ius pignoris. l. pignus. C. de pig. Actio. Idem dic de seruitutibus.

*Causæ.*

Causæ domini sunt duplices. Aut enim de Iure gentium acquirimus, aut de Iure ciuili. Causæ Iurisgentiũ sunt occupatio, captiuitas, procreatio



procreatio &c. de quibus hic in tex. Causæ uerò Iuris Ciuilis subdiuiduntur. Aut enim acquirimus per uniuersitatem, ut aditione hæreditatis, agnitione bonorum possessionis & hæreditatis. Aut acquirimus sigillatim, ut usucapione, præscriptione, legato, fideicommissio singulari. De quibus suo loco.

Effectus dominij sunt, quòd dominus potest disponere de re sua prohibito si habet, & non prohibetur lege uel cõuentione. Cùm qui libet in re sua sit moderator & arbiter. l. in re mandata. C. Mandati. Secundò, si nõ habet rei copiã, potest uendicare, à quocũq; possessore possessa fuerit. §. Namq; agit. uers. Aut cum eo. infr. de actionibus.

Tollitur autem dominium. Primò, si res nostras tradimus alteri animo alienandi. Secundò, si quis bona fide id quod nostrũ est, possederit & usuceperit. l. Traditionib. C. de pact. Tertiò, si res nostræ factæ sunt publicæ, sacræ, sanctæ, uel religiose, ut colligitur ex §. Itẽ contrã. infr. de inutilib. stip.

#### ENARRATIO Textus.

Hunc tit. poteris docendi causa diuidere in duas partes principales. In prima habes diuisiones rerum, quòd scilicet sint quintuplices: Cõmunes, publicæ, uniuersitatis, nullius, & singulorum. In secũda in §. singulorũ, habes causas, quib. res de Iure gentium fiunt nostræ. Tu res ita diuide breuibus, quòd sunt duplices: Corporales & Incorporales. Corporales sunt, quæ sui naturã tangi possunt, ut fundus, homo &c. De quib. loquitur totus iste titulus. Et subdiuiduntur. Quædam enim sunt diuini Iuris, quædam humani. Diuini Iuris sunt res sacræ, sanctæ, religiose, quæ nullius dominio subiiciuntur. Res humani Iuris subdiuiduntur in cõmunes, publicas & priuatas. De quib. suo loco. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt, qualia sunt quæ in Iure consistunt, ut seruitutes &c. De quibus infrã tit. proximo.

§. Et quidem naturali Iure communia.

Dicuntur communia, eò quòd non tantũ hominibus, sed omnibus animantibus sunt usui. Ita tamen cõmunia sunt, quo ad ipsum cõtinens. Contentum enim à continente separatũ definit esse cõmune, sed sit priuati Iuris, & cedit occupanti. Exemplum: Mare est continens aquæ, piscium, gemmarum, &c. Si quis ergo hauserit aquam ex mari, aut pisces coeperit, siue gemmas inuenerit, ille statim fiunt occupantis post separationem à continente. Idem dic de aëre. Et hic uides usum istarum rerum omnib. æquẽ patere. Ipsæ autem res communes permanent Iure naturali, nec possunt alicuius dominio subiici, nisi longissima præscriptione in mari & littore maris id fiat. Sicuti uidemus in Venetis, qui partem maris occupauerunt, & Iurisdictionẽ in eo cõsecuti sunt. Vide Bar. in l. Iniuriarum, §. si quis. ff. de iniurijs.



VERS. *Et ædificijs se abstineant.* ) Ædificia enim in littore maris structa, ædificantium sunt, & non communia, modò decreto Iudicis extructa sint, & publicis usibus non obsint, alioqui manu prohiberi potest ne fiant. l. Quamuis. ff. de acquir. do.

VERS. *Quia non sunt Iuris gentium.*

Ius gentium hic sumitur pro Iure naturali, sicuti etiam Ius naturale sumitur pro Iure gentium, ut § sed naturalia. supra de Iure nat. gent. & ciuili.

§ *Flumina.*

Flumina sunt duplicia: Publica & priuata. Priuata, quæ interdum aquis deficiunt, & quorū proprietates à singulis acquiri potest. Publica uerò dicuntur, quæ perennia sunt, ut Rhenus, Albis, Mogonus, Danubius, &c. l. i. ff. de flumi. Et de illis loquitur textus noster. Quilibet enim in eis piscari potest, nec ab aliquo prohiberi. l. si. in fin. prin. ff. de usucapio. Nisi quis fortè continuè in quasi possessione istius Iuris fuerit, quòd solus pluribus annis in publico flumine piscatus sit, tunc potest alios prohibere. l. si quis quã. ff. de diuers. & temp. præscript. Molendinæ tamen sine principis siue magistratus autoritate in publico flumine fieri nõ possunt, neque etiam aqua abduci potest, ne navigationi officiat. l. Quo minus, & ibi Bart. ff. de flumi.

*Et portus.*

Portus est cõclusus locus, quo importantur & exportantur merces. l. Portus. ff. de uerbo. signifi. Ripa uerò est id, quòd fluminis alueum continet, naturalem cursus sui rigorem tenens. l. i. ff. de flu.

§ *Riparum quoque.*

Differètia inter littus & ripam est, primò, quòd littus est maris, ripa uerò fluminis. Secundò, quòd usus littoris omnib. communis est, Proprietas uerò nullius. Usus uerò arborum in ripa naturalium quoque cõmunis est omnib. Ita quòd quilibet in ripa fluminis poterit stare, piscari, nauesque arborib. alligare. Proprietas tamen riparum & arborum priuata est, hoc est eorum, qui prope flumen prædia possidēt. Poterit autè dubitari, quæ sit ratio, quòd flumina sunt publica, etiam quò ad proprietatē, ripæ uerò nõ, quò ad proprietatē. Responde eam esse rationem, quòd ripæ hominum cultura & labore incrementum accipiunt, Flumina uerò per se fluunt, sine facto hominis. Ex quo ergo prædia possidentes mutant ripas, ne impetus fluminis in prædia irruat, Iure quoque proprietates illarum ad eos spectare debet, quia ubi est onus, ibi quoque debet esse cõmodum. § Quia plerumque supra, de legit. patro. tutela.

Res cõmunes secundum Angel. differunt à publicis, quòd illæ nunquam

Flumina publica, ripæ uerò non.

Res communes & publicæ differunt.



numquam in alicuius dominio fuerunt, sed sunt relicta communia, secundum Ius suum naturale primæuum. Publicæ uerò, ut flumina & portus, interdum subiiciuntur dominij circumiacentium, sicuti colligitur ex l. quòd in littore, ff. de acquir. rer. dom. Res autem publicæ differunt à rebus uniuerſitatis, quòd illarum usus est omnium populorum simul, qualescunq; sint. Vſus uerò uniuerſitatis quoque communis est, sed tantum illorum hominum, ubi res uniuerſitatis sunt sitæ.

§. Sacra Res.

Res sacrae sunt, ut textus hic dicit, quæ ritè per pontifices cõſecratae Deo sunt. Et sunt duplices. Quædam, n. dedicantur ad usum & cultum diuinum simpliciter & immediatè, ut calices, libri, ornamenta &c. Et illæ alienari non possunt, nisi causa pietatis, ut si alienentur pro redemptione captiuorum, uel sustentatione pauperum tempore famis, iuxta regulam; Aurum habet Ecclesia, non ut seruet, sed ut erogat & subueniat in necessitatibus, c. Aurum, xij. q. ij. & l. sancimus. la. i. C. de Sacros. Eccle. Vel si Ecclesia habet superflua uasa, & debent, & possunt alienari. Aut, præterea. C. de sacrosanct. Ecclesi. Quædam uerò res sacrae non dedicantur simpliciter ad cultum diuinum, sed pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ. Et illæ possunt alienari, si conditio Ecclesiæ inde fit melior, uel alioq; Ecclesia grauata est ære alieno, nec potest de mobilibus satisfieri. §. Hoc autè, in Auten. de alie. & Emphit. coll. ix.

In alienatione autè requirunt tria. Primò causæ cognitio, ut scilicet superior Prælati examinet, utrū alienatio expediat Ecclesiæ, nec ne. Secundò consensus, seu autoritas Prælati Ecclesiæ, secundum Panor. in c. Statuimus, extrà de transact. Tertiò cõſensus totius Cleri siue Capituli. c. Placuit, xij. q. ij. c. si, extrà, de reb. Ecclesiast. non alienan. Qui autè his non obseruatis alienauerit, siue occupauerit, puniit de Iure canonico, et Ciuili. Pœna Iuris Canonici est, quòd habentur pro sacrilegis, & excõmunicantur. c. omnes Ecclesiæ. 17. q. 4. Pœna Iuris Ciuilis est, quòd Ecclesiæ re alienatam uendicat precio non reddito. Authentica, qui res. C. de sacrosanct. Ecclesi. Si tamen res aliqua esset ad piū usum relicta, qui deprehenditur illicitus, debet in aliū usum piū & licitū cõuerſi. l. legatū. & quæ ibi norantur, ff. de usu & usufructu legato.

Res ad piū  
usum relicta.

Effectus rerum sacrarum est, quòd sine causæ cognitione temerè in profanum usum conuerti non potest. l. Sancimus. de sacrosanct. Ecclesi.

§. Religiosum.

Hodie illatione mortui siue cadaueris, simpliciter locus nō fit



religiosus de Iure, sed requiritur autoritas Episcopi, sicuti constat.

§ Sanctæ quoque Res.

*Sanctura.* Sanctum est, quod ab iniuria hominum, defensum atq; munitum est, dictum à sagminibus. Sagmina enim herbæ sunt, quas *Sagmina.* legati populi Rom. ferre solebant, ne quis eos uiolaret. l. sanctū. ff. de rerum diuisione.

§ Singulorum.

*Quot modis consequimur rerum dominiū* De rebus quæ in dominium nostrum uenire non possunt, diximus: Nunc de rebus priuatis, quarum dominia consequi possumus, dicemus. Consequimur autem earum dominia duobus modis, de Iure gentium, & de Iure Ciuili. In hoc § usq; ad finem tituli tractat de modis Iuris gentiū, Et deinde à titulo de usucapione, usq; ad titulū de obligationibus, tractat modos Iuris ciuilis.

§ Feræ igitur bestia.

*Primus acquisitionis modus.* Primus modus siue causa acquisitionis rerum priuatarū de Iure gentiū, est occupatio quæ continet quinque species: Venationē, piscationem, aucupium, captiuitatem, in bello scilicet publico iusto, et inuentionē. Est igitur uenatio occupatio bestiarum ferarū de Iure gentium permessa. Nisi aliqua longiss. præscriptione hoc Ius in aliquo loco solus adquisierit. Dico ferarū, quia q; mansuetas occupat, furtū cōmittit. Dico, Nisi aliqua longiss. etc. Quia si quis solus in aliq; certo loco longissimo tempore uenatus fuerit, potest alios prohibere, ut colligitur ex l. si quisquā. ff. de diuer. & temp. præsc. Et licet Imperator hic indistinctē permittat uenationē, tamē de Iure cōsuetudinario Feudorū, illa facultas est restricta ad ursos, apros, & lupos. § Nemo de pace tenen, in usib. feu.

VERS. Quod enim ante nullius.

Res nullius sunt duplices: Primò natura, ut feræ bestia, uolucres, pisces, & illæ conceduntur occupanti. Secundò uocantur nullius, ex estimatione siue censura hominum, ut res sacra, sancta, de quibus loquitur text. in § Nullius, supra eod.

*Integrare*) Apibus adhuc in arbore pendentibus cum fauo.

*Glo. in uerbo, Talis regula. in § pauonum.*

*Tria animalium genera.* Dic secundū glo. hic in uerbo, Talis, Quod tria sunt genera animalium. Quædam sunt prorsus fera, ut lupi, apri &c. & illa conceduntur occupanti, iuxta § feræ igitur bestia, supra eod. Quædam natura quidem fera sunt, sed tamen diligentia hominū mansueta reddita. Et illa tum fiunt occupantium, quando constat abesse animo non reuertendi, de quibus in § ceruos, hic titulo nostro.

Quædam sunt natura mansueta, ut gallinæ, anseres &c. Et illa per



per occupationem non fiunt occupantis, de quibus loquitur §. Gallinarum, hic titulo nostro.

VERS. *Et qui lucrandi animo &c.*

Furtum enim non esset, si detineret, non tamen animo lucrādi: Ad hoc enim ut furtum sit, requiritur dolus & fraus, ut infra dicemus.

VERS. *In littore maris.*

Dicitur notanter, in littore maris, quia lapilli & gemmæ ibi nati, in nullius bonis unquam fuerunt, igitur cedunt occupanti. Idem dic de alijs rebus natis in publicis siue communib. locis, secus si quis gemmas, aut alias res, in alio loco, quàm ubi natæ sunt, inuenerit, tū enim non fiunt inuentoris, cum prius dominum habuerint, qui eas amisit, Ideoq; restituere debet. Si uerò retinuerit, furtum committit. Quia animo lucrandi rem alienam contrectat.

§. *Præterea.*

Secundus modus generalis Iuris gentium, quo rerum dominia cōsequimur, est accessio, quæ fit duobus modis. Quandoq; enim accedit rebus nostris, & nostrum fit sine hominum labore & industria, quandoq; per humanum laborem & operationem. Prima accessio est duplex, Continua, & Discreta. Discreta est, quādo ex animalibus nostris, ut uaccis, ouib. gallinis &c. quid procreatur. Continua uerò fit per alluionem. Item si in Insula, in flumine publico nata fuerit, uel flumen dereliquerit alueum. Est autem alluuiò propriè, quando flumen paulatim detrahit fundo alicuius, & fundo alterius adijcit, ita quòd non poterit animaduerti, quid quouis momento adiectum sit, Ideoq; illa accessio fit eius, cuius fundo adijcitur, siue lapides, siue ligna, siue gemmas, siue aurum adiecerit, modò terræ inhæreant, & oblita sint. l. adeo. §. præterea. ff. de acquir. rer. do. ut Bart. in tracta. de alluuiò. in principio.

Secundus modus generalis, quo rerum dominia consequimur. Accessio est duplex.

Secundò accessio, quæ scilicet fit cum hominum labore & industria, fit multis modis, ut commixtione, ædificatione, implantatione, satione, scriptura, pictura &c. de quibus infra in text. ordine.

§. *Insula.*

Insula dicitur propriè locus, qui undiq; aquis circumdatus est, si. *Duplex insula.* ue sit in mari, siue in flumine, ut hic in glos. in uerbo, insula. Et est duplex, Naturalis, & Accidentalìs siue Casualis. Naturalis est, quæ non fit casu, sed perpetuò ferè fuit, quales sunt Creta, Rhodus &c. Et de illis non loquitur textus noster. Casualis siue Accidentalìs dicitur, quæ uel in mari, quòd tamen rarò fit, uel in flumine nascitur. In mari nata, quia nullius est, cedit occupanti, quo ad dominium. & in hoc casu loquitur §. noster. Iurisdicctio tamen spectat ad illum,



ENARRATIONES IN INSTITVT.

qui mare distinguit, ubi nata est. l. Insulæ, cum glos. ff. de Iud. In flumine uerò nata Insula eorum fit ipso Iure, qui prope flumen prædia possident, quo ad dominium. Iurisdictio tamen ad dominum illius territorij pertinet. l. adeo. §. Insula. ff. de acquir. rerum domi.

VERS. Scilicet pro modo latitudinis.

Id est, fit mensuratio Insulæ, respectu utriusq; possidentis prædia circa flumen. Et si fuerit in medio fluminis orta, cedit cuiq; dimidia pars insulæ. Si autem in una parte ripæ duo prædia possederint, diuiditur dimidia pars insulæ proportionabiliter ratione prædiorum.

Si uerò in littore fluminis orta fuerit, ita, quòd uni sit propior, ab altero uerò longius distet, iterum fit mensuratio, & cedit unicuique sua pars, pro ratione proportionis, hoc est, is ad cuius prædium inclinatur Insula, plus acquirit quàm alter, qui est remotior.

§. Cum ex aliena.

Prima species  
accessionis.  
Specificatio.

Sequitur nunc accessio, quæ fit per nostrum laborem, cuius prima species est specificatio. Est autem specificatio, quando quis ex aliena materia bona fide speciem conficit, ut ex alieno auro annulū. Quæritur autem uter sit dominus speciei, an is, cuius fuerit materia, an specificans. Et distingue: Aut species potest reduci ad rudem materiam, sicuti annulus potest reduci ad aurum. Et habet dominus materiæ actionem ad exhibendum, ut scilicet exhibeatur species, & reducatur ad priorem materiam, quo facto habet rei uendicationem, qua consequitur suam materiam. l. In rem. §. si quis. & §. Item quæcunq;. ff. de rei uendicat. Aut species non potest reduci ad rudem materiam, ut si quis ex alieno frumento coxerit panes, ibi panes non possunt resolui in frumentum. Et tunc distingue: Aut specificans fuit in bona fide, id est, nesciuit frumentum esse alienum, & fit dominus speciei. Tenetur tamen domino materiæ actione in factum ad æstimationem materiæ. d. §. Item quæcunq;. Aut specificans fuit in mala fide, id est, sciuit materiam esse alienam. Et datur domino materiæ actio ad exhibendum, & deinde Rei uendicatio. Quia si quis sciens ex aliena materia aliquid conficit, uidetur operam suam domino materiæ donasse. l. Cuius per errorem. ff. de reg. Iuris.

In uerbo, Species aliqua.

Hic nota Iurisconsultis esse speciem, quod Dialecticis est indiuiduum, ut cum dico: Promittis mihi Pamphilum, promissio speciei est. Sicuti cum ita stipulor: promittis mihi hominem, promissio generis est.

§. Quod si partim

Secunda species  
accessionis.

Secunda species accessionis in specie est commixtio siue Confusio. Fit autem Commixtio, quando quis partim ex sua, partim ex aliena



aliena materia speciē facit. Exempli gratia. Si quis furaretur Titio frumentum, & uendiderit Sempronio, Sempronius licet bona fide emerit, nesciens scilicet frumentum esse furtiuum, tamen nō fit dominus frumenti, Cū uenditor, fur scilicet, dominium non habuerit. Igitur manet frumentum alienum, scilicet illius, cui surreptum erat. Iam si Sempronius illi frumento à fure empto suum immiscuerit, & panes coxerit &c. quæritur quid Iuris sit in illa commixtione, cū materiā specierū, partim specificantis, partim uerò aliena fuerit. Et distinguitur: *Distinctio.* Aut ex commixtione fit certa species, cuius materia separari non potest, ita ut sciatur, quæ pars cuiusq; fuerit, ut uinum, annulus &c. Et subdistinguitur: Aut commixtio est facta uoluntate solius specificantis bona fide, nesciente illo qui fuerit dominus partis materiæ, & fit specificans dominus speciei, quia concurrunt duæ rationes, uidelicet opera sua, id est, specificatio, & pars quoq; materiæ quam adhibuit, Et in hoc casu loquitur §. Quod si partim, hic titulo nostro. Dominus tamen partis materiæ, habet actionem in factum ad æstimationem, per regulam: Nemo cum alterius iactura locupletetur. l. Nam hoc natura. ff. de condict. indeb. Aut est facta commixtio cum consensu, siue uoluntate utriusque, tam specificantis quàm alterius: siue est facta commixtio casu, id est, neutro sciente, & fit species ex commixtione facta communis, daturque actio utriq; communi diuidendo. l. Idem Pomponius, in principio. ff. de Rei uend. Et in hoc casu loquitur §. si duorum, hic titulo nostro. Si autem est facta commixtio materialium, sed singula corpora suam substantiam retinuerunt, ut si frumentum meū alieno commisceatur. Et tunc quoq; subdistinguitur: Aut frumentū est mixtum uoluntate utriusq;, & fit commune, competitq; actio, cōmuni diuidendo. d. l. Idem Pomponius, in principio. Aut est mixtū casu, id est, neutro sciente, siue uoluntate unius tantum, altero nesciente. Et subdistinguitur: Aut frumentum extat. Et tunc, aut apparet quantum cuiusq; fuerit, & habet uterq; rei uendicationem, ad repetendū id, quantum de suo aceruo frumenti accesserit. d. l. Idem Pomponius. Aut nō apparet quantum cuiusq; fuerit, & iudex ex officio suo æstimabit quantum cuiq; reddi debeat. ut hic in §. sed si ab alterutro. Si uerò frumentum consumptum fuerit. Et iterum subdistinguitur: Aut fuit consumptū bona fide, & tunc si constiterit quantum cuiusq; fuerit, datur utilis actio ad æstimationem illius consumpti, ex mente l. qui occiderit. §. si quis alienum. ff. ad l. Aquili. Si uerò non constiterit quantum cuiusque fuerit, committitur arbitrio iudicis, qui ex officio decernit, quantum cuiq; debeat. arg. d. §. sed si alterutro, hic titulo nostro. Aut male consumptum est, & furtum cōmisit consumens. Quia scienter congreßauit rem alienam, animo lucrandi. Ideoq; furti actione tenetur.



VERS. *Condici possunt, in § si quis tamen alienam.*

*Dominus cui  
res surrepta est  
habet quatuor  
actiones.*

Id est; potest agi contra furem actione personali. § Appellamus, infra de actionibus. Et nota obiter, dominum, cui res surrepta est, habere quatuor actiones. Prima est actio ad exhibendū, quæ est quasi præparatoria rei uendicationis, nempe qua agitur contra possidentem, ut exhibeat rem, & det inspectioni. Secunda est rei uendicatio, qua rem ipsam, si extat, à quouis possessore repetit. Tertia est actio furti, qua consequitur duplum uel quadruplum, secundum Ius antiquum, & quoq; rei persecutionem habet. De qua infra. Quarta est conditio furtiua, qua consequitur rei extinctæ æstimationem.

§ *Cum in suo solo.*

*Tertia species  
accessionis.*

Tertia species accessionis est ædificatio. Fit aut ædificatio, de qua hic loquimur, duob. modis. Aut enim quis in suo solo ædificat ex aliena materia. Aut in alieno solo, ex sua materia. Primo casu dic: Aut ædificans ædificat bona fide, id est, nescit materiã esse alienã, & sit dominus ædificij, quia ædificiũ cedit solo. Tenet tamen domino materię actione detigno iniuncto, qua consequitur duplũ. Si uerò ædificiũ dirutum fuerit, & nondum consecutus est duplum, habet actionem ad exhibendũ, & rei uendicationem, qua repetit suam materiam. Idem Iuris est in eo qui habet tignũ iniunctum, licet ipse non iniunxerit, ut hic in glo. in uerbo, de tigno iniuncto. Aut ædificat mala fide, & agit contra eum actione ad exhibendum, rei uendicatione, actione furti, condictione furtiua, & actione de tigno iniuncto. l. 1. in fin. & l. fin. ff. de tigno iniuncto, & glos. hic in uerbo, de tigno iniuncto. Secundo casu, quãdo ædificat in alieno solo ex sua materia, Et subdistingue: Aut ædificat mala fide, sciens scilicet solum alienum, & uidetur domino soli donare illam materiam. l. Cuius per errorem. ff. de regul. Iuris. Ideoq; cedit tale ædificiũ solo, nec uendicatur materia, etiamsi sit dirutũ ædificiũ, & de illo casu loquitur § & ex diuerso, hic tit. nostro. Aut bona fide, & non tenetur domino soli restituere ædificiũ, nisi soluerit dominus precium materiæ, & fabrorum mercedes, iuxta regulam: Nemo locupletetur cum alterius iactura. Et in hoc casu loquitur § certe, hic tit. nostro.

§ *Si Titius alienam plantam.*

*species accessio-  
nis in specie-  
m.*

Est planè eadem ratio cum implantatione & scriptura, quæ est cum ædificatione. Sicuti .n. ædificiũ cedit solo, ita quoq; planta & frumentũ solo, & scriptura chartę cedit. Et sicuti sciens alienũ solũ esse, ædificando de sua materia, ædificiũ domino soli facit: & sicuti



& sicuti ædificans bona fide in alieno solo, potest petere expensas & æstimationem materiæ: Sic quoque plantans & serens bona fide in alieno solo, petit à domino soli impensas & precium seminis siue plântæ.

§. *Si quis in aliena tabula.*

Ratio diuersitatis est, quòd scriptura cedit chartæ, & tabula picturæ, quia olim cum non erat papyrus, chartæ multo præciliores scripturis erant. Picturæ autem propter sumptus colorum semper erant preciosiores quibuslibet tabulis. Ideo utrinq; uilius preciori cedit.

§. *Si quis à non domino.*

Est & alius modus acquirendi dominium. Perceptio fructuum ex re aliena, bona fide possessa, ut intelligas, pone casum hoc modo: Titius emebat fundum à Sempronio bona fide, cum tamen fundus non esset Sempronij, & sic traditione non potuit transferri dominium in emptorem, quia uenditor non erat dominus. Certum tamen est, quòd per possessionem longi temporis, id est, decennij, & sic per præscriptionem, potuit assequi dominium, si ergo interim priusquam fundus emptus præscriberetur, à uero domino uendicatus fuerit, quæritur an emens & sic possessor bonæ fidei teneatur quoq; ad fructus quos inde percepit. Et distingue: Aut quæritur de naturalibus fructibus, qui sine industria hominum, & labore prouenerunt, ut de pomis, piris, & similibus. Et dic: Aut extant, & uendicat dominus à bonæ fidei possessore. Aut sunt consumpti, & tenetur bonæ fidei possessor conditione sine causa, ad æstimationem in quantum factus est locupletior. Aut quæritur de industrialibus fructibus, qui scilicet hominum labore & industria prouenerunt, ut frumentum, uinum &c. Et iterum distingue: Aut extant, & possunt uendicari per officium iudicis. l. certum. §. Bonæ fidei. C. de rei uendi. Aut consumpti sunt, & planè nihil tenetur possessor. Pro cura enim & labore suo eos retinet, ut hic in §. nostro. Et hæc in bonæ fidei possessore procedunt.

Malæ fidei autem possessor indistinctè tenetur de omnibus fructibus, tam naturalibus quàm industrialibus, de extantibus quàm consumptis. Similiter quoq; de perceptis & percipiendis, nisi habeat titulum. Tum enim excusatur de percipiendis.

§. *Is uero.*

Sicuti bonæ fidei possessor fructus industriales pro labore & industria suos facit, sic quoque usufructuarius, & quoque Colonus. Differt tamen usufructuarius à bonæ fidei possessore. Primò, quia ad hoc ut fructus fiant usufructuarij, requiritur quòd aut ipsemet,

*Alius modus  
acquirendi do-  
minium.  
Perceptio  
fructuum.*

**Titius**

aut



aut alius suo nomine eos à terra separet, & percipiat. l. si fur decerpserit. ff. de usufructu. Bonæ fidei autē possessori cedunt fructus, à quocūq; fuerint separati. l. si usufructuarius messem. ff. Quibus mo. usufruct. amittatur. Secundo differūt, quòd usufructuarius facit omnes fructus suos, tam naturales quàm industriales. l. usufructu legato. ff. de usufructu. Bonæ fidei autem possessor tantum industriales suos facit, non autem naturales. l. fructus. ff. de usuris.

VERS. Eadem ferè & de Colono dicuntur.

Colonus est, qui sub certa annua mercede in pecunia numerata, uel alia materia, ueluti frumento, uino, &c. agros suscipit colendos.

Sicuti autem usufructuarius omnes fructus tam naturales, quàm industriales suos facit, ita quoq; Colonus. Differt tamen colonus ab usufructuario, quòd fructus sunt coloni, à quocūq; fuerint decerpti. l. si apes. §. fin. ff. de furt. Usufructuarij uerò tum demum fiunt, cum ipsemet, uel alius eius nomine à solo separauerit, d. l. si fur decerpserit. ff. de usufructu. Secundo differunt quòd hæres Coloni, eo mortuo in eius locum succedit, & fructus percipit. §. fin. infrà de Locatio, & conductio. Hæres uerò usufructuarij, non item. per text. nostrum hic.

§. Sed si gregis.

Debet enim uti, frui, bona fide, sicuti diligens pater familiàs, salua rerum substantia.

§. Thesauros.

Thesaurus est depositio pecuniæ ab ignotis dominis, cuius non extat memoria. l. unica. C. de Theaur. li. x. Dico ab ignotis dominis, & cuius non extat memoria, quia quando constat quis deposuerit, et quando deposita sit, thesaurus non est. Ideoq; si quis uel lucri, uel metus, uel custodiæ causa pecuniam absconderit, Inuentoris nō fit. Qui autem inuenerit, sciens conditionem, & retinuerit, furtum committit. l. Nunquam nuda. §. Thesaurus. ff. de acquir. rerum domini. Abscondentis enim, uel eius hæredum manet. l. Theaurus. ff. ad exhibēdum. Si tamen quis talem pecuniam inuenerit, nesciens conditionem, & putans thesaurum esse, retinendo non committit furtum, quia nō est in dolo, ut dicemus infrà de furtis.

Si quis querit  
in suo loco.

In loco sacro.

Ad hoc autem ut scias quid Iuris sit de thesauris inueniendis siue quærendis, quorum non extat memoria. Distingue: Aut quærit, siue inuenit quis thesaurum in suo loco. Et subdistingue: Aut quæritur simpliciter, non adhibitis artibus magicis, & fit thesaurus inuentoris, siue casu inuenerit, siue inquirendo. Aut inuenit in loco sacro, uel religioso, & fit quoq; inuentoris, si non inquirendo, sed casu fortuito inuenit. d. l. unica. C. de theaur. lib. x. d. l. Nunquam nuda. §.

Thesaurus



Theſaurus. ff. de acquir. rerum domi. & §. nostro hic. Aut non quaeritur ſimpliciter, ſed artes Magicae adhibentur, & fiſco debetur, ſi inuentus fuerit theſaurus. Gloſ. in uerbo, Arte, & ibi Bart. in d. l. unica. C. de Theſaur. lib. x. Aut quis inuenit Theſaurum non in ſuo loco, neq; in loco religioſo, ſiue ſacro, ſed inuenit in re aliena, ſiue in Caſa *In re aliena.* riſ, ſiue Fiſcali. Et ſubdiſtingue: Aut quis inuenit theſaurum caſu, ut arando, uel aliàs terram alienam colendo, non tamen animo requirendi theſaurum, & ſit dimidia inuētoris, dimidia uerò domini ſoli. Aut ſtudioſè animo quaerendi theſaurum inuenit, & tenetur domino ſoli inuentum reſtituere, puniturq; poena extraordinaria. d. l. unica. C. de theſauris, lib. x.

§. Per traditionem.

Alius modus Acceſſionis eſt traditio, Eſt autem traditio rei alicuius in aliquem translatio. Et ſumitur duobus modis, Propriè & Impropriè. Propriè, quando res mobilis traditur, ut annulus, uestis, liber &c. Impropriè uerò in rebus immobilibus, quæ tradi uerè non poſſunt, ſed ſit inductio in poſſeſſionem, quæ pro traditione habetur.

*Alius modus  
acceſſionis.  
Traditio per  
quam acquirimus  
rerum do-  
mina.*

Obſeruabis autem ſolam traditionem non ſatis eſſe ad transferendum dominium. I. Nunquam nuda. ff. de acquir. rerum domi. Quia primò requiritur, quòd tradens ſit dominus rei tradite, uel ſaltè quaſi dominus, iuxta regulam, Nemo plus iuris in alium transferre poſteſt, quàm ipſe habet. Secundò, quòd ſit perſona habilis ad tradendū, ueluti non pupillus, non furioſus, non prodigus. l. 1. ff. de Curato. furioſi. Tertiò, quòd præcedat cauſa uera, uel putatiua, ut cauſa emptio- nis, donationis, dotis, legati &c. Si uera cauſa præceſſit, non eſt dubium, quin transferatur dominium. Si uerò putatiua præceſſit, Diſtingue: Aut uterq; putauit cauſam ſubefſe, & transfertur dominium, uel quaſi dominium per traditionem. Aut tradēs putauit ſubefſe cauſam, & accipiens ſciuit nullam ſubefſe, & accipiens hoc modo, furtū committit, quia ſciens contrectat rem alienam. l. ſi iuſſu. §. 1. ff. de fur- tis. Aut accipiens putauit cauſam ſubefſe, tradens autem ſciens nullā ſubefſe, & transfertur dominium, quia uidetur donare. l. Cuius per errorem. ff. de regu. lur. Quartò, quòd res non ſit prohibita alienari, ut res ſacra, ſancta, dotalis, liber homo &c. Et quia illæ utcunq; tra- dantur etiam ex iuſta cauſa, non tamen transfertur dominium. Quin- tò, ſi traditio fuerit facta ex cauſa emptio- nis, requiritur quòd ſit ſolu- tum precium, aut alioqui uenditori pignoribus, uel fideiuſſorib. ſatis- factum. §. uenditæ, hic tit. noſtro.

VERS. Sed ſi is.

Quare ante ſolutum precium, uel ſufficientem cautionem poſteſt



uenditor rem uenditam tanquam suam uendicare. Nisi uenditor fidē  
emtoris sit secutus, uel emtor paratus sit in continenti precium sol-  
uere, uel alijs modis uenditori satisfacere. l. inciuille. C. de Rei uendi.  
&c.

§. *Alia sane.*

In uerbo: *Quia palam*) Nisi ex qualitate proiectionis intelligi possit  
res ita proiectas, quòd pro derelicto habeantur. Exemplum: Si quis  
libros apertos è naui in mare proiecerit, statim appareret eijcientem  
eos habere pro derelicto, Ideoq; cederent occupanti. Si uerò clausos,  
& inuolutos abijceret, uideretur non animo amittendi eiecisse, qua-  
re & etiā eius manēt. l. falsus. §. Si iactum. ff. de furtis. iuncta glo. hic.

## DE REBUS CORPORALIBVS ET incorporalibus. Tit. II.



In titulo præcedenti, explicatæ sunt multæ diuisiones re-  
rum, In hoc autem titulo, habes aliam diuisionem, scilicet  
quòd quædam sunt Corporales, quædam Incorporales.  
Corporales sunt quæ de sui natura possunt tangi, ut fun-  
dus, prædium &c. Et sunt duplices. Quædam enim de sui natura sunt  
quidem tangibiles, quæ tamen propter impossibilitatem tangi non  
possunt. Qualia sunt corpora cœlestia. Item ea quæ in Mari submer-  
guntur. Et de ijs, licet sint res Corporales, tamen de eis Iure nihil di-  
spositum est, cùm dominio nostro subiici non possint. Quædam ue-  
rò ita tangibiles sunt, quòd à quouis facillè tangi & deprehendi pos-  
sunt. Quales sunt ædes, fundi, & reliquæ res, quas habemus in nostro  
commercio: quæ quibus modis nostræ fiant de Iure gentium, dictū  
est in titulo proximo. Quibus autem modis nostræ fiant, de Iure ciui-  
li, audiemus infrà, in titulis de Usucapio. de donatio. de Testamen. de  
Legat. de Fideicommissis, de Successione ab Intesta. de bonorū pos-  
sessione, & in quibusdam titulis sequentibus. Incorporales uerò sunt  
quæ tangi non possunt. Qualia sunt ea, quæ in Iure consistunt, ut ser-  
uitus, ususfructus, usus, habitatio, usucapio, præscriptio, hæreditas,  
possessio, obligatio, actio &c. Quarum tractatio usq; ad finem triū  
librorum sequentium durat, & singularum explicationem suo loco  
audiemus.

VERS. *Quæ in Iure consistunt.*

Res incorpo-  
rales in Iure  
consistere.

Ideo dicit: Res incorporales in Iure consistere, quia incorporalia  
cogitatione tantum discernuntur. Quid enim sit hæreditas, tangi nō  
potest, sed animus hominis percipit, ideo Iuris esse dicitur, quia per  
Ius substantiatur, creatur, & nominatur. Et licet contenta in hære-  
ditate sint res corporales, ut fundi, prædia &c. Tamen ipsa hære-  
ditas,



ditas, id est, ipsum Ius per se non est corporale quiddam. Ideo quoque possideri proprie non potest, sed quasi possidetur. Idem dic de reliquis rebus incorporalibus. Et sic nota obiter quod continens non semper mutat naturam propter contenta.

DE SERVITVTIBVS RVSTICORVM  
& urbanorum praediorum. Tit. III.

**C**ONTINVATIO ad sequentes tres titulos talis potest assignari: Dictum est in proximo titulo, res incorporales eas esse, quae consistunt in Iure, quales sunt seruitutes, haereditas &c. quas Imperator ordine explicabit, & primo orditur a seruitutibus. Seruitus est Ius, quod habemus in re alterius, ut is patiatur aliquid, aut non faciat aliquid. I. Quotiens. §. Seruitutum. ff. de seruit. *seruitus.* Exempli causa: Si haberem iter in fundo Titij, oporteret eum pati, me ire per illum fundum. Vel si habeo Ius in aedibus, vicini, ne fenestram faciat &c. me invito fenestram facere non poterit, & illud Ius seruitus uocatur, quia vicini aedes uel fundi, in hoc seruiunt aedibus, uel fundis meis. Dico in definitione, in re alterius, ad differentiam dominij, quod est Ius, quod habemus in rebus nostris, et non alienis. Est autem seruitus duplex: Realis & Personalis. Seruitus realis est, cum res seruit rei, ut fundus fundo, domus domui, praedium praedio, pratum prato &c. Ideo realis dicta, quia personam non respicit, sed durat, etiamsi persona cui debetur, sublata fuerit. Et transit ad quemcumque successorem, secundum gl. in l. 1. ff. de Seruit. Et subdiuiditur in seruitutes Rusticorum praediorum, & urbanorum praediorum. Rusticorum praediorum sunt, quae rusticis praedijs debentur, ut agris, uineis, pratis, horreis, stabulis, a reliquis tamen aedificijs, causa inhabitandi factis, separatis. I. Eo Iure. §. Stabula. ff. in quibus caus. pig. uel hypoth. contrahitur. *Duplex seruitus.*

Qualia sunt

{	Iter.	Actus.
	Via.	
	Aquæ ductus.	
	Aquæ haustus.	
	Pecoris ad aquam appulsus.	
	Ius pascendi, <b>Dietrist.</b>	
	Calcis coquendæ.	
Arenæ fodiendæ.		

L. 1. ff. de seruit. rustico. praed. His connumerari poterit Ius uenandi & aucupandi in alieno fundo, Ius piscandi in alieno flumine, Ius secandi ligna in aliena sylua. Nam & haec rebus seruiunt, & ad successores perueniunt.



*Seruitutes urbanorum prædiorum.*

Seruitutes urbanorum prædiorum sunt, quæ debentur prædijs urbanis. Dicuntur autem Urbana prædia, omnia ædificia, inhabitandi causa facta, ubicunq; sint, modò non fiant fructuum reponendorum causa, secundum glo. hic in uerbo, Villa.

Seruitutes urbanorū prædiorum sunt hæ.

Altius tollendi ædificium, & officendi luminibus uicini.

Aut non extollendi.

Stillicidium auertendi in tectum siue aream uicini.

Aut non auertendi.

Mittendi tigna in uicini parietem.

Ius deiciendi.

Item ne officiat prospectui. l. 1. cum sequentibus. ff. de seruit. urbanorum prædiorum.

*Causæ seruitutum Realium.*

Causæ seruitutum Realium sunt pactiones, stipulationes, contractus, ut emptiones, donationes, legata. § Si quis uelit. hic titulo nostro. Item usus tanti temporis, cuius initij non extat memoria. Habetur enim talis præsumptio pro constituto. l. 1. § fin. ff. de aq. plu. arc. Requiritur tamen quasi traditio, quæ fit per patientiam domini, qui patiendo inducit quem in quasi possessionem, & cauet se non impediturum utentem seruitutem. l. Quoties. ff. de seruit. Effectus est, habere Ius in re alterius.

*Amittuntur seruitutes Reales.*

Amittuntur autem seruitutes Reales. Primò, per cõfusionem, hoc est, si is qui habet seruitutem in fundo alicuius, illum fundum emat, aut econtrà. l. 1. ff. Quemad. seruitus amittatur. Secundò, per ædificationem. Si enim eo sciente, qui seruitutem habet, in eo loco ubi seruitus est, quid ædificatum fuerit, amissa est seruitus. l. Si stillicidij. in prin. ff. Quib. mod. seruit. amittatur. Tertiò amittuntur non utendo infra decem annos inter præsentem, & uiginti inter absentes, si seruitus est continua, nec habeat temporis interualla. Si uerò discontinua fuerit, ut si alternis mensibus seruitutem quis habeat, uel aquã in æstate tantum, in alieno fundo habeat, duplicantur tempora amissionis, ut scilicet non utendo uiginti annis inter præsentem, & quadraginta inter absentes amittatur. l. si sic constituta. ff. Quemad. ser. amit. Et hoc est uerum in seruitutibus rusticorum prædiorum. In seruitutibus autem urbanorum prædiorum non est satis ad amissionem, quòd quis intra decennium, uel uiginti annos non fuerit usus seruitute. Sed requiritur impedimentum illius, in cuius bonis seruitus hæret, uidelicet quòd decem uel uiginti annis impedierit ne uteretur illa seruitute. glo. in uerbo, Recipiat. hic tit. nostro.



## DE SERUITVTIBVS PERSONALIBVS.

**SERUITVTES** personales sunt, quando res seruit personæ. Et *Seruitutes personales.*  
 Ideo personalis dicitur, quia tantum personæ inhæret, & non rebus. Ideo cum persona intermoritur.

Et sunt tres,  $\left\{ \begin{array}{l} \text{Vfusfructus.} \\ \text{Vfus, \&} \\ \text{Habitatio.} \end{array} \right.$

## DE VSVFRVCTV.

Vfusfructus dicitur ius alienis rebus utendi, fruendi, salua rerum substantia. Dico Alienis rebus, quia usufructuarius non est dominus rei, in qua constitutus est usufructus, Sed tantum habet ius fruendi, *Vfusfructus.*  
**Er mag es allein genießen.** Ideoque non datur ei rei uendicatio, sed actio confessoria. & Aequè si agat, infra de Actio. ubi principaliter tractatur materia seruitutum. Dico utendi, ad differentiam iuris, quod creditor habet in pignore, quo uti non potest. Imò utendo, **Wann er es gebraucht** / committit furtum. & furtum autem. infra. De oblig. quæ ex del. nasc. Dico fruendi, ad differentiam Vsuarij, qui tantum uti potest, quantum opus habet ad quotidianum usum, non autem frui, sicuti Vsufuctuarius, qui fit dominus proventuum, & reddituum rei, ex qua debetur usufructus, modò ipse percipiat, & à terra separet & Is uerò, supr. De rerum diuisio. l. si fur decerpserit. ff. de usufructu. Dico salua rerum substantia, quia Vsufuctuarius ita uti frui debet, ne proprietatis fiat deterior. Ideoque si usufructus uineæ legatus esset, in locum demortuarum uitium uel arborum, Vsufuctuarius alias substituere debet & Sed si gregis. suprà de rerum diuisio.

Cognata usufructus sunt, usus, habitatio, & quasi usufructus. *Cognata.*  
 De usu & habitatione infra dicemus. Quasi usufructus uerò est in rebus quæ usu consumuntur, ut uino, oleo, frumento, pecunia numerata &c. Et dicitur ideo quasi usufructus, quia non potest esse in huiusmodi rebus, salua rerum substantia. Aut si salua manet substantia, non potest Vsufuctuarius uti & frui. Et sic non conuenit cum definitione usufructus. Constituitur autem quasi usufructus, præstando cautionem de restituendo tantundem pecuniæ, olei, siue uini &c. uel æstimationem eorundem, finito usufructu, quæ cautio loco proprietatis soluendæ habetur.

Est autem usufructus duplex: Formalis & Causalis.

Formalis dicitur, quâdo usufructus separatus est à proprietate, de quo loquitur propriè titulus noster.



Causalis uerò est, quando coniunguntur proprietates & usufructus, & nihil aliud est in effectu, quàm plenum dominium. Et dicitur illa coniunctio consolidatio. § Nam cedendo, hic tit. nostro.

Causæ usufructus sunt pactiones, stipulationes, cōtractus, testamenta, Codicilli. Vt si testator alicui usumfructum domus suæ legauerit. Item sententia Iudicis, ut si Iudex uni proprietatem, alteri uerò usumfructum adiudicauerit. l. Ususfructus pluribus modis. ff. de usufruct.

Causa materialis sunt res corporales, & incorporales, mobiles, & immobiles. Mobiles sunt, quæ usu nō consumuntur, ut iumenta, pecudes &c. Immobiles, ut prædia urbana & rustica, ut fundus, ædes, prata, uineæ &c. Incorporales, ut Iurisdictiones, decimæ, census, redditus &c. Causa finalis, uti frui rebus alienis.

Effectus est, parere Actionem confessoriã. § Aequè. infr. de Actio.

**QVIB. MODIS FINIATUR VSVFRVCTVS.**

Primò, morte Usufructuarij.

Secundò, maxima & media capitis diminutione.

Tertiò, nō utendo decem annis inter præsentēs, & uiginti inter absentes. l. An usufructus. ff. de usufruct.

Quartò, mutatione rei, in qua debetur usufructus, ut si in domo fuerit relictus usufructus, & illa exusta fuerit, uel deciderit: uel si sit in aerea relictus, et postea factum sit ædificium, uel si habeam usumfructum agri alicuius, qui postea sit stagnum, uel ecōtrà, uel in sylua cedua, ubi postea agri parati sunt &c. In istis & similibus casibus cessat usufructus, quia res est mutata. l. Si ager. cum similibus. ff. Quib. modis usufruct. amittatur.

Quintò, confusione, ut si usufructuarius nanciscatur proprietatem, & econtrà. l. Si seruus. ff.

Quib. mod. Usufruct. amittatur.

Usufructus finitur multis modis.

**DE VSV**

Vsus dicitur Ius cum cautione utendi rebus alienis, salua rerū substantia. Dico cum cautione, quia usuarius tenetur satisfacere de utenda re, arbitrio boni uiri, id est, Iudicis, & de restituendo eo quod restabit. l. Huic. § sed & usus. ff. usufruct. quomodo caue. Dico utendi tantum, ad differentiam usufructus, in quo est quoque ius fruendi, quod



quod hic non habet locum. Ideoq; is qui usum fundi alicuius habet, <sup>Differentia inter usum et usumfructum.</sup> fructibus, pomis, oleribus, floribus, oleo, fœno &c. & alijs rebus que in fundo nascuntur tantum quo ad uictum suum proprium necessarium & suorum, uel interdum etiam conuiuarum siue hospitum quos recipit, nec aliquid quod ultra uictum supererit, uendere uel alienare potest, quod tamē usufructuario permittum est. Sunt quoq; aliæ differentie inter usum & usumfructum, quas poteris colligere in Ioan. de Pla. hic. Fit autem usus dupliciter. Aut constituitur in rebus immobilibus, ut fundo &c. & potest usuarius uti omnibus rebus, que inde nascuntur. Aut constituitur in rebus mobilibus, ut grege ouium, & subdistingue: Aut ea que inde proueniunt, in usu tantum sunt, non autem in fructu, & cedunt usuario. Aut non tantum sunt in usu, sed quoq; in fructu, & non cedunt. Exemplum. Si usus pecorum uel ouium legatus esset, certum est, usuarium lacte, lana, & agnis uti non posse, uel tantum modicè, quia in fructu sunt, & non in usu. §. In pecudum. supra de rerum diuisio. Ad stercorandum autem agrum pecoribus legatis uti possit. §. sed & si pecorum, cum §. sequen. hic titulo nostro.

**CAUSAE** eadē sunt, quæ sunt usufructus, ut hic titulo nostro. Effectus est uti rebus alienis. Finitur quoq; usus illis ipsis modis, quibus usufructus.

#### DE HABITATIONE.

Habitatio est ius separatum ab usu & usufructu, in habitando consistens, & tantum in domo constituitur. Dico tantum in domo, ad differentiam usufructus & usus, qui in omnibus alijs rebus constitui possunt, modo usu non consumantur. Secundo differt habitatio ab usufructu & usu, quia ius habitationis finitur tantum morte inhabitantis. Ea autem pluribus modis amittuntur, ut dixi. Tertio differt ab usu, quia usuarius ius suum alteri locare non potest. Is autem qui habitationem habet, locare & gratis concedere alteri potest. Et in hoc casu conuenit cum usufructu. Cum usu quoq; conuenit habitatio, quia eas personas ad se recipere potest inhabitans, quas recipit usuarius. Cum utroq; conuenit, quod easdem habet causas, quas illæ seruitutes. Secundo, quod non transit ad hæredes, sicut nec illa duo iura. Vide de Ioan. de Pla. hic.

**CAUSAE** habitationis, ut diximus, eadē sunt, quæ sunt usufructus, & usus, de quibus supra.

**EFFECTVS** est habitare in alienis ædibus. Finitur autem habitatio morte illius, qui inhabitat, non autem alijs modis, quibus usufructus tollitur.

#### VERS. Iter, actus, uia.

Differentia inter iter, actum, & uiam hæc est, quod qui habet iter,



ius habet eundi & ambulandi, siue ipse eat, siue sella uel lectica uehatur, siue equo, alioue quocuuq; animali insidat, iumentum tamen & uehiculum ducere non potest. Qui uerò Actum habet, primùm habet omnia iura itineris, & præterea plaustrum & iumentum ducere potest. Viam uerò qui habuerit, tam ius itineris, quàm actus habet, Et præterea ius trahendi lapides & ligna, ferendiquè erectam hastam, hoc est, ius habet ducendi exercitum siue peditatum per alienum agrum, modò fructus non lædat. l. qui sella. ff. de seruitu. rusti. præd.

*Ædificijs*) Factis causa inhabitandi.

*Et si in uilla ædificata sint.*

Econtra omnia ædificia non causa inhabitandi, sed reponendorum fructuum gratia facta, rustica prædia dicuntur, etiam si sint in urbibus.

§. *Ideo autem hæ.*

Id est, seruitus est Relatio, quæ uersatur inter duo extrema, inter fundamentum, & terminum. Fundamentum est prædium in quo hæret seruitus, & ex quo debetur. Terminus uerò est fundus siue prædium, ad quod respicit, siue cui debetur seruitus. Ideoq; sine istis prædijs seruitus esse non potest, sicuti accidens non potest esse sine subiecto.

*Ius in corpore.*

Id est, in re aliqua immobili, quæ si fuerit mutata, & ipsum ius ususfructus sublatum est, ut si ager in quo debetur ususfructus, fit piscina. Est autem ususfructus quoq; Relatio, quæ uersatur inter duo extrema, inter fundamentum & terminum. Fundamentum est ipsum corpus, siue res immobilis, in qua debetur ususfructus. Terminus uerò est persona, cui debetur ususfructus.

VERS. *Item alij usumfructum.*

Id est, testator potest eundem fundum duobus simul legare, uni ususfructum, & alteri proprietatem.

*Caucatur*) Scilicet, de restituendo uino, oleo &c. uel eorum æstimatione, ususfructu finito.

*Satisfdet*) Pignoribus, uel fideiussoribus.

*Capite minueretur*) In seruitutem redigeretur, uel deportaretur.

*Per cautionem*) Quæ scilicet loco proprietatis habetur.

*Maxima*) Id est, seruitute.

*Media*) Id est, deportatione.

*Cedendo extraneo*) Id est, cedendo ius ipsum ususfructus, nihil agitur, quia personæ inhæret, à qua separari non potest. Commoditas tamen uendi & cedi extraneo potest, etiam proprietario inuito.

*Viatur*)



*Vtatur*) Usufructuarius habet omnes fructus, tam naturales, quam industriales, & potest de his pro libito disponere, nec tantum ad usum, sicut usuarius.

*Nec his*) Id est, familiae rusticae, quae ibi est fundi colendi causa, urbanae tamen licet molestus sit, propterea non prohibetur illic morari, ut colligitur ex l. si habitatio. §. pen. & ultimo. ff. eod.

VERS. *Nec ulli alij Ius.*

Id est, commoditatem quam habet usuarius, alteri cedere uel locare non potest, quod tamen usufructuarius potest. Et sic intellige non de iure ipsius usus, sed commoditatis. Quia etiam usufructuarius Ius ipsum, hoc est, usumfructum in alium transferre non potest. §. Nam cedendo. supra de usufru.

*Cum uxore*) Sine quibus, usus domus est inutilis. Nam ubicunq; in aliqua lege, siue dispositione fit mentio de se, uel de sua persona, uel similibus, Talia uerba non solum comprehendunt propriam personam, sed etiam alias quas circa se habet necessario, puta uxorem, liberos et similes. l. iij. §. sed quod diximus. ff. de pe. lega.

*Proprium aliquod Ius*) Scilicet in domo tantum consistens. Alijs locare, & etiam gratis concedere potest. l. 1. §. Inter commodatum. ff. commodati.

VERS. *Exposuimus.*) Continuatio ad sequentem Titulum.

## DE VSVCAPIONIBVS ET LONGI temporis praescriptionibus. Tit. VI.

**I**N superioribus tit. libri secundi diximus, quibus modis de iure gentium res singulorum dominio nostro subiiciantur. Sequuntur nunc causae Iuris civilis, quae sunt duae. Causae Iuris  
Civilis. Aut acquirimus rerum dominia sigillatim, aut per uniuersitatem. Sigillatim acquirimus per usucapionem, praescriptionem, legatum, donationem, fideicommissum singulare. Per uniuersitatem uero consequimur primo aditione hereditatis, quae fit duobus Per uniuersitatem. modis, ex testamento, & ab intestato. Secundo agnitione bonorum possessionis. Tercio arrogatione. Primum itaque de usucapione & praescriptione dicemus. Quia autem usucapionis & praescriptionis causa est possessio. Iuxta regulam: Sine possessione praescriptio non procedit. c. sine possessione, de regu. Iur. in 6.

### DE POSSESSIONE.

Dicitur autem possessio, quasi pedum positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui insistit. l. 1. ff. de acquir. possessio. Possessio in genere est ius insistendi rei corporali, non prohibita possideri. Bart. in l. 1. ff. de acquir. possess. Dico Ius insistendi, ad differentiam

•seruitutum,



seruitutum, domini, obligationis, actionis, & similibus specierum iuris. Dico rei corporali, ad differentiam rerum incorporalium, quæ propriè non possidentur, sed quasi possidentur. Dico non prohibite possideri, propter res sacras, sanctas, & religiosas, quæ possideri non possunt, ut supra diximus. Cognata possessionis sunt quasi possessio & detentio. Quasi possessio est in rebus incorporalibus. Detentio uero in pignore, commodato & similibus. Est autem possessio duplex, Naturalis & Ciuilis.

Detentio.

Ciuis possessio.

Ciuis possessio est ius insistendi rei corporali, non prohibita possideri, id est, causam præbens præscriptioni & usucapioni, ex quibus deinde sequitur dominium, aptum producere ciuiles effectus respectu ueri domini. Dico aptum producere ciuiles effectus, respectu ueri domini. Primò, quia per ciuilem possessionem inducitur usucapio & præscriptio, quæ sunt effectus possessionis & causæ domini. Præscriptione enim completa bona fide, fit possessor dominus. Secundò, ad differentiam naturalis possessionis, quæ non est sufficiens ad producendam usucapionem & præscriptionem. l. Acquiritur. §. fin. ff. de acquir. rerum domi. Nisi mala fides defuerit, Nam tunc & illa producit usucapionem, ut Bart. in d. l. i. ff. de acquir. possess. Sunt autem illæ duæ possessiones plerumque coniunctæ, & in certis tantum casibus separatae. Nam ciuilem possessionem à naturali separatam, habent illi tantum. Primò proprietarius. Secundò, dominus Emphyteosis. Tertio dominus Feudi. Quarto, dominus soli. Quintò, precario concedens. Sextò cuius bona occupantur cum abest. Nam in absentia si neminem domi reliquit, & alius eius bona occupat, amittit absens naturalem possessionem, ciuilem tamen retinet. l. clam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. uel amit. possess. Ex prædictis uides quòd causa retinens ciuilem possessionem, est ipse conatus animi, quem quis retinet in mente, ut possessionem de facto, uel naturaliter amissam, recuperet. Et ideo Ciuis possessio dicitur intellectualis possessio, propterea quòd in animo & intellectu consistit, secundum Iaso. in d. l. i. ff. de acquir. possessio. Exemplum. Si aliquis princeps per uim expellitur possessione rerum suarum, per hoc amittit naturalem possessionem, Ciuilem autem retinet, quàm diu toto mentis conatu innititur, ut naturalem recuperet.

EFFECTVS ciuilem possessionis est producere dominium, mediante usucapione & præscriptione. Secundò impedire præscriptionem in eo qui tantum naturaliter possidet. Communiter tamen sunt coniunctæ, naturalis & ciuilem possessio. Tertio in eo, cuius bona occupata sunt in absentia, tribuit absenti, & sic ciuiler possidendi acquisitionem fructuum. In alijs tamen casibus ciuilem possessionis

nis



nis non est item, quia usufructuarius, uasallus, colonus &c. qui naturaliter tantum possident, lucrant fructus. Ergo proprietarius, dominus feudi, & similes, qui civilem possessionem habent, non lucrantur.

Naturalis possessio seiuncta à civili, est Ius insistendi rei corporali, non prohibita possideri, aptum producere civiles effectus, respectu alicuius Iuris à dominio separati, & respectu naturalium accessionum. Dico respectu alicuius Iuris à dominio separati, quia possessio naturalis tantum, non respicit dominium, nec usucapionem, Sed tantum Ius percipiendorum fructuum, sicuti uidemus in usufructuario, uasallo, et similibus, qui habent naturalem possessionem tantum, non tamen ad hoc ut mediante usucapione & prescriptione plenum dominium consequantur, Sed tantum ut fructus suos faciant. Semper enim recognoscunt alios dominos, usufructuarius proprietarium, uasallus dominum Feudi, Emphiteota dominum Emphiteosis. Et sic de singulis. Et sic naturalis possessio proprie dicitur, quando quis corporaliter ipsam rem possidet, per se, uel per alium.

Et illa dicitur quoque corporalis possessio, nomen habens à pedum positione. d. 1. i. ff. de acquir. possess. Et sic nota breuibus, quod naturalis possessio acquiritur & retinetur corpore, Civilis autem unà cum naturali, corpore, & sic apprehensione quidem acquiritur, animo tamen & mentis conatu retinetur, naturali amissa. Naturalem autem possessionem seiunctam à civili habent, usufructuarius, emphiteota, uasallus, superficiarius, precario possidens, & occupans absentis bona.

Quod ad causas naturalis possessionis attinet, distingue: Aut possessio est uacans, id est, quod nemo possidet, ut in rebus quae sunt de sui natura nullius, requiritur apprehensio actualis. Quo refer occupationem cum suis speciebus, de quib. supra in §. fere igitur bestie, de rerum diuisio, & in l. 1. in prin. ibid. Nam haec protinus eorum fiunt. ff. de acquir. possess. Aut possessio non est uacans, sed aliquis iam possidet, Et subdistingue: Aut prior possessor non tradit uolens, & iterum requiritur apprehensio. l. qd meo. §. fi. ff. de acquir. possess. Aut prior possessor tradit uolens, et quaeritur possessio multis modis. Primò apprehensione. Secundò per solum aspectum. Tertiò per introitum in partem illius rei possessae. l. possideri, in prin. ff. de acq. possess. Huc refer quoque missionem Iudicis ex secundo decreto. Nec refert siue quis ipse, siue alius eius nomine deprehendat, aspiciat, siue intret in possessionem, modo sit habilis persona, quae possit acquirere possessionem, ut non pupillus

sine



fine tutoris autoritate &c. d. l. 1. §. adipiscimur. ff. de acquir. pos.  
 EFFECTVS naturalis possessionis est, quod naturaliter possi-  
 dens, facit fructus suos. Fallit in eo qui occupat absentis bona,  
 tamen & illa possessio suum effectum habet. Licet enim occupans  
 absentis bona, propter naturalem possessionem non potest se  
 defendere contra ciuilem possessorem, id est, absentem. Tamen  
 habet Ius detinendi contra extraneū, interdicto, scilicet uti pos-  
 sideris. Secundò, si ui expulsus fuerit naturalis possessor, etiam  
 à uero domino habet interdictum, unde ui, quo recuperat suam  
 naturalem possessionem. l. 1. §. Qui autem à me. ff. de ui & ui ar-  
 ma. §. Recuperandæ, cum sequen. infra de interdi.

Amittitur aut possessio naturalis multis modis. Primò posses-  
 sio rei mobilis amittitur, si res demergatur in mari uel flumine. l.  
 Pomponius, in prin. ff. de acquir. posses. Secundò, si clanculum  
 surrepta, uel per uiolentiam amota est. l. Rem que nobis. ff. de ac-  
 quir. posses. Tertiò, ferorum animalium possessionem amittimus,  
 cum naturalem facultatem & libertatem assecuta fuerint. §. Cum  
 uerò tuam. supra de rerū diuisio. Rei immobilis possessio amit-  
 titur, primò inundatione, ut si prædiū inundatum sit, l. possideri.  
 §. Labeo. ff. de acquir. uel amit. pos. Secundò, si latronum & ho-  
 stiū potentia prohibeat possidere. l. Cum unus, §. si. ff. de bon. au-  
 to. iud. possidend. Tertiò, illatione mortui causa perpetuæ se-  
 pulturæ. Quia res fit religiosa de Iure ciuili. Quartò, mutatione  
 conditionis, siue status possessoris, ut si possessor factus sit ser-  
 uus. Quintò, si possessor à Iudice iussus ex primo decreto nolit  
 uicino cauere de damno infecto, mittitur uicinus ex secundo de-  
 creto, in eius possessionem, & sic amittitur. l. Qui uniuersas, §. 1.  
 & 2. ff. de acquir. posses. Sextò, si possessor longo tempore abfue-  
 rit. l. furtum. §. fundi. ff. de usucap. Possessio autem Ciuilis amit-  
 titur solo animo, quando scilicet quis reliquit illum animi cona-  
 tum, recuperandæ possessionis naturalis. l. Quemadmodum. &  
 l. possideri. §. in amittenda. ff. de acquir. & amitten. posses.

Possessio Ciui-  
 lis quib. modis  
 amittitur.

Est & alia diuisio possessionis. Quædã enim dicitur Possessio  
 Iuris tantū, cum scilicet quis possidet rem, quã Iure potest possi-  
 dere, ut similes uel nobiles possidēt Feudū, uel clericus benefici-  
 um ecclesiasticū. Quædã est facti, ut si quis possidet scienter rem  
 alienam, uel eam quæ possideri non potest, ut sacrã, sanctã, reli-  
 giosam, liberū hominem, res pupilli &c. Quædam uerò dicitur  
 Iuris & facti simul, ut quãdo quis rem aliquã, quæ non est prohi-  
 bita possideri, aīo & corpore possidet. Possessio, n. animi, id est,  
 ciuilis, potest dici Iuris possessio, et possessio corporalis potest  
 dici



dici facti. Vide glos. in c. sine possessione, In uerbo, sine possessione  
De reg. iur. in xi.

Hæc præmisimus, ut materia usucapionum & præscriptionum  
eò facilius intelligi possit, quia, ut diximus, possessio causa est usuca-  
pionis & præscriptionis. Ideo de ea præmittendum erat. Nunc itaq;  
dicemus de effectu possessionis, de usucapione scilicet et præscriptio-  
ne.

### DE VSVCAPIONE ET PRAE- scriptione.

Est itaq; usucapio siue præscriptio, ius, rem alienam meam faciens,  
quam præscripto à ll. tempore, bona fide, & iusto titulo cōtinuè pos-  
sedi. Dico præscripto à ll. tempore, quia ad hoc, ut præscriptio uale-  
at, requiritur in usucapione rei mobilis de iure communi spaciū trien-  
nij, & de iure Saxonum spaciū unius anni, anni & dierum. Et rei im-  
mobilis, spaciū decennij inter præsentēs, & uiginti inter absentes  
de iure communi. De iure Saxonum uerò spaciū 30. annorum, an-  
ni & dierum. Dico bona fide, quia si quis sciens rem alienam aut uitio-  
sam, ut sacram, sanctā, religiosam, liberum hominem, res pupilli &c.  
& similes à ll. possideri prohibitas, possederit, mala fide dicitur possi-  
dere, nec usucapit, etiam longo tempore. l. ubi. ff. de usucapio. c. uigi-  
lanti, extrā de præscriptio. c. possessor malæ fidei, de Reg. iur. lib. vi.  
Dico iusto titulo, quia ad hoc ut possessio inducat usucapionem, re-  
quiritur quòd præcedat titulus uerus, uel putatiuus. Quales sunt mo-  
di acquirendi rerum dominia. De quibus suprā de rerum diuisione. Itē  
tituli pro soluto, pro hærede, pro legato, pro emptore, pro dote, pro  
suo &c. Dico possedi, quia sine possessione civili, præscriptio nō præ-  
cedit. c. sine possessione, de reg. iur. in 6. Dico continuè possedi, quia  
possessio non iuuat si fuerit interrupta, quæ interruptio usurpatio  
dicitur. l. 2. ff. de usucap.

Differūt autem usucapio & præscriptio, quòd usucapio habet lo-  
cum in rebus mobilibus. Præscriptio autem in rebus immobilibus. Usucapio.  
Præscriptio.

Est autem usucapio duplex. Triennalis & Annalis. Triennalis ha-  
bet locum in rebus mobilibus de iure communi. Annalis & dierum  
habet locum in rebus mobilibus de iure Saxonum. Præscriptio autē  
de iure communi est quintuplex. Prima est longi temporis, decem  
annorum inter præsentēs, & uiginti inter absentes, quæ habet locum  
in quibuslibet reb. non uitiosis priuatorum, bona fide possessis. Et  
de hac loquitur tit. noster. Secunda est longissimi temporis 30. uel  
40. anno. qua potest præscribi res furtiua, uel ui possessa, bona fide  
tamen acquisita. Item pignus à tertio quodā possessum. l. sicut in rem.  
C. de præscrip. 30. uel 40. annorum. Item habet hæc præscriptio lo-



cum, quando præscribendū est contra principem, uel Remp. uel Ecclesiam, ut in Authentica, quas actiones. C. de sacrosanct. Ecc. Et præscriptio 30. annorū habet quoq; locum in omnibus actionibus personalibus ex cōtractibus ortis. l. sicut. C. de præscript. 30. uel 40. anno. Est & præscriptio annalis, ut primō actiones iniuriarum, ex conuitijs ortę, secundum glo. in §. sed & l. Cornel. in uerbo, introduxit. Inst. de iniurijs. Item omnes actiones prætorix, pœnæ persecutorix. Inst. de perp. & temp. actio. in prin. Præterea est præscriptio biennalis, ut actiones de dolo. Postremō est præscriptio quinquennalis, ut querelę inofficiosi testamēti. l. si quis filium, in fi. C. de inofficio. test. Vide quę notantur in d. §. i. Inst. de perpet. & tempo. actio. Tertio est præscriptio tanti temporis, cuius in itij non extat memoria, quę habet locum in seruitutibus discontinuis, ut aquæductu, &c. l. Hoc Iure. §. ductus aque. ff. de aq. quot. & esti. & l. i. §. si. ff. de aq. plu. arc. & c. super quibusdam. de uer. sig. Quarto est præscriptio quatuor annorū, quę competit contra fiscum uendentem rem alienam, ut hic. §. fin. & l. bene à Zenone. C. de quan. præscri. Quinto est præscriptio centum annorum, quę habet locum contra Romanam Ecclesiam. d. Authentica, quas actiones. C. de sacrosanct. Ecclesi.

*Causa usucapionis.* CAUSA usucapionis siue præscriptionis propinqua, est continua possessio, mediātib; statuto tēpore, bona fide, et iusto titulo.

*Causa remota.* CAUSA remota est Ius ciuile, quod introduxit usucapionem.

*Causa finalis.* CAUSA finalis est, ut sit litium finis, argu. l. si. ff. pro suo. Et respexit Ius ciuile in introductionem usucapionis ad Ius naturale, q̄ habet communem societatem seruandam esse. Illa enim conseruari non posset, nisi certus terminus litibus esset præscriptus. Ideo si quis intra terminum à Iure præscriptum res suas nō petierit, censetur eas habere pro derelicto, & earū oblitus esse, quia tempus inducit obliuionem, obliuione autem amittitur dominium. Vide glos. hic in uerbo, absentiam, in §. quod autem.

EFFECTVS usucapionis est, quōd usucapiens factus est dominus rei alienæ usucaptę ipso Iure. l. Traditionib;. C. de pact. Præscriptionis uerō effectus est quoq; transferre dominium, non tamē ipso Iure, sed ope exceptionis. Obijcitur enim exceptio præscriptionis dño petenti rem præscriptā. Item si præscribens possessionem rei præscriptę casu amiserit, post præscriptionē completā, parit utilē rei uendicationē. l. si qs emptionis. C. de præscrip. 30. uel 40. annorum. Et glo. hic in prin. in uerbo, dominia rerū. Ratio autem quare in usucapione dominium ipso Iure transfert, & datur rei uendicatio directa, hæc est, quia mobiles res usucapiuntur,



tur, quando est uilis & facilis dominij translatio. In præscriptione autem sunt res immobiles, quæ sunt preciosiores. Ideoq; ipsarum dominia non tam facile transferuntur ipso iure, sed ope exceptionis. Vide glo. hic in uerbo, Dominia, in fin. Interrumpitur autem præscriptio duobus modis: Naturaliter & Ciuilitate. Naturaliter, primò per inundationem maris uel fluminis. Secundò, si quis è possessione eiectus fuerit. Tertiò, si res mobilis alicui surrepta fuerit. I. Naturaliter. ff. de usucapio. l. possideri. §. Labeo. ff. de acquir. possessio. Ciuilitate uerò fit interruptio multis modis. Primò, si annali actione libellus fuerit oblati, qualis est Actio iniuriarum uerbali. Secundò, per litis contestationem in perpetuis Actionibus. Sunt quoq; alij modi, quos uide in glo. cap. Illud, in uerbo, Interruptio, extra, de præscriptio. Usucapio tamen in rebus mobilibus, per litis contestationem non interruptitur. l. Si post acceptum, cum gloss. ff. de Rei uendicatio. Nisi in quatuor casibus specialibus, quos habes in glo. l. ut perfectus. C. de anna. excep.

§. Furtiuæ quoque res.

De rebus furtiuis & ui possessis ita distingue: Aut fures, siue uiolenti possessores ipsi possident, & nunquam possunt usucapere, maximè secundum Ius Canonicum, quia sunt malæ fidei possessores. c. possessor malæ fidei, de Reg. Iur. in vi. Aut quidam acquisiuit ab eis, & subdistingue: Aut mala fide acquisiuit, id est, sciens rem furtiuam uel ui possessam emit, & quoq; non præscribit. d. c. possessor malæ fidei. Aut bona fide acquisiuit, id est, putauit alienantem dominum esse, & præscribit de Iure. C. Spacio 30. uel 40. annorū. l. omnes. & l. sicut. C. de præscript. 30. uel 40. anno.

§. Sed tamen.

In præcedentibus tradidit regulam, quòd res uitiosæ nō possint usucapi, inter quas recensuit quoq; res furtiuas. Et definiuit furtum committi, quotiescūq; res aliena, etiam ex aliqua causa tradita fuerit. Istius regulæ in hoc §. ponit limitationem.

Usucapiatur) Vt si quis emit rem alienam ab eo, qui nescit alienam, usucapere potest. Cessat enim ratio furti, cum uenditor ut suam alienauerit.

§. Error autem.

Hic §. loquitur de errore proprii facti, qui facile potest deprehendi, ut si quis credat se emisse, quum tamen non emerit, usucapio non procedit. Secus autem, si quis errat ex facto alieno, ut si hæres credat defunctū rem emisse, licet non emerit, non impeditur usucapio, quia est probabilis ignorantia. l. fin. ff. pro suo. & l. qui in alterius. ff. de reg. iur.

Error proprii facti.  
Error ex alieno facto.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

§. *Diutina possessio.*

Scilicet si defunctus incepit præscriptionem possidendo, & mortuus fuerit, poterit hæres continuando præscriptionē implere. Quia defunctus & hæres censentur una eademque persona Iuris fictione. tex. est in Aut. de Iur. à mor. præsti. in prin. col. v.

VERS. *Bonorum possessori continuatur.*

Ratio est, quia non attenditur nec mala, nec bona fides hæredis, sed tantum defuncti, & ideo si defunctus nouem annis prædium aliquod bona fide & iusto Titulo possederit, & postea hæres eius uno anno cum mala fide, sciens scilicet prædium alienū esse, nihilominus præscriptio completa est.

VERS. *Quòd si ille.*

Id est, Si defunctus mala fide possedit rem per octo annos, & post mortem eius hæredes per biennium bona fide, nescientes scilicet rem alienam esse, possederint, præscriptio completa non est, propter malam fidem defuncti. Si autem hæredes post mortem defuncti decem annis illam rem continuè & bona fide possederint, tum præscriptio completa esset, quia possessio patris malæ fidei in hoc tempus nō esset computata.

§. *Inter uenditorem.*

Id est, Si uenditor incepit præscriptionem, emptor potest eam cōplere. In hoc tamen differt à superiori casu, quòd in utroq; id est, emptore & uenditore, requiritur bona fides.

§. *Edicto diui Marci.*

Si quis emit rem à fisco, statim securus est, fiscus tamen tenetur infra quadriennium respondere illis, qui aliquod lus in illa re prætendunt. l. fin. C. de quad. præscrip.

VERS. *Nostra autem.*

Q. d. Idem Iuris est de patrimonio siue priuata substantia Imperatoris, & Augustæ, quod est de bonis fisci. Sicuti enim emens rem alienam à fisco, statim securus est, nec potest conueniri, Ita quoq; emens rem alienam ab Imperatore uel Augusta, statim securus est. Imperator tamen, siue Augusta de precio conueniri possunt, infra quadriennium. Item, sicuti res fisci præscribuntur tantum spacio 40. annorū, Ita quoq; res priuatae Imperatoris & Augustæ.

DE DONATIONIBVS.

Tit. VII.

**I**N hoc Titulo habes alium modum, quo res de Iure Ciuili nostra fiunt, donationem scilicet. Licet donatio quo ad materiam sit



fit Iurisdictionum, tamen quia Ius Civile formam addidit, dicitur hic modus Iuris Civilis esse.

Nota autem obiter donationem, propriè loquendo, non esse contractum, contractus enim est obligatio ultrò citroq; obligatoria. l. La-  
beo. §. contractum. ff. de verb. & rerum sig. Quæ definitio non con-  
uenit donationi, Nulla enim inest obligatio.

Est itaq; Donatio quædam mera liberalitas, quæ nullo Iure cogen-  
te conceditur. l. donari. ff. de donation. Et dicitur donatio, quasi do-  
no datio. l. Senatus. §. Donatio. ff. de mort. causa donatio. Dico me-  
ra liberalitas, quia si fit ex necessitate, donatio non est. l. Rem legatam.  
ff. de alimen. legat. Secundò, si fit ob causam, ut quia aliquem institui  
sti, quoq; non est donatio, sed remuneratio, *Ein vergleichung sei-  
ner mühe.*

Est autem donatio duplex: Impropria, & propria, siue absoluta.  
Impropria est, quando quid datur, ut tum demum accipientis fiat,  
quum aliquid fuerit secutum.

Et ea diuiditur in donationem ob causam, & donationem condi-  
tionalem.

Donatio ob causam est, quæ interponitur ut à donatario aliquid  
fiat, uel nō fiat, qualis est sponsalitia largitas, & donatio propter nu-  
ptias.

Dicitur autem sponsalitia largitas, quæ fit à sponso sponsæ, & è  
conuerso, ante nuptias, in qua est licita causa matrimonij, quia matri-  
monij intuitu fit. De qua in l. Si à sponso. C. de donat. ante nupt.

Donatio propter nuptias (*Gegenvermählung*) quam facit  
sponsus sponsæ in recompensationem dotis, ad hoc, ut sponsæ solu-  
to matrimonio sit consultum. Huius autem donationis causæ sunt  
pactiones, siue in scriptis, siue sine scriptis fiant, & potest augeri si  
dos fuerit aucta, ut seruetur æqualitas utrinque. §. Sed tamen. hic tit.  
nostro.

Reuocantur autem Donationes ob causam, Si donationes acci-  
piens, conuentiones habitas adimplere noluerit. l. Generaliter. C. de  
reuoc. donat. Authentica, dos data. C. de donat. ante nupt.

*Donationes  
quomodo re-  
uocantur.*

Donatio sub conditione est, quæ fit in euentum, si aliquid fuerit se-  
cutum, qualis est donatio mortis causa. l. 1. & l. Senatus. ff. de donat.  
causa mortis.

Est autem Donatio causa mortis, quum donans magis uult se  
ipsum habere, quàm eum cui donat, & magis eum, cui donat, quàm  
hæredem suum. §. In summa. hic tit. nostro. Dico mortis causa, quia  
in hac donatione requiritur, quòd fiat mortis mentio, alioqui habere-  
tur pro donatione inter uiuos, secundum glos. hic in uerbo, Si quid



ENARRATIONES IN INSTITVT.

humanitus. Est autē per omnia æquata legatis & fideicommissis particularibus. §. Hæ mortis. hic tit. nostro.

Causa istius donationis est pactum, siue stipulatio, cum consensu utriusq; coram quinque testibus, scriptura interueniente, uel non, modò mors donatoris sequatur, secundum glo. hic in uerbo, Constitutio.

Tollitur autem hæc donatio, primò morte donatarij, si donatarius fuit paterfamiliàs, si fuit filiusfamiliàs, uel seruus, durat nihilominus donatio in persona patris siue domini. l. Si filiofamiliàs, cum similibus. ff. de mort. causa donatio. Secundò tollitur per pœnitentiam siue reuocationem donatoris, Est enim eius uoluntas usque ad mortem mutabilis & ambulatoria. l. Non uidetur. ff. de mort. causa donatio.

Propria uerò donatio est inter uiuos, quæ fit quum quis ex mera liberalitate, purè sine aliqua conditione uel causa dat uel promittit, ut statim uelit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reuerti. d. l. i. ff. de donatio. Dico ex mera liberalitate, quia donator non debet astrictus esse ad dandum, nec donatarius ad aliquid faciendum. l. Hoc iure. §. si quis seruo. cum §. sequenti. ff. de donatio. Dico purè, sine aliqua conditione uel causa, quia si unum illorum deprehenditur, non est propriè donatio. l. i. & l. Hoc iure. §. Labeo. ff. de donationib. Dico ut statim uelit accipientis fieri, quia repetitio non habet locum, sicuti in donatione mortis causa, uel in donatione ob causam, causa non sequitur. d. l. Senatus. §. i. de mort. caus. donat.

Causa istius donationis est ipsa traditio uel stipulatio, siue nudum pactum. Vt cunq; enim neq; stipulatio, neq; traditio accesserit, tamen de iure nouo donatio ualet. l. Si quis argentum. §. Sin autem. C. de donat. Et hoc uerum, siue in scriptis, siue sine scriptis celebretur, modò in præsentia publicarum personarum insinuetur, si summa excedat 500. aureos, ut hic §. Et cum retro.

Reuocatur autem illa donatio hodie propter ingratitudinem donatarij erga donatorem, ueluti si atrocem iniuriam in eum effundat, uel manus impias inferat, uel iacturæ molem ex insidijs suis inferat. Et est ratio, ne sit cuiq; licentia, & alienas res rapere, & liberalitatem irridere donatoris. Hanc tamen reuocationem tantum habet donator, non autem eius hæredes. l. Generaliter. C. de reuocand. donat.

*Sic & apud Homerum.*

Hic locus sumptus est ex 17. Odyss. Quum enim Pyrrhæus secum haberet dona, quæ Menelaus dedit Telemacho, iussit Telemachum ea ad se recipere. Telemachus autem quia timebat, ne proci matris si-



bi mortem clanculum inferrent, & patrimonium suum inter se diuiderent, noluit tum recipere dona Menelai. Disposuit ergo hoc modo: Si proci me clanculum interfecerint, tu Pyrrhæe, retineto illa dona, Si uerò ego eos oppressero, adferes mihi. Hic mauult Telemachus seipsum habere dona Menelai, quàm Pyrrhæum, & mauult habere Pyrrhæum, quàm procos. Itaq; donatio mortis causa dicitur, quia facta est mortis mentio.

Et nota hic obiter, quòd autoritates Poëtarum, Oratorum, Philosophorum, & Medicorum in causis iuris citari & allegari possunt. *Autores in causis citari possunt.* Quia hic, & infra de emptione. §. Item precium, & infra de l. Aquilia. §. Quod autem, & in l. 1. ff. de contrahenda emptione & uenditione, multi uersus Homeri citantur. Item, in l. In tantum, in fin. ff. de rerum diuis. citatur testimonium Virgilij. Ita quoq; in l. 2. ff. de ll. habes definitionem legis ex oratione Demosthenis contra Aristogitonem, & in l. Cicero. ff. de pœnis, extat testimonium Ciceronis ex oratione pro Cluentio. similiter in d. l. 2. ff. de ll. extat græca definitio l. Ex Chryssippo Philosopho, & in l. sequent. testimonium Theophrasti. & in l. si pater. ff. de solut. citatur auctoritas Aristotelis. Et in l. septimo mense. ff. de statu hominum, extat autoritas Hipocratis medici. Sed hoc intellige, quòd citari possunt in his, quæ sunt suæ artis, ut puta cum quæstio Physica oblata fuerit: An scilicet puer natus septimo mense post nuptias, uel natus undecimo mense post mortem patris, dicatur legitimè natus. Hæc quæstio Physica est, Ideo ex libris Hipocratis, uel similibus decidenda.

Ad decisiones autem causarum ciuiliu illæ citationes necessariae non sunt, sed tantum probabiles. Ideo eis non statur nisi ualidissima ratione nitantur, ut colligitur ex l. sed diuis. ff. de rerum diuisio. *Quando standum sit auctoritati Poëtaru, Oratoru &c.*

*Temere*) Textus dicit temerè, quia reuocari quidem potest propter summam ingratitudinem, ut diximus.

#### VERS. Et ad exemplum.

Id est, sicuti emptio perfecta est, etiam ante traditionem, sic quoq; donatio, & cogitur donator ad traditionem rei donatæ. Et sic nota obiter hic, quòd ualet argumentum ductum à contractibus ad modos acquirendi rerum dominia. Quia Imperator argumentatur hic de uenditione ad donationem, & tamen donatio non est contractus propriè, sed potius modus acquirendi rerum dominia.

*Instruari*) Scilicet coram magistratibus, uel in præsentia publicarum personarum scribi. *In das Gerichtsbuch schreiben lassen.*

§. Est & aliud genus.

In hoc §. habes, quòd donatio quæ dicitur propter nuptias, olim



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Donatio ante  
nuptias.

ante nuptias dicta erat, quia fiebat ante nuptias, & tacitam conditionem de futuro matrimonio continebat, ut scilicet tunc ualeret, cum matrimonium esset secutum, & quæ postea ex constitutione Iustini ni etiam constante matrimonio augeri poterat, sed cum illud nomē, scilicet ante nuptias, huic donationi non conueniret, quia post nuptias potuit augeri, Iustinianus sustulit, disponens hanc donationē post nuptias constante matrimonio inchoandam. Et si dos aucta fuerit, augendam, donationemq; propter nuptias appellandam, quam græci ἀρριπίστου, quasi pro dote dationem. Reliqua bona uxoris præter dotem, paraphernalia dicuntur.

§. Erat olim.

Ius accrescendi.

Ius accrescendi est, cum portio unius accrescit portioni alterius. Notabis autem quod in contractibus & actibus inter uiuos ius accrescendi Regulariter non habet locum, id est, portio unius ex cōtrahentibus non accrescit portioni alterius. l. si mihi & Titio. ff. de uerb. obliga. In ultimis autem uolūtatibus locum habet hoc ius, quia hoc uidetur ex tacita & coniecturata mente testatoris prouenire, quare etiam non petentium partes accrescunt partibus petentium. Exempli causa: Si plures essent hæredes instituti, & quidam suam partē non peterent, accresceret illa portio portioni petentium.

Vindicta) Scilicet per illum ritum, quo Prætor serui caput uirga tangens, declarabat eum esse liberum. Vide glos. in §. Multis autem modis, in uerbo, uindicta. supra de libertinis.

QVIBVS ALIENARE LICET

uel non. Tit. VIII.

Dominium.



In hoc titulo explicat Imperator partem definitionis domini, quæ supra tradita est. Diximus enim dominium esse ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege uel conuentione prohibearis. Circa quod proposuit hic duos casus. Primus est, quod quidam licet sint domini rerum suarum, non tamen possunt disponere pro lubito, nec eas alienare, quia uel lex, uel conuentio prohibet. Lex prohibet, ne maritus res dotales alienet, Exceptis tamen quibusdam casibus, de quibus hic in glos. in uerbo, dotale, & in uerbo, prohibetur. Secundò prohibet, ne pupillus uel adultus sine tutoris uel curatoris sui autoritate alienet. Conuentio autem obstat debitori, quia licet retineat dominium in pignore, non tamen de eo disponere potest pro lubito. Deinde è contrario, quidam licet non sint domini, tamē certis ex causis, de rebus etiam non suis disponere, & eas alienare possunt, ut creditores qui



qui pignora alienant, si id pactionibus fuit cautum. Si uerò nihil fuit cautum, post unam denunciationem, ut debitor pignus luat, elapso biennio, alienatio ualet. Si uerò fuit cautū ne alienetur pignus, post trinam denunciationem creditor quoq; potest alienare. Vide glos. hic in uerbo, certus modus.

*Interdicta sit alienatio.*

Si tamen uxor consenserit alienationi, & iurauerit non contrauenire, ualet alienatio propter iuramentum, quia hoc iuramentum potest seruari sine dispendio æternæ salutis. c. Et si Christus. & c. cum contingat, extrà de iureiur. Hoc tamen uerum est, nisi prius iurasset se nunquam uelle consentire alienationi, tum propter prius iuramentū, secundum non ualeret. Vide c. licet, de iur. in 6.

*Ideoq; uendicari nummi possunt.*

Habes hic tres actiones, quibus potest pupillo consuli, si pecuniā sine Tutoris autoritate mutuò dederit. Prima est rei uendicatio, quæ datur si pecunia nondum est consumpta, sed extat. Secunda est conditio certi ex mutuo, quæ datur contra personam mutuatarij, si pecunia bona fide consumpta est, hoc est, ab eo qui nesciuit mutuantē esse minorem. Tertia est actio ad exhibendum, quæ datur cōtra eum, qui mala fide pecuniam minoris mutuò acceptam consumpsit. Id est, sciens mutuantem pupillum esse.

*Liberabitur*) Ad hoc scilicet ut dominium rei transferatur in pupillum, non autem ad illum effectum, ut debitor sine Tutoris autoritate pupillo soluens liberetur.

*Dare*) Id est, Dominium transferre.

*Tradere*) Id est, possessionem transferre.

*Soluerit.*

Nota hic ex glo. in uerbo, soluerit, tres securitates. Plenā, pleniorē, & plenissimā. Plena est, si debitor soluit pupillo sine tutoris autoritate, & pecunia soluta extat, uel est uersa in commodum pupilli, ita quòd pupillus inde factus est locupletior. Hoc casu licet debitor non sit liberatus ipso iure, tamen est securus ope exceptionis. In hoc casu loquitur §. si autem aliter, hic titulo nostro.

Plenior securitas est, si soluit sine decreto Iudicis, cum autoritate tamen Tutoris, quo casu debitor ipso iure quidem liberatur, Pupillus tamen si non habet rem saluam, potest in integrum restitui. & in hoc casu loquitur §. Ideoq; si debitor, hic titulo nostro. Et est text. in l. i. & fin. C. si Tutor uel Curator interuenerit. Plenissima securitas est, si sit solutio autoritate Iudicis, In hoc casu loquitur §. sed hoc, hic titulo nostro.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
PER QVAS PERSONAS NOBIS AC-  
quiritur. Tit. IX.



VPRA tradidit quæ res, & quibus modis nostræ fiant. Hic autem exprimit, per quas personas nobis acquirantur. Quòd autem per nos ipsos res nobis possint acquiri, non est dubium. An autem per alias personas nobis acquirantur, dubitari potest. Imperator ergo hic decidit, quòd etiam per alias personas nobis acquiratur dominium & possessio. Et primum acquiritur nobis per eas personas, quæ nostro dominio & Iuri subiectæ sunt. Secundò, per seruos alienos, quos bona fide possidemus. Tertiò, per liberum hominem, bona fide nobis seruientē. Quartò, per Procuratorem. Item per Tutorem, Curatorem, & similes personas.

In primo casu distingue, Aut loquimur in filijs, aut seruis. Si in filijs, & subdistingue: Aut loquimur in peculio profectitio, quod scilicet filius familiæ ex re, uel propter rem patris acquirat. Et habet pater plenum dominium, tam proprietatem quàm usumfructum. Aut loquimur de peculio aduentitio, quod scilicet aduenit filio familiæ, ex bonis maternis, siue à linea materna, uel ex prospera fortuna. Et habet pater usufructum, filius uerò proprietatem. Aut loquimur in Castrensi peculio, quod scilicet filius familiæ in castris acquirat. Aut in quasi Castrensi peculio loquimur, quod scilicet filius familiæ sua arte uel industria acquirat, ut si est Magister artium liberalium, Medicus, Aduocatus, Notarius &c. Vt hic in glo. in uerb. Castrensi. Et in his duobus peculijs nihil acquiratur patri, sed filius retinet tam usufructum quàm proprietatem. Vide l. cum oportet, cum ibi notat. C. de bo. quæ lib. Si uerò in seruis loquimur, iterum distingue: Aut loquimur de seruis in quibus habemus plenum dominium, & nobis etiam inuitis acquirunt. Cum seruus nihil suum habere possit. §. Item uobis, hic titulo nostro. Aut de ijs loquimur, in quibus habemus tantum usufructum, & nostrum fit quod ex re nostra, uel ex operibus suis acquirunt. Reliqua uerò omnia, ut si esset hæres institutus &c. ad proprietarium spectant. §. de ijs, hic tit. nostro. Idem dic de eo qui liberum hominem, aut seruum alienum bona fide possidet.

§. Exhibitaq; &c.

Quia alteri per alterum Regulariter nec obligatio, nec actio, nec dominium, nec possessio quæri potest, Vt hic & infra. §. Si quis alijs, de inutilibus stipulationibus.

§. Hactenus.

In initio



In initio huius libri diximus duplices esse causas, quibus res nostræ sunt, de iure gentium scilicet, & iure civili. Causas iuris gentium explicauimus in titulo de rerum diuisione. De iure autem civili diximus, quod res fiant nostræ bifariam, aut sigillatim, aut per uniuersitatem. Sigillatim acquirimus, ut cum singulæ res separatim nobis acquiruntur, quæ acquisitio pro parte in præcedentibus titulis tractata est, ut usucapione, præscriptione, donatione. Partim uerò explicanda est, ut in titulo de legato, fideicommissio singulari &c. Per uniuersitatem uerò acquirimus res, cum uniuersa bona alicuius nobis adijciuntur, quod sit aditione hæreditatis, agnitione bonorum possessionis, arrogatione, assignatione bonorum, libertatum conseruandarum causa. Aditio autem hæreditatis fit duobus modis. Aut ex Testamento, aut ab intestato. Tractat ergo in titulo sequenti primum modum de Testamento. De reliquis suo loco dicemus.

## DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

Tit. X.



**T**ESTAMENTUM est uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri uoluit. l. 1. ff. de Testam. Et appellatur testamentum, quasi testatio mentis. ut hic in principio. Huius definitionis genus est sententia. Dico in definitione nostræ uoluntatis, ad differentiam seruorum, filiorum familiæ, impuberum, furiosorum, prodigorum, mutorum, surdorum &c. Quia illi & similes non habent liberum arbitrium propriæ uoluntatis, sed dependent ex alieno consilio & potestate. Quare illorum sententia pro testamento non habetur, ut infra per totum titulum. Quibus non est permissa. testa. Et hæc differentia respicit propriè circumstantiam personarum actiuam, hoc est, qui testamenta facere possunt. In primis enim debemus considerare an is qui fecit testamentum, fuerit talis persona, quæ potuerit facere. Deinde si potuerit facere, considerandum est, an secundum dispositionem iuris fecerit. l. 4. ff. de testam. Sequitur in definitione, iusta sententia. Dico ergo primum ad differentiam testamenti non solennis, uel imperfecti ratione testium, uel aliorum requisitorum, quia talia Testamenta non ualent, nec sunt iusta sententia, ut infra de hæredi. quæ ab intesta. defer. in principio. Secundo dico iusta, ad differentiam testamenti illegitimi, siue reprobati, ut si quis institueret hæredem non capacem, ueluti deportatum, uel natum ex incestu, uel turpiter disponderet, quoque non esset iusta sententia. l. quidam. ff. de conditio. Institu. l. 1. C. de hæred. instituend. Et hæc pars differentię respicit circumstantiam personarum passiuam.



uam, hoc est, hæredes institui possunt in testamento, de quibus infra: Tertio dico iusta, ad differentiam testamenti imperfecti, in quo planè nullus est institutus hæres, quia non ualet tale testamentum, nec est iusta sententia. § Ante hæredis. infra de legat. Dico de eo, quod quis post mortem suam fieri uoluit, ad differentiam actuum inter uiuos.

Est autè Testamentum duplex: Militare & Paganicum. Testamentum militare est, quod miles facit. Et fit bifariam. Aut n. domi extra militiam, siue expeditionē, & tenetur testari secundū dispositionem Iuris, adhibitis solennitatib. Illis autem, cū multis similib. Inst. de militari Testa. Aut testatur in militia siue expeditione. Et subdistingue: Aut in cōflictu, hostiūq; congressu, & sic in extremo uitæ periculo testatur, & nullæ solennitates requiruntur. Adeò quòd si in uagina aut clypeo sanguine suo aliquid annotauerit, aut puluere gladio inscripserit, pro testamento habeatur, & ualeat. l. milites. C. de test. militari. Modò probetur duobus testibus, etiam casu fortasse aduenientibus. l. Lucius. cū gl. ff. de testa. milit. Aut testatur in militia, non autem in tanta necessitate, & hostium conflictu, ut si ualetudinarius esset, & iterum non requiritur solennitas, sed ualet Testamentum utcunq; fiat, modò duos testes ad hoc roget, quibus probetur. Nec enim satis esse testes non rogatos casu accedere, cū habeat spacium rogandi testes, quæ ratio cessat in superiori casu. l. Diuus, cum glos. in uerbo, conuocatis. ff. de militari testa. Quibus autem modis milites hoc priuilegium amittant, Vide l. iij. & l. ex militari. ff. de test. militari. Et l. & militibus, C. de testamen. mili.

*Testamentum Paganicum.* Testamentū Paganicum, est quod domi extra militiam constituti facimus, Et hoc diuiditur in duas species, in testamentum solenne, et testamentum nuncupatiuum. Solenne subdiuidit in testamentū quod coram principe, siue apud Acta corā Iudice fit: Et in testamentū qd alioqui fit coram septem priuatis personis, seruatis solennitatibus. In Testamento coram Principe, uel corā Iudice apud Acta facto, non requirunt aliqui testes, ut est tex. in l. Omnium, & ibi D. Iaso. super glo. in uerbo, testib. C. de test. cū Principis uel Iudicis presentia sufficiat et suppleat omnē solennitatem. Licet Bar. ibi requirat duos testes, quem uide. Alterā speciem testamēti solennis, diximus esse, quod fit in scriptis corā septem testib. priuatis, omni exceptione maioribus. In quo primò requirunt ea, quæ alioq; in omnibus Testamentis requiruntur, uidelicet, quòd is qui facit Testamentū, habeat testamenti factionem actiuam, Id est, qd sit talis persona, quæ possit cōdere Testamentum







nomine hoc faciat. Postea uerò testes suis proprijs sigillis, si habent, aut plures uno annulo id signent, & se subscribant.

Sunt autem subscriptionis formæ. Primò, si testator literas norit, se ita subscribat:

*Nota*  
 Forma subscri  
 ptionis si norit  
 literas.

Quòd hoc instrumentum siue charta, sit Testamentum mei N. & quòd omnia & singula contenta, contineant meam ultimam uoluntatem, & quòd testes subsignati, per me rogati, eorum sigilla apposuerint, seq; subscripserint, hoc meo testor chirographo, anno & die & c. Si uerò nesciat literas testator, tum alius extra numerum septem testium pro eo subscribat, hoc modo:

Quòd contenta in hoc instrumento iussu & petitione N. testatoris manu mea N. scripta, dictus testator uoluerit suum esse Testamentum solenne, ultimamq; uoluntatem, testibus subscriptis subscribendam & subsignandam exhibitam esse, testor ego præfatus N. mandato dicti testatoris, literarum ignari, in cuius fidem me rogatu & mandato dicti testatoris subscripti, signoq; meo quo utor signaui. Testes uerò se ita subscribant:

Ego N. rogatus & præsens unà cum omnibus suprà uel infrà scriptis testibus præsentibus & rogatis, ad singula in hoc præsentis Instrumento contenta & scripta, pro solenni testamento N. nobis exhibita, dicti testatoris precibus & mandato, me in testimonium subscripti, & id proprio (si habet) uel commodato (si proprium non habet) sigillo signaui & c. Et hæc de confectione testamenti solennis dixisse sufficiat. Cùm autem testamentorum solennium in scriptis factorum, tenorem ante publicationem nemo teneat, placuit quoq; de publicatione pauca annectere.

DE PVBLICATIONE TESTAMENTO  
 rum solennium in scriptis.

Et primò requiritur ad publicationem Testamenti solennis, quòd Iudex ordinarius adeatur. l. testamenta, & l. consulta, C. de Testa. qui citat omnes, quorum interest publicationem fieri, uelut illos qui ab intestato successissent defuncto. Quia in actibus præiudicialibus uocandi sunt omnes, quorum interest. l. De unoquoq; ff. de re iudica. Secundò debent uocari testes, ut recognoscant sigilla sua. l. Cùm ab initio. ff. quemad. testa. aper. Et Testamentum semel hoc modo publicatum & apertum, manet firmum, etiamsi charta fuerit amissa. l. publicati. C. de Testa.

DE TESTAMENTO NVNCVPATIVO.

Nuncupatiuum Testamentum est, quando testator coram septem testibus uoluntatem suam declarat, hæredemq; palàm omnibus testibus audientibus nuncupat, l. Hæredes palàm. ff. de testa. Nomen habens



habens à nuncupando. Differt autem à Testamento solenni in scriptis, quòd in illo testator celat testes suam uoluntatē, in hoc aut non. Et fit duobus modis. Aut enim testantur parentes inter liberos, & satis est adhibere duos testes, etiam non rogatos, siue sint masculi, siue foeminae. l. hac consultiss. §. ex imperfecta. C. de test. l. fin. C. famil. hercis. Aut testatur quis nuncupatiuè inter extraneos, & fit hoc testamentū corā septē testibus, omni exceptione maiorib. quales sunt liberi homines, puberes &c. de quib. uide quē diximus suprā in quarto requisito testamenti solennis. Fit autem hoc Testamentū bifariām. Aut enim illa uoluntas testatoris coram septem testib. declarata, in praesentia Notarij redigitur in formam publicam, id est, conficitur desuper Instrumentum per Notariū, & statur postea huic Instrumento. Aut nō redigitur in formā publicam, sed tantū statur notitiæ testium, uel scripturae testatoris priuatae, quae tamen septem testibus probari potest. Et distingue: Aut testatur in infirmitate, aut extra infirmitatem. Si extra infirmitatem testatur, & iterum subdistingue, Aut testatur in tali loco, ubi possunt haberi testes, & requiruntur septem testes rogati, praesentes & audientes, cum quib. testamenti factio est, nec sint de familia testatoris. Aut testatur in pago, uilla siue alio loco, ubi tot testes adhiberi non possunt, Et sufficiunt quinque. l. si. §. Sin autem. C. de Testament. Sin aut in infirmitate testat. Et dic, aut laborat morbo contagioso, ut peste, &c. & potest testari secundū Priuilegium militare, in praesentia duorum testium. Quia non facile inueniuntur, qui subeunt periculum. Ideoq; necessitas excusat à solennitate. argum. d. l. si. C. de Testament. Aut non est morbus contagiosus, ut febris, &c. Et requiruntur solennitates requisitae, uidelicet cum numero septem testium, adhibita tamen distinctione, de qua suprā. Si scilicet in loco fuerit, ubi possunt haberi tot testes, & propter maiorē certitudinem, solet in huiusmodi Testamentis apponi clausula Codicillaris, hoc modo: Si hoc meum testamentum non ualet Iure testamenti, ualeat saltē Iure Codicillorum, uel alterius cuiusdam ultimae uoluntatis imperfectae, & non solennis. De Codicillis dicemus infrā. Et si heres nominatus in tali testamento nūcupatiuo, non tamen in scriptis redacto, uelit quòd illud Testamentū probet perpetuò, potest adire magistratū illius loci, & petere, ut testes, coram quibus haeres est nuncupatus, cum omnibus qui aliquod Interesse pretendere uelint, citentur. In quorū praesentia producat heres Memoriale à priuato aliquo scriptum, uoluntatem Testatoris continens, & legi faciat corā magistratu, petatq;



Testes examinari, ut deponant an illa fuerit Testatoris ultima uoluntas. Et si Testes, audito tenore Memorialis, siue chartulæ, eam fuisse uoluntatem defuncti, redigitur id in Acta Iudicij. Et tunc si examinatis Testibus, nulli extiterint contradictores, publicabit Iudex eorum dicta, & pronuntiabit publicationem ritè factam, ac tantam fidem illi scripturæ adhibendam, ac si originale uoluntatis defuncti in scriptis mandata extaret. Quibus peractis, talis scriptura publicationis tanquam publica, ubique probabit. ut colligitur ex not. Doct. in l. Publicati. C. Testament. Et hæc uera, si nulli contradictores extiterint. Si uerò extiterint contradictores, contradictio summam ante publicationem excutienda est, an sit sufficiens, nec ne.

Si uerò Testamentum nuncupatiuum fit in scriptis, debet Testator hæredem nominare expressè, coram septem Testibus, & Notario, qui postea illam uoluntatem Testatoris redigit in formam publicam. Et hic modus testandi est maximè in usu. Et hic refer distinctio- nes, quas in proximo membro allegauimus. Nihil enim ab eo differt, nisi quòd Testator prius concipit suam uoluntatem in scriptis, & postea illud Prothocollon exhibet Notario, ut publicum Instrumētum de- super conficiat, quod siue confectum, siue non confectum fuerit, nihilominus testamentum est ualidum, quo ad substantialia, modò se- ptem testes extent.

Quomodo autem publicetur hoc Testamentum, practicæ & con- suetudini uniuscuiusque regionis committendum est. Fit tamen pu- blicatio plerunque per executores, id est, Testamentarios post men- sem.

Et prædicta, quæ de solennitate septem testiū diximus, uera sunt, si quis in suo testamēto instituerit hæredes extraneos, quales sunt fra- tres, sorores, & remotiores. Secus autem si institueret liberos suos na- turales, & legitimos. Nam hoc casu ualet testamentum, etiā sine præ- dictis solennitatibus, modò adhibeantur duo testes, siue masculi siue foeminae sint, d. l. hac consultissi §. Ex imperfecto, cum Authentica se- quenti. C. de Testament. & l. fina. C. fami. hercis. Secundò de Iure Ca- nonico ualet testamentum ad pias causas, cum duobus testibus. c. Relatum, extrà, de Testament. Imò de Iure Canonico quodlibet te- stamentum à Parochianis, in præsentia Presbyteri parochialis & duorum testium factum, ualet. c. Quum esses, extrà de testament. Sed hoc potest procedere in terris Ecclesiæ, secus autem in terris Imper- rij, quia ibi seruatur Ius Ciuile cum septem testibus. arg. c. Si duobus. §. fin. extrà, de appellat.

Quomodo esti-  
mentur liberi  
hæredes.

Quatenus ual-  
leat testamen-  
tum ad pias  
causas.

Testamentum ad  
pias causas

Causa efficiens testamenti ualidi est testator, qui habet testamen-  
ti factio



ti factionem actiuam. Omnis autem illam factionem habet, qui non prohibetur testari. Prohibentur autem testari, filius familiars in pecunia aduentitio & profectitio, Impubes, etiam pater familiars, furiosus, mutus, surdus, seruus &c. ut infra, Quib. non est permiffum fac. testamen. per tot. Secundò, hæreticus, credens hæretico & fouens. c. Excommunicamus. §. Credentes. extra de hæret. Tertio, incertus de statu suo, id est, qui nescit utrum sit liber uel seruus, filius familiars, uel pater familiars. l. de statu. ff. de testa. Quarto, condemnatus ad mortem Ciuilem, uel naturalem, propter crimen commune. l. Eius qui. §. i. ff. de testament. Quintò, perpetuò Banniti, qui æquiparantur deportatis. gloss. in uerbo, Retinent. §. Relegati. Inst. Quib. mod. Ius patriæ potest. solui. Sextò, obsides, *die Geisfel* / qui scilicet ea conditione accipiuntur, ut si dans obsides à fide recedat, accipiens uitæ necisq; in eos habeat potestatem. l. Obsides. ff. de testament. Illi & similes si fecerint testamenta, sunt ipso Iure nulla. Reliqui uerò omnes, extra illos, habent testamenti factionem actiuam. Contrariorum enim eadè est disciplina, iuxta l. i. ff. de ijs, qui sunt sui uel alieni Iuris.

Qui prohibentur testari.

Effectus Testamenti est, quòd hæres institutus in omnibus bonis, in quibus est institutus, statim post mortem testatoris fit dominus factè, & post aditionem hæreditatis, uerè, & legata debètur legatarijs, secundum dispositionem testatoris. Reipub. enim interest ultimas hominum uoluntates expediri. l. i. C. de sacrosanct. Eccle.

Huc usq; de testamentorum confectione dictum est, Nunc autem dicemus quomodo testamenta facta infirmantur. Et primùm testamentorum quædam fiunt Iure, quædam uerò non Iure. Non Iure dicuntur fieri, quæ carent substantialibus, & solennitatibus requisitis, ueluti si testator non habuit testamenti factionem actiuam, uel omnes solennitates, uel non instituit hæredem, nec expressè exhæredauit, quæ debeat instituere &c. Et illa testamenta ab initio & ipso Iure sunt nulla. l. i. ff. de iniust. rup. irritò que testam. Iure dicuntur fieri testamenta, quæ conficiuntur secundum modos supradictos. Horum testamentorum quædam infirmantur, quod fit duobus modis, Aut ipso Iure, aut officio Iudicis. Ipso Iure quoq; infirmantur bifariam. Aut enim rumpuntur, aut fiunt irrita. Rumpuntur primò agnatione naturali uel ciuili, ut quum post testamentum annascitur suus hæres, id est, filius uel nepos, ante mortem testatoris. Vel si ipse testator ante mortem suam, post testamenti confectionem aliquem adoptauerit uel arrogauerit, quod dicitur agnatio Ciuilis. §. Rumpitur. infra, Quib. mod. testament. infirm. Secundò rumpitur, si post testamentum natus fuerit Posthumus. §. Posthumi. infra, de exhæred. liber. Tertio, per posterius testamentum perfectum. §. posteriore. infra, Quib. mod. testam.

Que testamentum dicantur non Iure fieri.

Que testamentum Iure fieri dicantur.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

infirm. Irritum fit testamentum Iure factum, Primò, si testator capite diminutus fuerit, etiamsi minima fuerit capitis diminutio, ut adopt. §. Alio quoq; modo. infra, Quib. mod. testam. infir. Secundò, quando hæres, scriptus uel nominatus, hæreditatem non adit. d. l. 1. ff. de iniust. rupt. irritoque testam. Tertiò, si Testator metu futuræ pœnæ seipsum interfecerit. l. ij. in fin. C. qui testa. fac. poss. Officio Iudicis infirmantur testamenta, quãdo opponitur querela inofficiosi testamēti, de qua infra suo loco.

Quorum altero in pace) Quod nos dicimus paganicum.

Quæ sint Calata Comititia, uide apud Gell. lib. 15. capi. 27. Ea autem testamenta uocabant ipsi Calata Comititia, quæ nos appellamus Paganica. Et quod nos dicimus militare, ipsi uocabant procinctum, quasi succinctè fieret.

§. In uerbo familiæ emptor.

Familiæ emptor, qui hæredis loco erat, coram quinq; testibus & æstimatore hæreditatis, qui Libripens uocabatur, emebat hæreditatem æstimatam à Libripente, pro uno aut altero nummo. Et illa emptio erat imaginaria, & sic in illo Testamento requirebantur tres personæ: Primò uenditor, qui loco testatoris erat. Secundò emptor familiæ, id est, hæreditatis, qui erat loco hæredis. Tertiò Libripens, qui æstimabat hæreditatem. Addebantur quoq; quinq; testes, quibus probabatur illa imaginaria uenditio.

Per emancipationem) Sicuti Iure ueteri emancipatio filij familiæ fiebat per imaginariam uenditionem, quia pater emancipans uendebat eum alicui pro nummo, fortè sub illa tamen conditione, ut emptor eum statim manumitteret, de quo in §. præterea. supra, Quib. mod. Ius patr. pote. sol. eadem simulatione fiebant quoq; testamēta, de quibus hic.

Emancipatio) Id est, imaginaria uenditio.

VERS. Sed ut nihil.

In hoc principio usque ad §. Possunt, habes quatuor formas Testamentorum, Prima erat Testamenti, quod fiebat domi, extra militiã, & uocabatur Calata Comititia. Secundum, quod in militia fiebat, & dicebatur procinctum. Tertium, quod fiebat per æs & libram, id est, hæreditate æstimata pro exiguo ære, pro quo emebat is, qui dicebatur familiæ emptor, & hæres erat. Libra autem propriè hæreditas dicitur. Sicuti enim libra in duodecim uncias diuiditur, Sic quoq; hæreditas in duodecim partes, ut glos. hic in §. Quòd uerò, in uerbo, Libram. Sed hæc omnia sunt sublata. Quartum, est solenne Testamentum in scriptis, quod collectum est ex Iure Ciuili, Constitutionibus Principum, & Iure Prætorio. Primò à Iure Ciuili sumptum est, quòd

teste,



testes adhibentur. Ex Constitutionibus Imperatorum, subscriptio-  
nes testatoris & testium, ut d. l. Hac consultissima. C. de Testam. Ter-  
tio de Iure prætorio, signacula & numerus septem testium, §. Iure ca-  
nim honorario. hic tit. nostro.

*Constitutionum*) Id est, ex ll. Principum, quibus Ius uetus emenda-  
batur.

*Iure Ciuili*) Id est, ex libris Pandectarum, ut l. hæredes palam. ff.  
de Testamentis.

*Sed neque mulier.*

Licet mulier in Testamentis non possit esse testis, tamen in Codi-  
cillis, Donationibus causa mortis, & alijs uoluntatibus. Item, in omni-  
bus causis Ciuilibus, & quoq; Criminalibus regulariter testis esse po-  
test, secundum glos. in l. fin. in uerbo quinq;. C. de Codicillis. l. qui te-  
stamento. §. Mulier. ff. de testam. Et uide glo. c. forus, in uerbo fœ-  
mina. extra de uerbo, signifi.

*Intestabiles* §.

Intestabilis est, qui nec Testamentum facere, nec in Testamento he-  
res institui, nec etiam testis adhiberi potest. Quales sunt qui ob cri-  
men famosum damnantur, uel qui muliebria passi sunt, de quib. in  
glo. hic in uerbo, intestabiles.

VERS. *Reprobatum est.*

Notabis hic obiter, quòd domesticum testimonium reprobetur, *Domesticum te-  
stimonium in  
omnibus con-  
tractib. etiam  
inter uiuos nō  
ualet.*  
non solum in Testamentis, uerum etiam in omnibus alijs actibus in-  
ter uiuos. l. 2. C. de Testibus. Nisi fiat aduersario uolente, uel probare  
tur innocentia domestica. Qui autem sint domestici, uide glos. hic,  
in uerbo, In ea.

*Vetustissimi*) Sicuti familiæ emptor & eius coniuncti in tertio ge-  
nere testamentorum, quod fiebat per æs & libram, non poterat esse  
testes in Testamento. Sic hodie nec hæres, nec eius coniuncti testes es-  
se possunt, quia hæres successit in locum familiæ emptoris.

## DE MILITARI TESTAMEN-

to. Tit. XI.



*Propter nimiam imperitiam*) Magis enim debet scire arma  
quàm leges. l. fin. §. Arma. C. de Iure deliber. Ideoq; Iuris  
ignorantiam quoq; allegare possunt, et excusantur, ut hic  
in textu, in uerbo, Imperitiam. Quæ autem requirantur  
ad hoc, ut quis possit Iure militari testari, Vide in glos. super Rubr.  
An autem nostri milites gaudeant hoc priuilegio, est communis opi-  
nio, quòd non. Quia illorum militia non est priuilegiata. Vide Ang.  
hic, in §. Planè. & Ioan. de Pla. in principio tituli nostri.

*Iuris ignoran-  
tia excusat mi-  
lites.*



*Sed testari*) Regula est, quod filius familiæ regulariter non potest condere Testamentum. Hæc regula fallit, Primò in filio familiæ milite, qui in Castris & domi in peculio Castrensi testari potest, ut hic. Secundò fallit in peculio quasi Castrensi, de quo quilibet filius familiæ potest testari. §. fin. hic titulo nostro.

§. *Quid ergo?*

Veluti si miles testaretur in castris priuilegio militari, & institueret Titium hæredem, sub hac conditione: Titius hæres meus esto, si factus fuerit Consul. Postea miles missus est domum, & decessit infra annum. Titius autem hæres institutus, post biennium factus est Consul, & sic conditio infra annum non est impleta. Quæritur an ualeat Testamentum quasi militis. Et uidetur quod non. Quia militare Testamentum post missionem ad domum, anno elapso extinguitur. Et hæc conditio, scilicet si factus fuerit Cōsul, finito integro biennio est impleta, Ergo &c. Tamen deciditur contrarium, quod ualeat. Quia euentus conditionis in testamentis retrahitur ad tempus testamenti, & ideo hæres institutus sub conditione, ea adueniente censetur hæres institutus purè, tempore testamenti.

QVIBVS NON EST PERMISSVM FACERE Testamentum. Tit. XII.



**S**VMMA istius tituli usq; ad §. præterea, hæc est, quod filius familiæ non potest condere Testamentum, nisi de peculio Castrensi, & quasi Castrensi.

VERS. *Item furiosi.*

Nam in testamentis requiritur sanitas mentis, & non corporis. Hinc est quod Notarij in omnibus testamentis, scribunt: sanus mēte & intellectu, licet languens corpore. l. 2. & ibi Barto. ff. de testamen.

*Nec ad rem*) Occurrit tacitæ obiectioni, id est, Testamentum impuberis siue furiosi, propterea non confirmatur, quod post cōfectionem impubes factus est pubes, uel furiosus sanæ mentis. per d. regulam. Quod ab initio non ualuit &c. ut glo. hic in uerbo, inutile.

§. *Item surdus.*

In muto & surdo ita distingue: Aut naturaliter hoc accidit, aut casu. Si naturaliter muti & surdi sunt, nec Testamenta, nec Codicillos facere possunt. Si uerò id casu accidit. Et dic: Aut quis est surdus & mutus simul. Et distingue: Aut nouit literas, & potest Testamentum manu sua scribere, obseruatis solennitatibus: aut non nouit, & testari non potest. Aut morbus est separatus. Et tunc si est surdus tantum, & habet uocem articulatam, & testari potest. Si uerò aures apertæ fuerint, lingua autem impedita, potest Testamentum scribere. §. si



re, si literas norit, quas si non nouit, non potest Testamentum conde-  
re. l. discretis. C. qui testa. fac. poss.

## DE EXHAEREDATIONE LIBERO-

rum. Tit. XIII.

**N**VMERATA sunt in superioribus quæ in quolibet te-  
stamento perfecto requirantur, superest adhuc aliud quid-  
dam, propter quod Testamentum impugnatur, ueluti si pa-  
ter habeat in sua potestate filios, filias, nepotes & neptes  
ex filio, & eos expressè non exheredauerit, nec hæredes instituerit,  
infirmatur eius Testamentum. Quare hic tit. tractat exheredationem  
liberorum. Est igitur exheredatio liberorum, à successione exclusio.  
Et est duplex. Tacita, & expressa. Tacita est, quando mater uel auus  
maternus filios siue nepotes silentio prætereunt. Silentium enim ma-  
tris uel aui materni tantum facit, quantum patris & aui paterni ex-  
pressa exheredatio. & Mater uel auus, hic titulo nostro. Habent ta-  
men isti liberi querelam inofficiosi Testamenti, de qua infrà suo loco  
dicemus. Expressa est, quando pater uel auus paternus filium nepo-  
tem, siue neptem, uel econtrà, præcedente sufficienti causarum proba-  
tione à successione expressè & nominatim excludit. Dico pater uel  
auus paternus, ad differentiam matris & aui materni, qui liberos &  
nepotes non habent in potestate. Quare etiam expressa exheredatio  
non requiritur, sed sufficit silentium. Dico præcedente sufficienti cau-  
sarum probatione, Quia si non sufficiens causa ingratitude filij er-  
ga patrem probata fuerit, exheredatio nõ ualet, & Testamentum in-  
firmatur. & Aliud quoq; in Autentico, ut cum de appel. cog. colla. 8.  
Dico expressè & nominatim, Quia non satis est liberos inter cæte-  
ros exheredari, sed nominatim, ut hoc modo: Titius filius meus ex-  
hæres esto, propter illam uel illam causam.

Exheredatio  
quid, & est du-  
plex.

CAUSAE exheredationis, propter quas parentes libe-  
ros suos exheredare possunt, sunt XIIII.

Prima, si quis parentibus suis manus intulerit.

Secunda, si grauem uel atrocem iniuriam eis ingesserit.

Tertia, si eos in criminalibus causis accusauerit, quæ non sunt contra

Principem, uel Rempubicam;

Quarta, si cum maleficis hominibus ut maleficus uersatur.

Quinta, si uitæ parentum suorum per uenenum siue alio modo insi-  
dari tentauerit.

Sexta, si nouercæ aut concubinæ patris sui se immiscuerit.

Septima, si delator contra parentes extiterit, & per suam delationem  
grauia dispendia eos fecerit sustinere.

• Octaua,



Octaua, si pater coniectus fuerit in uincula, & filius nolit pro eo fide iubere.

Nona, si filius prohibuit parentes condere Testamentum.

Decima, si præter uoluntatem parentum arenarijs & mimis filius se sociauerit.

Vndecima, si filia mauult impudicè uiuere, quàm matrimonio iungi.

Duodecima, si filius neglexerit patrem furiosum curare uel nutrire.

Decimatertia, si filius patrem captiuum non redemerit.

Decimaquarta, si filius fuit hæreticus. Aliud quoq; cum sequen. in Autentico, ut cum de appellat. cognoscitur, collatione s.

Et econtra, si filius uel nepos de castrensi, uel quasi castrensi peculio Testamenta condiderint, nec extent descendentes, tenentur parentes aut hæredes instituere, aut certis ex causis eos exhæredare, alioqui Testamentum non ualet.

Prima est, si parens accusauerit filium de crimine capitali, nisi accusatio fiat de crimine læsæ maiestatis, uel hæresis.

Secunda, si pater ut maleficus, uel alio modo insidiatus fuerit uitæ filij.

Tertia, si pater immiscuerit se nurui uel concubinae filij.

Quarta, si pater prohibuit filium Testamentum condere in castrensi, uel quasi castrensi peculio.

Octo sunt causæ, propter quas liberi possunt exhæredare parentes,

Quinta, si pater insidiatus fuerit uitæ uxoris, & sic matris filij, uel mater uitæ mariti ueneno, siue alio modo.

Sexta, si pater filium in furore constitutum curare & nutrire neglexerit.

Septima, si pater filium captiuum redimere noluerit.

Octaua, si filius fuerit orthodoxus, pater uerò hæreticus. Vide si uerò contigerit, cum sequen. in Autentico, & cum de appel. cogno. colla. s.

Poteris quoque addere alias causas æquè graues, uel grauiores, propter quas permittitur exhæredatio. Hoc enim à simili probatur. Nā sicuti in Feudo sunt expressæ causæ, propter quas uasallus amittit Feudum, Tamèn propter alias non expressas, æquè tamen graues, quoque amitti potest. c. Vnico. s. porro, in usibus Feud. in titulo, quæ fuit prima caus. benef. amitt. Et hoc obtinuit D. Doctor Hieronymus



nymus Schiurpff, in publica disputatione. Et sic uides exhæredari posse descendentes ut filios, & ascendentes, ut patrem, matrem, auum, et auiam &c. In collateralibus autem etiam proximioribus non opus est exheredatione. Nam etiam præteritio fratrum non inuadat Testamentum, cum ipsi querelam inofficiosi Testamenti proponere non possint, nisi turpes personæ pro eis sint institutæ. §. soror. infra. de inoff. testa. Exhæredare autem alios & remotiores gradu planè ineptum est. l. quidam. §. sed uideamus. ff. de uerb. oblig. Est autem in exheredatione obseruandum, ut purè fiat, non sub conditione, item: ut fiat in tota hæreditate, non in parte. Vide glos. in l. 3. §. Ante heredes. ff. de liber. & posthu.

*Filium*) Naturalem uel legitimū, uel legitimum non emancipatū.

*Silentio præterierit*) Si non instituendo hæredem, nec exhæredando.

*Inutiliter testabitur*) Id est, ipso iure non ualet Testamentum, si filius est præteritus. Hoc tamen ita procedit, si filius petierit declarari Testamentum esse nullum. Si uerò tacuerit, licet de rigore iuris non ualet, tamen de æquitate Testamento subuenitur. l. filio. cum glos. fin. ff. de iniust. rup. irri. testa.

VERS. *Sed non ita.*

Iure ueteri erat differentia inter filios & filias, nepotes & neptes ex filijs, quia pater tenebatur filium instituere hæredem, uel nominatim exhæredare, Secus autem in filiabus & nepotibus, ut hic.

*Inter cæteros*) Ut hoc modo: Titium filium meum hæredem instituo, cæteros omnes exhæredo. Sub hac exheredatione continebatur filia, nepotes & neptes ex filijs. Hodie nulla est differentia quo ad exheredationem inter masculos & fœminas. §. sed hæc. infra. eo. c.

VERS. *Nominatim.*

Ratio quòd filij nominatim exhæredari, aut hæredes institui debent, nec præteriri, hæc est, quòd etiam uiuentibus parentibus existimatur quodammodo domini rerum paternarum, quod dominium per præteritionem & silentium patris eis non adimitur. Requiritur ergo expressa exhæredatio. l. in suis. ff. de liber. & posthu.

§. *Posthumi.*

Posthumus dicitur quasi posthumationem patris natus. Et sunt *Posthumus* triplices. Primò, dicuntur posthumi, qui nascuntur post mortem patris. Secundò, qui nascuntur patre quidem uiuente, sed tamen post conditum Testamentum. l. 3. §. posthumos. ff. de iniust. rup. irritoq; testam. Tertiò est posthumus, qui nascitur auo ex uxore filij sui. l. Gallus, in principio. ff. de liber. & posthu. Et iure ueteri requirebatur aut institutio, aut expressa exhæredatio, Eratque differentia inter posthumum



posthumum & posthumam. Hodie autem nec posthumus nec posthuma exhæredari possunt, cum non sentiant, nec cadat in eos aliqua causa ingratiitudinis, ex 14. l. si quis in suo. C. de inoff. test. Quare si præteriti fuerint nec instituti, rumpunt Testamentum. Est tamen differentia inter filium præteritum & posthumum præteritum, quia filius præteritus statim & semper facit Testamentum nullum. Posthumus uero præteritus tum demum rumpit testamentum Iure factum, si uiuus natus fuerit. d. l. 3. ff. de iniur. rupt. irritoq; test. Nam si uxor abortum fecerit, manet Testamentum firmum. §. Ideoq; hic titulo nostro.

VERS. *Sed foemini.*

Vides hic Iure ueteri differentiam fuisse inter posthumum & posthumam, quia posthumus nominatim exhæredabatur, posthuma uero inter cæteros, ita tamen, ut aliquid legeretur, ne scilicet uideatur præterita per obliuionem. Sed hæc differentia hodie sublata est per rationem in l. Maximum uitium. C. de liber. præterit. uel exhæred. & per §. fina. ibidem.

§. *Posthumorum.*

Casus istius §. talis est: Pone, Titius habet filium Sempronium nomine, & ex eo nepotem Gaium, si is Titius uult condere testamentum, quod omni Iure ualeat, necesse est, eum ita testari: Sempronium filium meum hæredem instituo, & si contigerit, quod ipse me uiuo mortuus fuerit, substituo Gaium nepotem ex eo natum. Hoc casu licet Sempronius decedat uiuo patre suo, tamen ualet testamentum, quia Gaius nepos testatoris, qui habetur loco posthumi, in illo testamento institutus est. Si autem Gaius nepos esset præteritus, & Sempronius filius uiuo Titio patre suo decederet, rumpetur hoc testamentum, quia Gaius nepos postmortem Sempronij patris sui, intrat in locum sui patris, & fit suus hæres. Ergo cum inuenit se præteritum, nec extat aliqua persona, per quam excludatur, certum est quod testamentum rumpit.

VERS. *Id lege Iulia.*

Sicuti iure ueteri testatores dicebant in testamento: Si post mortem meam intra decem menses, filio meo mortuo, nepos mihi natus fuerit, hæres uel exhæres esto. d. l. Gallus. in prin. ff. de lib. et post. Ita quoque consulebat Iulius Velleius obseruandum esse in nepotibus, ex filiis, ut auus hoc modo institueret: Titium filium meum hæredem instituo. et si contigerit eum mori ante mortem meam, Sempronium nepotem ex eo substituo, uel exhæredo. d. l. Gallus. §. Nunc de lege. Alioqui si post testamentum uiuente auo moreret, esset nepos suus hæres



hæres aui, qui rumperet testamentum eius, si non esset hæres nominatus, uel expresse exheredatus.

§. *Emancipatos.*

Ratio est quòd de Iure ciuili filij emancipati nec hæredes institui, nec exheredari necesse erat, Quia Ius ciuile in successionebus respiciebat agnationem, ut infra de legit. agnat. success. in prin. Agnatio autem omnibus capitibus diminutionibus tollitur, §. sed agnationis. supra de legit. agnat. tut. Et emancipatio est minima capitibus diminutio §. Minima, supra de capit. diminut. Ergo cum in successionebus, prima ratio erat agnatorum, Et agnatio emancipatione tollebatur, Sequitur etiam emancipatos de Iure ciuili à successione exclusos esse. Sed prætor potius cognationem naturalem, quàm agnationem, quæ Iuris ciuilis est, considerat. Quare etiam propter illam naturalem cognationem, quæ per emancipationem tolli non potest, admittit liberos emancipatos præteritos ad successionem contra Testamentum.

VERS. *Emancipati.*

Quia tam naturalia quàm ciuilia Iura liberis adoptiuis emancipatis cessant, & habentur planè pro extraneis. Quare non opus est exheredatione, nec institutione.

VERS. *Quaratione.*

Hoc hodie correctum est per §. sed hodie, supra de adopt. Vbi dicitur, quòd per adoptionem ab extraneo factam Ius patrie potestatis patris naturalis non dissoluitur.

§. *Sed hæc quidem.*

Per hunc §. prædicta ferè omnia sunt correctæ. Dicitur igitur quòd hodie tam filij, quàm filiæ, tam nepotes quàm neptes, ex filijs, aut hæredes sunt instituendi, aut iustis ex causis exheredandi. Et hoc uerum respectu patris uel aui paterni. Mater enim uel auus maternus possunt silentio præterire filios & nepotes. §. Mater, hic titulo nostro. Illi tamen liberi in Testamento à matre præteriti, possunt opponere querelam inofficiosi testamèti, ut infra audiemus de inoff. testa.

§. *Circa adoptiuos.*

Liberi autem in adoptionem extraneo dati manent in potestate patris naturalis. §. Sed hodie, supra de adoptio. l. penult. C. de adoptio. Similiter & posthumi & posthumæ, omnino exheredari non possunt, ut diximus, quare hic §. quo ad posthumos, hodie est correctus. l. si quis in suo. C. de inofficio. testa.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE HÆREDIBVS INSTI-  
tuendis. Tit. XIII.

**I**N precedentibus titulis tractauimus de eo, qui habet testamenti factionem actiuam, hoc est, qui testamēta facere, & hæredes instituere possit, & similib. Hic autem habes de eo qui habet testamenti factionē passiuam, hoc est, qui, & quomodo hæres in Testamento institui possit.

Est autem hæredem instituere, nihil aliud, quàm sibi hæredē aliquem statuere. Dicit enim instituere, quasi suo loco statuere. Hoc enim agit instituens, ut institutus post mortem suam sit dominus omnium honorum suorum, una enim & eadem persona est hæredis & defuncti, ut in Auten. de iureiur. à morien. præst. colla. 5. in prin. Fit autem institutio tribus modis. Purè sub conditione possibit, et in diem incertum. Purè, ut cum testator simpliciter dicit: Titius hæres meus esto. Sub conditione, hoc modo: Si Seia uidua manserit, hæres meus esto. In diem incertum, hoc modo: Titius cum capere poterit, hæres meus esto. l. in tempus, in principio. ff. de hæred. inst.

Potest autem hæres institui quilibet qui non iure prohibetur hereditatem capere. Hinc sequitur liberos homines, seruos proprios, & alienos, hæredes institui posse. Si modò domini seruorum alienorum tales personæ sint, quæ hereditatem capere possint. l. Neq; per se. C. de hered. instit. Item institui possunt patres familiæ, filiusfamil. mutus, surdus, furiosus, prodigus, miles, laicus, clericus, monachus, ciuitas, Imperator, Augusta, fiscus, Ecclesia, & quilibet locus uenerabilis, §. Testamenti autem, infr. de hered. qual. & different. l. Cum hæredes. C. qui test. fac. poss. l. Hereditatis. C. de hered. inst. Non aut hæredes institui possunt, Primò, deportati, siue perpetuò banniti. l. 1. C. eod. Secundò, dånati in metallum. l. Si in metallum. ff. de ijs qui pro non script. Tertio, Anabaptistæ. l. Nulli. C. Ne sacrum baptis. reiter. Quarto, collegium non priuilegiatum. l. collegium. C. de hered. instituen. Quintò, nati ex damnato, uel incestuoso coitu. Authentica, Ex amplexu. C. de incoestu, & inutilibus nupt.

In deportatis tamē & similibus personis attende tria tēpora. Tempus institutionis, mediū tempus, & tempus mortis testatoris, siue acquirendæ hereditatis. Si tēpore institutionis deportatus fuit, institutio non ualet. l. 1. C. de here. inst. Si uerò medio tēpore fuit deportatus, & ante aditionē restitutus, mediū tempus non officit, l. Sed etsi. §. solennis. ff. de here. inst. Si tempore mor-  
tis



tis testatoris deportatus fuerit, quoque non ualet institutio. Nam  
 lus hæredis eo maxime tempore inspiciendum est, quo acquirit  
 hæreditatem. l. si alienum, §. In extraneis. ff. de hæred. inst.

**EFFECTVS** Institutionis est, quod institutus fit dominus om-  
 nium bonorum post mortem instituentis.

Hunc titulum diuide principaliter in tres partes. In prima ha-  
 bes quæ personæ possint hæredes institui, & ponit regulam, quæ  
 tam liberi homines quàm serui, tam proprii quàm alieni regula-  
 riter hæredes institui possunt. In secunda parte in §. hereditas. tra-  
 ctat quomodo hereditas in institutione diuidatur. In tertio §. he-  
 res, explicat quomodo fieri debeat institutio, nempe pure, & sub  
 conditione possibili.

§. *Hereditas.*

Habes hic diuisionem hereditatis. Diuiditur autem hereditas  
 plerumque in duodecim partes, sicuti as in duodecim uncias, quæ  
 diuisio necessaria est, quando testator uult hæredes instituere ex  
 inæqualibus partibus. Veluti si testator habeat tres filios, Titi-  
 um, Sempronium, & Gaium, quos inæqualiter uelit hæredes in-  
 stituere, ita quod dimidia hereditatis perueniat ad Titium, alte-  
 ra uero dimidia diuidatur pro rato inter Sempronium & Gaium.  
 Hoc modo institueret: Titium filium meum instituo ex semisse,  
 Sempronium ex quadrante. Id est, Titius habebit sex partes he-  
 reditatis, & sic dimidiam. Sempronius tres, & sic quartam hære-  
 ditatis. Gaius quoque tres, & sic quartam hereditatis.

**Plerumque** Dicit plerumque, quia interdum diuiditur in 24. inter-  
 dum in 36. uncias, ut infra audiemus,

**VERS.** *Neque enim.*

Occurrit tacitæ obiectioni. Poterit enim obijci, si unus tantum  
 in semisse, & sic dimidia hereditatis institutus est, uidetur quod  
 reliqua semissis pertineat ad hæredes ab intestato, Cum as con-  
 tineat duos semisses. Ergo alter, in quo nemo est hæres institutus,  
 uidetur ad hæredes ab intestato pertinere. Sed textus hic decidit  
 contrarium, quod scilicet hoc casu tota hereditas comprehenda-  
 tur sub semisse. Et est ratio, quia quis non potest pro parte testa-  
 tus, & pro parte intestatus decedere.

**VERS.** *Si uero totus as.*

Id est, si tota hereditas diuisa fuerit inter eos qui expressis par-  
 tibus instituti sunt, & supersunt alij hæredes scripti sine expressis  
 partibus, tunc diuiditur hereditas hoc modo, Quod instituti ex certis  
 partibus habent unam dimidiam, & cæteri aliam dimidiam.

§. *Et si plures.*

L ij



Si quis institueret hæredes ex multis partibus, ita quòd excederent assem, & superesset alius hæres non expressis partibus institutus, is reliquũ quod dupondio deesset, retineret. Exemplũ: Testator instituit Titium ex semisse, id est, ex sex partib. Gaium ex besse, id est, octo, Sempronium autem sine expressis partib. Habebit ergo Sempronius decem partes, quæ defunt dupondio, sic quoq; hoc modo dupondius expletus sit, et unus siue plures hæredes sine expressis partibus instituti fuerint, itur ad tripondium, id est, accipient quod deest 36. uncijs.

¶ *Impossibilis.*

Quia ultimæ uoluntates interpretandæ sunt potius ut ualeãt, quàm ut pereant. l. si quando. §. 1. C. de inofficio. testa.

DE VVLGARIS VBSTITVTIONE. Tit. XV.

**P**roximus titulus de primo gradu institutionis proposuit: Hic autem disponit de secundo gradu institutionis, quæ substitutio dicitur.

Est igitur substitutio nihil aliud, quàm secunda institutio, quæ fit post primã, in locũ deficientis, ut quando testator ita dicit: Titius hæres meus esto: si uerò Titius defecerit, Sæpronius hæres meus esto, ut colligitur hic in prin. tit. nri. Et diuidit in duas species, in directam & obliquam, siue fideicommissariam.

*Directa.* Directa dicitur, quando quis capit hæreditatem deficientis, mediante nulla alia persona, ut in exemplo iam proposito.

*Obliqua.* Obliqua est, quando quis capit hæreditatem ex fideicommissio, ut cum hoc modo dico: Titius hæres meus esto: si uerò defecerit, Sempronius hæres meus esto, & fidei eius committo, ut re-

*Divisio directæ substitutionis.* stituat Seio. de hac inf. de fideicom. her. Directa subdividitur in uulgarem, pupillarẽ, exemplarem, breuiloquã, & cõpendiosam.

DE VVLGARI VBSTITVTIONE.

Vulgaris dicitur, quæ fit cuilibet à quolibet de uulgo, dũ tamen substituens testamentum facere, & substitutus ex testamento capere possit. Vide Doct. in l. 1. ff. de uulg. & pupil. sub. Et illa subdividitur in expressam & tacitam. Expressa quæ fit uerbis negatiuis, hoc modo: Si Titius hæres meus non est, Sempronius hæres esto, ut hic tit. nost. Tacita, quæ fit uerbis affirmatiuis, ut cum testator dicit: uos duos inuicem substituo: uel sic, uter inter Titium & Seium uixerit, hæres meus esto. Tunc si uterq; uixerit, ambo hæredes sunt, si uerò unus decesserit, alter solus hæres erit ex asse. l. Titius & Seius. ff. de hæred. instit.

*Effectus substitutionis.*

Effectus substitutionis uulgaris expressæ & tacitæ, recēset Bar. in l. 1. ff.



In l. i. ff. de uulg. & pupil. sub. Et sunt quinque. Primus est, quod facit substitutum admitti ad hæreditatem, si institutus non sit hæres. Secundus, quod testamentum potest sumere uires à substituto, si fortè institutio non ualeat. Tertius, quod illa uulgaris expressa substitutio, continet tacitam pupillarem. Quartus, quod per eam succeditur defuncto, non ei cui substitutus quis est. Quintus, quod uulgaris substitutio facit de suo & necessario hærede uoluntarium, id est, seruus in institutione fit suus & necessarius hæres, hoc est, nolit uelit, cogitur adire hæreditatem. In substitutione uero est uoluntarius hæres, hoc est, poterit abstinere si uoluerit. l. si filius hæres, ff. de libe. & posthum.

## DE PUPILLARI SUBSTITUTIONE

Pupillaris substitutio est, quando pater filio suo impuberi aliū hæredem substituit, & idem est ac si illi impuberi testamentum conderet, Pater enim potest filio impuberi condere testamentum, post suum testamentum. l. Moribus. cum similibus. §. Prius. ff. de uulg. & pup. sub. Et est quoque duplex: Expressa, & tacita. Expressa est quæ hoc modo fit: Si filius meus mihi hæres erit, & in pupillari ætate post mortem meam decesserit, Titium ei substituo, ut infr. de uulg. & pup. sub. in princ. Et dico hic notanter: ei substituo, Quia in pupill. sub. substitutus non fit hæres defuncti testatoris, sed ipsius pupilli instituti, & in pupillari ætate decedentis. Tacita est, quæ fit uerbis: Quisquis mihi hæres erit, sit hæres filio meo, in pupillari ætate decedenti.

Pupillaris substitutio.

Expressa:

Tacita.

Quatuor requiruntur ad pupillare sub. ut ualeat secundum glos. in uerbo liberis. infra, de pupil. sub. in prin.

Primum, ut sit de liberis pupillus cui substituitur. Nam extraneo substitui non potest.

Secundo, quod sit impubes cui substituitur. Tertio, quod substituens habeat eum in potestate.

Quarto, quod omnes alij liberi sint instituti uel exhæredati, aliàs nullum esset principale testam. Et per consequens pupillaris substitutio quoque non ualeret.

Effectus pupill. substitutionis secundum Bart. in l. Morib. ff. de uulg. & pup. sub. sunt quatuor. Primus, quod pupillaris expressa continet tacitam uulgarem. Secundus, quod per eam succeditur pupillo, & non defuncto, Et hic uide differentiam inter uulgarem & pupillarem, quia in uulgaris succeditur defuncto, In pupillari autem pupillo, cui quis est substitutus. Tertius, quod pupillaris expressa excludit matrem, & alios ascendentes per lineam maternam præteritos, quos filius præterire non potuisset. Quartus, quod si pater substituit filio

Effectus pupil. substit.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

fuo impuberi talem hæredem, qui ipsi patri esset suus & necessarius hæres, ut seruum &c. fit is substitutus impuberi quoq; suus & necessarius hæres. d. l. Moribus. §. prius. & l. sed si. ff. de uulg. & pupill. sub.

Expirat autem pupillaris substitutio secundū Azo. in summa sua, quinq; modis. Primò, maxima, media, & minima capitis diminutione pupilli, Subuenitur tamen substitutis per utiles Actiones. Secundò, si non adita est hæreditas patris. Tertio, si patris Testamentū per querelam inofficiosi testamenti fuerit expugnatum in totum. Secus si in parte tantum. Nam tum ualeret pupillare testamentum. Quarto, si substituenti testatori fuerit agnatus posthumus. l. si pater filium. ff. de uulg. & pupil. sub. Quintò, per pubertatem, ut glos. in d. §. Qua ratione. Et tantum de pupillari.

DE EXEMPLARI SVBSTITVTIONE.

Exemplaris substitutio est, quando parentes utriusq; sexus substituant furioso uel mente capto eius descendentes, uel his deficientib. fratres, uel etiam extraneos, si scilicet neq; ascendentes, neq; etiam fratres habuerint. Et dicitur exemplaris, quia fit ad exemplum substitutionis pupillaris. Sicuti enim pater filio impuberi potest substituere, ita quoq; parentes utriusq; sexus, furiosis & mente captis substituere possunt, quia ipsi rebus suis præesse non possunt, sicut nec pupilli. §. Qua ratione, cum similibus. infr. de pupil. sub. In quibus autem differat hæc substitutio à pupillari, & in quibus concordet, Vide glos. in uerbo, Ad exemplum, in d. §. Qua ratione. Et est quoque duplex, expressa, & tacita. Expressa est quæ fit uerbis expressis. Tacita est quæ continetur in expressa uulgari, facta furioso uel mente capto, de quibus uide Ioan. de Platea, in d. §. Qua ratione. Cessat autem hæc substitutio adueniente sanitate, uel cum furiosus compos mentis factus fuerit. Secundò, si frater furiosi, uel extranei substituti fuerint, cessat substitutio, liberis à furioso procreatis. l. Humanitatis. C. de impub. & alijs sub.

DE BREVILOQUA SVBSTITVTIONE.

Breuilouqua substitutio est, quæ continet duas uulgares, & duas pupillares substitutiones, ut cum duo impuberes, hoc est, qui nondū nati sunt 14. annos, instituti à parente, qui eos habet in potestate, sibi inuicem reciprocè substituuntur, hoc modo: Titium & Seium filios meos impuberes hæredes instituo, & sibi inuicem substituo. Hæc substitutio primò continet duas pupillares substitutiones, uidelicet uter illorū in pupillari ætate decesserit, est ei superstes substitutus. Deinde continet duas uulgares, scilicet cum ambo instituti uixerint usque ad



ad pubertatē, & uter illorum postea decesserit, alter substitutus manet vulgariter. Dicitur autem breuiloqua, quia breuibus uerbis continet communiter quatuor substitutiones. Dicitur quoque reciproca, quia fit quædam reciprocatio in mutua substitutione.

#### DE COMPENDIOSA SUBSTITUTIONE.

Compendiosa substitutio dicitur, quæ sub compendio uerborum plures substitutiones seu tempora complectitur, & fit per aduerbiū quodcumq; secundum glo. in c. Raynutius. ext. de test. in uerbo, Si absq; & fit his uerbis: Instituo Titium filium meum hæredē, & quandoque decesserit, Gaius hæres esto. Vides quod aduerbiū quodcumque hic complectitur uulgarem & pupillarem substitutionem. Si enim institutus in pupillari decesserit, est hæc compendiosa substitutio quoque pupillaris. Si uerò post pubertatem decesserit, uulgaris. Et sic quoque comprehendit plura tempora, tempus pupillaris ætatis, & quoque tempus totius uitæ. Potest autem hæc substitutio fieri tam à milite, quàm à pagano. Si fit à milite, ualet iure directo. Si uerò à pagano, & sic à non milite fit, distingue: Aut institutus moritur in pupil. ætate, & ualet substitutio quoq; iure directo, quia pater uidetur casu impuberi testamentum fecisse. Aut post pupillarem ætatem institutus moritur, & subdistingue: Aut fit substitutio per hæc uerba: Quandoque filius meus institutus decesserit, substituo Sempronium, Et ualet substitutio: quia est uulgaris, & succedit substitutus non ipsi instituto, sed testatori. Trahitur autem hæc substitutio ad fideicommissum, id est, ac si testator dixisset: filium meum instituo, & rogo eum, uel fidei eius committo, ut hæreditatem adeat, & restituat Sempronio substituto. Aut fit substitutio per hæc uerba: Quandoque filius meus decesserit, substituo ei Sempronium, & non ualet substitutio, si institutus moritur post pubertatem, quia Sempronius est hic substitutus instituto, & nõ testatori, quod fieri nõ potest post pubertatem, quia pater nõ potest aliquem substituere filio, nisi sit pupillus. Ergo &c. Vide glos. in uerbo, Ad exemplum. §. Qua ratione. infra. de pupil. sub. Et hæc de directa subst. sufficiant. Notabis autem obiter, quod sicuti directa institutio hæredis tantum fit in testamento, & in nulla alia ultima uoluntate, Ita quoq; directæ substitutiones fiunt tantum in testament. Obliqua autem siue fideicommissaria institutio uel substitutio etiam in Codicillis fieri potest. §. Codicillis. cum sequ. infra de Codi.

#### DE OBLIQUA, SIVE FIDEICOMMISSARIA SUBSTITUTIONE.

Dicitur autem obliqua siue fideicommissaria substitutio, quæ fit



ENARRATIONES IN INSTITVT.

hoc modo : Instituo Titium filium meum hæredem, & rogo eum, ut hæreditatem restituat Sempronio, si decefferit Titius sine liberis. De qua latius infr. de fideicom. hære. Vide de substitutionibus gl. in uerbo, Ad exemplum. §. Qua ratione. inf. de pupil. sub. glo. & doct. in d. c. Raynutius. extr. de testam. Doct. in l. 1. & l. Moribus. ff. de uulg. & pupil. sub.

*In testamento*) Dicit notanter, in testamento, quia in Codicillis & alijs ultimis uoluntatibus substitutio directa non ualet.

*Substituere potest*) Id est, si fortè hæreditas esset grauata ære alieno, adeò quòd hæredes instituti nõ faciliè adirent eam, Ne ergo post mortem testatoris eius bona suo nomine uenderentur, quod ignominiosum esset, permissum est testatoribus tres uel quatuor hæredum gradus facere. Quòd si unus hæreditatem repudiauerit, tamen alter adiret, cuius nomine, & non testatoris, bona deinde uenderentur. Quòd si nec aliquis ex institutis siue substitutis hæreditatem adire uelit, potest testator loco nouissimo seruum suum hæredem instituere, qui uelit nolit, cogitur esse hæres, & bona testatoris, istius serui nomine uenduntur.

§. *Et sex disparibus.*

Vt si testator institueret Titium in sex uncijs, Gaium in quatuor, et Seium in duabus, & illos tres sibi inuicem substitueret, non tamen expressis partibus in substitutione. Quæritur, si Titius moriatur ante aditionem, quomodo sex uncie Titio relictæ, inter Gaium & Seium reciprochè substitutos, diuidentur? Decidit Imperator, quòd Gaius habebit quatuor uncias, & Seius duas. Quia in institutione Gaius quatuor, & Seius duas uncias habebant.

§. *Si seruum.*

Hic est casus istius §. Quidam instituit seruum alienum hæredem, quem putabat esse liberum & sui iuris: & si hæres non esset, substituit Meuium. Defuncto testatore seruus institutus iussu domini sui adiuit hæreditatem. Meuius autem substitutus, quia testator errauit in conditione instituti, petebat hæreditatem iure substitutionis. Quærebatur itaq; quomodo hæc uerba interpretanda sint, scilicet, si hæres non esset. Et dicit Imperator, si testator sciuisset illum hæredem institutum seruum esse, ita fieret interpretatio: Id est, si neq; ipse seruus hæres erit, neq; alium scilicet dominum suum hæredem effecerit. Si uerò testator ignorauerit institutum esse seruum, ut in casu nostro, sic fit interpretatio: Si hæres non esset, id est, si institutus hæreditatem sibi uel ei, cuius iuri postea subiectus esse cœperit, (per arrogationem scilicet, uel per redactionem in seruitutem) non acquisierit, Meuius hæres esto. Et quia hic uterq; tam institutus, quàm substitutus



tutus habet pro se rationem, Quia dominus instituti adiuit hæreditatem, propter seruum suum institutum. Igitur argumētatur hoc modo, cōtra substitutum: Vulgari substitutio post aditionem hæreditatis per institutum est extincta. l. post aditam. C. de impub. & alijs subst. Sed tu es uulgariter substitutus, & seruus meus institutus hæreditatem meo iussu adit. Ergo sequitur tuam substitutionem esse extinctam. Et per consequens te non posse instituere petitionem hæreditatis. E contra substitutus pro se contra institutum quoq; habet rationem, & argumentatur hoc modo: Voluntas testatoris potius spectanda est, quàm uerba. Sed certum est testatorem credidisse te liberum hominem instituere, & uoluisse si liber non esses, ut ab hæreditate excluderis. Et sic uoluit liberum hominem instituere, elegitque tuam, non domini tui personam. Sequitur ergo, quia liber non es, & tamen sub illa conditione institutus, quod institutio statim non ualuit, & hæreditas ad me pertineat. Cum ergo uterq; pro se habeat rationem, diuiditur hæreditas, Primò in duos semisses, & alter semissis diuiditur in duos quadrantes. Primus integer semissis, & unus quadrans alterius semissis, dantur Meuo iure substitutionis, ita quod nouē uncias habeat. Domino autem instituti datur quadrās, propterea quod hæreditatem adiuit. l. si pater familiās, cum sequentib. ff. de hæred. instit. Vide glos. hic in uerbo, in partem.

## DE PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

Tit. XVI.

VERS. Nam moribus.

**R**ATIO, quod pater filio impuberi potest Testamentum facere, est, ne impubes decedat intestatus. Decederet enim intestatus, si pater ei Testamentum non fecerit. Cum nullus impubes Testamentum condere possit. §. præterea. supra qui testa. facer. possunt.

*Ad exemplum*) Quia furiosus & pupillus in plerisque æquiparantur, ut colligitur ex §. pupillus. infra de inutilib. stip.

VERS. Illud palam.

Id est, propterea substitutio non est inualida, quod institutio & substitutio sunt scriptæ in eadem charta, licet pupillo sit periculosum.

§. Liberis autem suis.

Pater pupillariter substituere non potest, nisi sibi ipsi condat Testamentum, & in eo substituatur.

§. Vel singulis.

Id est, si Testator uult quod nullus impuberum decedat sine Testamento,



ENARRATIONES IN INSTITVT.

stamento, potest singulis substituere. Si uerò uult quòd legitimo modo sibi inuicem ab intestato succedant, non est necesse singulis substituere, sed tantum nouissimè, ut hoc modo: Quicumq; filiorum meorum nouissimè impubes decesserit, sit ei Titius hæres.

QVIBVS MODIS TESTAMENTA infirmantur. Tit. XVII.



**S**VMMA istius tituli hæc est, quòd testamenta fiunt duobus modis, non Iure, & Iure. Non Iure fiunt, quæ carent solennitatibus requisitis, uel quando testator non habet Testamenti factionem actiuam, & tamen fecit Testamentum, uel hæres institutus non habet testamenti factionem passiuam, uel filius in potestate constitutus, præteritus est &c. Et illa ipso Iure non ualent, Iure fiunt in quibus prædictorum nihil desideratur. Et illa infirmantur duobus modis. Primum ipse Iure, Secundò per officium Iudicis. Ipso Iure infirmantur quoq; bifariam. Aut rumpuntur, aut irrita fiunt. Rumpuntur primò per agnationè sui hæredis, quod fit, si post Testamentum factum natus fuerit Posthumus, uel testator aliquem adoptauerit, uel arrogauerit. Secundò rumpitur per posterius Testamentum Iure factum. Irrita fiunt, si testator fuerit capite diminutus, ut si arrogatus fuerit. Per officium Iudicis infirmantur Testamenta Iure facta, quando proponitur querela inofficiosi testamenti. De qua in titulo sequenti.

*His casibus*) Id est, testator decedit sine Testamento, & uocantur ad successiõnem ab intestato, qui sunt gradu proximiores. Quia tam primum quàm posterius Testamentum irritum est. Primum rumpitur per posterius, posterius autem ideo non ualet, quia hæres uel conditio defecit.

¶ Sed et si quis.

Hæc secunda institutio non uidetur ualere, quia cum hæreditas sit successio in uniuersum Ius defuncti. l. Hæreditas. ff. de reg. Iur. Videtur quòd in re certa quis non possit esse hæres. Tamen deciditur hic cõtrarium. Quia altera parte detracta habetur hæres ex certis rebus institutus pro hærede omnium bonorum, ne testator censeatur partim testatus, partim uerò intestatus decessisse. l. i. §. si ex fundo. ff. de hæred. inst.

VERS. Testamentum secundo loco.

Licet testator in secundo Testamento dicat, quòd primum Testamentum quoq; ualeat, nihilominus tamen primum inuadatur per secundum, quia nemo potest decedere post se relictis duobus Testamentis. Hæres tamen in primo testamento institutus consequitur maiorem



forem partem hæreditatis, & hoc ex secundo testamento, quòd scilicet approbavit suam institutionem nomine fideicommissi. Nam hæres secundi testamēti, cogitur esse cōtentus sua parte, uel quarta parte hæreditatis, & restituere nomine fideicommissi reliquam partem instituto in primo Testamento. Idem enim est ac si testator dixisset in secundo Testamento: Titius hæres esto in certis reb., & fidei eius cōmitto, ut reliquam partem hæreditatis restituat hæredi.

*Capite diminutus*) Id est, maxima uel minima capitis diminutione, ut si paterfamiliàs fecit testamentum, & dederit se postea in arrogationem, hoc testamentum est irritum, quòd per arrogationem fit filiusfamiliàs, qui regulariter testari non potest, ut supra diximus.

§. *Non tamen.*

Regula est, quòd testamētum fit irritum, si testator est capite diminutus. Hæc regula fallit, si testator ante mortem suam est restitutus.

## DE INOFFICIOSO TESTAMEN.

to. Tit. XVIII.

**I**N proximo titulo dictum est, quibus modis Testamentū ipso iure infirmetur sine facto hominis: In hoc autem titulo habes quomodo infirmetur, non ipso iure, sed officio Iudicis, quod fit per querelam inofficiosi testamēti. Est autem inofficiosum Testamentum, quod contra pietatis officium factū est. Dico contra pietatis officium, propter parentes & liberos, qui sibi debent mutuū officium & pietatem. l. i. ff. de obsequ. à liberis, & libert. parent. & patro. præstand. Et sic nota, Testamentū hoc casu non impugnari, propterea quòd solennitates omissæ sunt, sed tantūm fit querela, quòd quis dicit se præteritum, uel iniuste exhæredatum. Est itaq; querela inofficiosi Testamenti remedium subsidiarium, quo petit quis ut iudex ex officio suo Testamentum rescindat, quasi contra pietatis officium factum.

*Querela in  
inofficiosi testa-  
menti quid.*

Datur autem hæc querela tribus, Descendentibus, Ascendentibus, & Collateralibus proximis. Descendentibus datur, ut filiis, filiabus, nepotibus, neptibus &c. In his tamen distingue: Aut loquimur de liberis naturalibus tantūm, & subdistingue, Aut tractatur de Testamento patris, & non possunt querelam inofficiosi Testamenti instituere, siue præteriti sint, siue exhæredati (debentur tamen eis alimenta ex bonis paternis) quia non sunt in patria potestate, nec sui heredes, ut colligitur ex glos. in §. fin. supra de nupt. Aut tractatur de inofficioso Testamento matris, & tam naturales quàm spurij de inofficioso Testamento cōqueri possunt, si sunt præteriti, uel iniuste

• exhære.



exhæredati. l. Si suspecta. §. de inofficioso. ff. de inoff. Testa. Aut loquimur de liberis naturalibus & legitimis simul, uel legitimis tantum. Et distingue: Aut sunt exhæredati, aut præteriti. Primo casu subdistingue: Aut sunt exhæredati ex iusta causa ingratiitudinis, de quibus supra, & ualet Testamentum, nec potest impugnari per querelam inofficiosi Testamenti. §. siue igitur, in Autentico, ut cum de appel. cog. coll. §. Aut sine iusta causa à patre exhæredati sunt, uel à matre, uel auo materno præteriti (quæ præteritio pro exhæredatione habetur. §. fin. supra, de exhæred. liber.) Et habent querelam inofficiosi Testamenti. l. Non putauit. §. sanè. ff. de bon. poss. cont. tab. §. fin. in fi. cum glos. supra de exhæred. liber. Secundo casu, quando scilicet liberi à patre uel auo paterno præteriti sunt. Et distingue: Aut fuerunt in testatoris potestate, & non opus habent querela inofficiosi Testamenti, quia Testamentum est ipso iure nullum. §. sed qui filiū, cum sequen. supra de exhæred. liber. Aut fuerunt emancipati, & iterum non opus habent hac querela, quia datur eis à Prætoze bonorum possessio cont. tab. §. Emancipatos, supra de exhæred. liber. Et tantum de descendenti.

Secundò datur hæc querela ascendenti usque in infinitum contra Testamenta inofficiosa liberorum. In his tamen quoque distingue: Aut sunt parentes naturales tantum, aut naturales & legitimi simul, siue legitimi tantum. Primò casu dic: Aut pater naturalis, uel auus paternus præteritus, uel iniuste exhæredatus est, & non potest proponere querelam inofficiosi Testamenti. arg. d. glos. fin. §. fin. supra de nupt. Aut mater naturalis filij, uel etiam mater spurij præterita, uel iniuste exhæredata est à filio naturali, uel spurio, & potest hanc querelam proponere. arg. d. l. si suspecta. §. de inofficioso. ff. de inoffici. testa. Secundo casu, quando scilicet loquimur de parentibus naturalibus & legitimis simul, uel legitimis tantum. Et distingue: Aut liberi qui testantur sunt in potestate parentum, aut sunt emancipati. Si in potestate parentum sunt, & subdistingue: Aut testantur de peculio aduentitio, & Testamentum est ipso iure nullum, nec opus est querela, ut supra diximus in titulo: Quibus non est permiff. fac. Testa. in principio. Aut de Castrensi uel quasi Castrensi peculio testantur, & iterum subdistingue: Aut loquimur de parentibus à linea paterna, ut patre, auo paterno &c. Et tunc, aut sunt expressè exhæredati, aut præteriti. Si exhæredati, iterum distingue: Aut exhæredatio contingit propter iustam causam, & ualet Testamentum filij, nec potest impugnari per querelam inofficiosi Testamenti. d. §. siue igitur, in Autentico, cum de appel. cog. colla. §. Aut exhæredatio contingit sine iusta causa. Et subdistingue: Aut exhæredatus est parens à filio milite in militia



militia constituto, & non habet locum querela l. De inofficioso, C. de inofficio, testa. Aut est exheredatus à filio pagano, siue à non milite, & habet locum querela inofficiosi testamenti, Autē tica, Presbyteros. C. de Episcop. & cler. Aut loquimur de parentibus à linea materna, & distingue: Aut quæris de liberis legitimis tantum, & ualet testamentum siue præteriti, siue exheredati sint. Aut quæris de liberis naturalibus & legitimis simul, & subdistingue: Aut filius exheredauit illos iustam ob causam, & ualet testamentum. d. § siue igitur, in Autentico, ut cum de appel. cog. coll. s. Aut sine iusta causa, & est locus querelæ. l. cū filium. C. de inoff. testa Nisi filius sit miles. d. l. de inofficioso. C. eod. si emancipati liberi de bonis suis quibuscumq; testati fuerint, præterierintq; parentes, siue exheredauerint, quæritur an habeat locum querela. Et distingue: Aut loquimur de parentibus à linea paterna, & tunc subdistingue: Aut sunt exheredati, uel præteriti. Et tunc si exheredati sunt ex iusta causa, ualet testamentum, nec potest impugnari. d. § siue igitur, in Auten. ut cū de appella. & c. Si uerò sine causa eos exheredant, & habent querelam. Si uerò eos prætereunt, & habent honorum possessionem contra tabulas. l. Pantonius. ff. si à parente quis manumiss. fuer. Aut loquimur de parentibus à linea materna, sine causa præteritis, uel exheredatis, & dic quòd habent querelam inofficiosi testamenti, arg. l. cum filium. C. de inoff. testa.

Tertiò datur hæc querela inofficiosi testamenti proximis collateralibus, ut fratrib. sororibus, Sed hoc casu requiruntur duo. Primò, ut illi qui proponunt illam querelam, sint defuncti fratres, uel sorores utrinq; coniuncti, uel ad minus consanguinei, id est, ex eodē patre nati. Secundò quòd sit turpis persona pro eis instituta. Si enim esset honesta persona instituta, non possent Testamentum impugnare. l. fratres. C. eod.

Sunt aut tres causæ propter quas frater agens de inofficioso testamento fratris, et turpibus personis institutis, repelli potest.

*Causæ propter quas frater de inofficioso testamento fratris etc. repelli potest.*

Prima est, si frater mortē fratri defuncto uoluit inferre. Secunda, si eū uoluit criminaliter accusare. Tertia, si properauit iacturam substantiæ eius inferre. § ingratitude, in Auten. de nupt. coll. 4. Et hæc refer ad ea que suprà diximus, de exheredat. liber.

Datur aut hæc querela contra scriptos, uel nuncupatos heredes, directos uel fideicommissarios uniuersales, quicūq; fuerint, etsi Imperator, uel Deus institueret, id est, ipsa ecclesia. l. Papinianus. § si Imperator, cum glo. ff. de inoffi. testa. ubi citatur dictum Augustini dicentis: qui uult Deum instituere heredem, filiū ue-



rò exhæredare, alium quærat pro consilio, non Augustinum, c. quicumqz. 17. q. 4.

Et incipit competere post aditam hereditatem (quæ intra sex menses, uel annū adiri debet.) Et durat usqz ad quinquenniū. l. si quis filiū, in fi. C. eod. Et si filius præteritus, uel exhæredatus medio tempore ante querelam præparatā decesserit, transmittit eā ad suos descendentes. l. scimus. § In medio, & d. l. si quis filiū. C. eo. Ad extraneos uerò heredes non transmittit querela, nisi fuerit preparata, id est, nisi filius uiuens eam inceperit & preparaerit, & post preparationē mortuus fuerit. l. Posthumus. § si qs. ff. eod. Circa effectus querelæ inofficiosi testamenti distingue: Aut exhæredatis, sine iusta causa à patre: uel præteritis à matre, sine iusta causa, in testamento est relicta legitima, aut minus legitima, aut omnino nihil. Primo casu, si scilicet legitima relicta est, coguntur liberi esse contenti, nec possunt testamentum impugnare. Secundo casu quando minus legitima relicta est, agitur ad supplementum legitime. d. l. si quis filium. Tertio casu, quando scilicet nihil omnino relictum est, distingue: Aut quæris de præteritione matris, & adhuc datur querela inofficiosi testamēti, usqz ad legitimam. § fina, iuncta glos. sup. de exhæred. libero. Aut quæris de præteritione patris, petitur totum testamentum rescindi, & si pronunciatum fuerit contra testamentum, nec appellatum, fit actor hæres uniuersalis, uel bonorum possessor. l. Omnimodo. § si uerò. C. eod. titulo. Legata tamen & fideicommissa singularia, in testamento inofficioso relicta, præstari debent. § si uerò cōtigerit, in Autentico, ut cūm de appell. cog. coll. 8.

Est aut legitima liberis debita triens, id est, tertia pars bonorū, si sunt quatuor liberi, uel pauciores. Si uerò plures quàm quatuor extarent, legitima omniū bonorū esset semis, id est, dimidia pars bonorū, quæ pater tēpore mortis habuit deducto gre alieno, legatis & sumptib. funerum. Authentica nouissi. C. eod. tit.

Repellitur autē quis ab hac querela tribus modis. Primò, si à tempore aditæ hæreditatis tacuit per quinquenniū. d. l. si quis filium, in fin. C. eod. Secundò, si agnouit testamentum illud præstando aduocationem his qui agunt ex Testamento. Hoc enim modo uidetur testamentum approbare. l. si. ff. eo. Tertio si competit aliud remedium quàm querela, ut bonorum possessio contra tabulas, uel condictio ex lege. § Tam autem, cum glos. hic titulo nostro. l. Papinianus. § si quis impuberi, ff. eod.

§ Plerunque.

Hic nota obiter, quādo querela inofficiosi testamenti locū habeat,



beat, ut primò si parentes utriusq; sexus liberos suos sine causa exhæredant, ut hic in uerbo, sine causa. Secundò, si parentes à linea materna eos prætereant, quæ præteritio pro exhæredatione habetur.

*Hoc colore*) Sed hodie hic color seu hæc ratio, scilicet quòd testator non sanæ mentis fuerit, non habet locum, secundum Bar. l. Nam & his, in sinc. ff. eo. Ad hoc ergo, quòd hæc querela locum habeat, satis est proponere, causam exhæredationis siue præteritionis non esse ueram.

*Ultra fratres*) Reliqui cognati utcunq; proximi gradu, contra officium pietatis impugnare non possunt. Si uerò testamentum per se non ualere, ut quia testator non habuit testamenti factionem actiuam, uel hæres institutus testamenti factionem passiuam, uel alioqui testamenti solennitates omisse sint, tum quilibet qui ab intestato succederet, uel interesse aliquod prætenderet, impugnare posset.

§. Si Tutor.

Tertiò, si actor approbavit Testamentum præstando aduocationem. Sed hic in textu est limitatio istius regulæ. Hic est casus istius §. Titius habuit duos filios, Gaium & Seium. Gaius erat pubes & maior, quem pater sine iusta causa exhæredauit. Seio autem qui impubes erat, certam pecuniæ summam legauit, cuius tutelam gessit Gaius frater maior exhæredatus, defuncto testatore, Gaius accepit legatū ex eo Testamento, nomine pupilli sui, hoc est, fratris. Soluta autem illo legato, uolebat suo proprio nomine contra illud Testamentum querelam inofficiosi testamenti proponere, propterea quia sine iusta causa exhæredatus erat. Quærebatur an possit agere, & uidebatur quòd non. Quia per acceptionem legati, nomine pupilli fratris sui, uidebatur Testamentum approbasse. Probans autem Testamentum, & deinde agens querela, repellitur exceptione. l. Nihil. ff. eod. Tamen Imper. hic decidit contrarium, scilicet quòd nihilominus filius exhæredatus, tutor impuberis, cuius nomine accepit legatū, adhuc suo proprio nomine etiam querelam inofficiosi Testamenti proponere possit. Nec obstat ratio dubitandi. Quia procedit quando quis acceptat legatum tanquã aduocatus, uel procurator ipsius, & sic nomine uoluntario, tunc enim Testamentum approbaret. secus autem quando acceptaret legatum, nomine necessario & tutorio, uel curatorio nomine, ut hic. Tunc enim non uidebatur Testamentum approbare, quia necessitas excusat. Et sic adhuc potest suo nomine querelam inofficiosi Testamenti proponere.

*Amittit*) Id est, si nomine pupilli Tutor egerit querela inofficiosi Testamenti, & uictus fuerit, nihilominus tamen potest petere legatū sibi ipsi in eodem Testamento relictum.



§. Igitur quartam.

Hodie tertiam, ut diximus. Ita autem intellige tertiam legitimam esse, si liberi sunt quatuor, uel pauciores &c. ut si testator haberet in bonis 600. aureos, omnium filiorum legitima simul est triens, id est, 200. aurei, qui postea diuiduntur pro rato, ita ut qui libet habeat 50. Et hac legitima parentes liberos suos priuare non possunt. Econtrà autem liberi parentes prohibere non possunt, de reliquis duabus partibus, pro lubito disponere.

*Iure hæreditario* (Id est, si pater fecit testamentum, tenetur filiis relinquere legitimam iure institutionis. Si uero Codicillos conderet, quocumque titulo relinquere potest. Vide glos. hic in uerbo iure legati. An autem hodie legitima alio titulo relinqui possit quam institutionis, uide quæ notantur in Aut. nouissima. C. de inofficio, testamento.

DE HÆREDVM QUALITATE  
& differentia. Tit. XIX.

**D**E institutione & substitutione heredum, supra dictum est. Hic autem titulus diuisionem hæredum complectitur. Sunt autem heredes successores in uniuersum ius defuncti, ut colligitur ex l. Hæreditas. ff. de Reg. Jur. Et sunt triplices, necessarij, sui & necessarij, & extranei. Necessarius hæres est, seruus proprius, Qui ideo necessarius hæres dicitur, quia uelit nolit, statim post mortem testatoris liber fit et heres, quæ sita tamen post mortem defuncti, uel quæ defunctus ei debebat ex naturali obligatione, retinet, nec potest à creditoribus de his molestari, si à iudice separationem impetrauerit, antequam bona hereditaria attingat. l. i. §. fin. ff. de separat.

Sui & necessarij heredes sunt, qui sunt in potestate testatoris, ut filius, filia, nepos, neptis etc. respectu patris et auis paterni. Nepos tamen & neptis, tum demum sui heredes sunt, si nemo eos gradu præcedit. Id est, si pater eorum aut decesserit, aut ab auo emancipatus fuerit. Appellantur autem sui heredes, quia sunt domestici, & uiuo patre, quodammodo domini existimantur, l. in suis. ff. de liber. & posthu. Necessarij uero dicuntur, quia ex lege 12. tab. siue uelint nolint, coguntur se immiscere. De iure prætorio tamen habent facultatem abstinendi, si hæreditas est grauata ære alieno.

Extranei heredes sunt omnes, qui non sunt in potestate testatoris. Hinc est quod fratres, sorores &c. & omnes reliqui gradu remotiores, imò et liberi respectu matris et auis materni, pro extraneis heredibus habentur. Et illæ duæ species hæredum sui & extranei habent



bus Ius deliberandi, uel si inuentarium fecerint, ante aditam hæreditatem, sine periculo, hæreditatem defuncti adeunt, hoc est, non tenentur creditoribus ultra quàm hæreditas defuncti se extendit.

*Tunc enim nepos*) De Iure ciuili emancipati liberi à successione penitus repellentur, quia erant capite diminuti. De iure autem prætorio admittebantur ad bonorum possess. cōtra tabulas, sed per edictū de coniungendis cum emancipato liberis (de quo ff. de coniungend. cum emanci. lib.) dispositum erat, quòd etiam nepotibus ex filio emancipato, ipse quoq; emancipatus admittebatur. Hodie autem hoc tenent de emancipatis: Si testator condidit testamentum, & in eo præterit emancipatum, adhuc ius uetus locum habet, uidelicet quòd emancipatus præteritus habet bonor. possessio. cōtra tabulas, de quibus supra in §. emancipatos, de exhæreda. libero. Si uerò sine testamento decesserit parens, relictis post se liberis emancipatis, & liberis in potestate sua constitutis, & hoc casu succedit emancipatus unà cum alijs filijs in potestate existentibus, ex æquo, quia differentia inter emancipatos, & eos qui sunt in potestate, hodie est sublata per Auten. cessante successione, & in corpore unde sumitur. C. de legit. hæredib. Et tenent communiter DD. Ioan. Fab. & Ange. hic Bart. l. i. in prin. ff. de coniung. cum emanci. liber. glos. in d. Auten. Cessante successione. Et sic habes quod hic §. & totus titulus ff. de coniungend. cum emanci. liber. hodie per d. Auten. Cessante successione, correcti sunt, si testamentum non est conditum. Conditio uerò testamento ius uetus firmum manet.

§. In extraneis.

Testamenti factio est duplex: Actiua, & Passiua. Actiuam is dicitur habere, qui est talis persona, quæ potest testamentum condere. Passiuam autem is dicitur habere, qui potest hæres institui in testamento.

*Et id duobus temporibus*) Quando quæritur de temporibus quæ in hæreditate requiruntur, distingue: Aut testator condidit testamentum, aut decessit intestatus. Primo casu subdistingue: Aut loquimur de necessario hærede, uel de suo hærede, & requiriturabilitas duobus temporibus, Scilicet tempore testamenti, ut possit hæres institui. Secundò, tempore mortis testatoris, ut institutio possit habere effectum. Tempus autem aditæ hæreditatis hoc casu non attenditur, quia nullum est medium ante tempus mortis testatoris, & tempus aditæ hæreditatis. Cùm in his casibus lex sine facto hominis in continenti testatore mortuo, faciat nos hæredes. Aut loquimur in extraneo hærede, & requiruntur tria tempora, uidelicet quòd institutus sit habilis tempore conditi testamenti. Secundò, tempore mortis te-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

statoris. Tertio, tempore aditæ hæreditatis, Quia lex extraneos hæredes non facit in continenti hæredes, sicuti suos & necessarios, sed tantum quando adierunt.

VERS. *Sed siue is.*

Habet hic differentiam inter suos hæredes & extraneos. Si enim suus hæres ex testamento capit hæreditatem, dicitur se immiscere bonis hæreditarijs. Si autem recusauerit, abstinere dicitur. Actus autem hæredis extranei, est adire uel repudiare.

*Prætor succurrit*) Per restitutionem in integrum usque ad annum 29. Datur enim quadriennium post tempus maioris ætatis, intra quod læsus in minore ætate potest petere restitutionem in integrum. l. Superuacua. C. de tempor. in integr. restit. &c.

§. *Sed nostra.*

Hodie habet hæres utrūque beneficium, tam ius deliberandi, quam confectionem Inuentarij, si mauult deliberare, habet à lege annum. Si uerò à Iudice petierit tempus deliberandi, arbitrabitur Iudex quantum tempus sit dandum, non tamen minus det, quàm centum dies. Et si post deliberationem adierit, tenetur omnibus creditoribus in solidum. Si uerò mauult Inuentarium facere, ultra uires hæreditarias, non tenetur, & detrahit Falcidiam à legatis. l. Scimus. §. Et si præfatam, C. de lure deliberandi.

§. *Item extraneus.*

Summa istius §. hæc est, quòd hæres extraneus potest hæreditatē adire bifariam. Primum ipso facto, id est, quòd tractet res hæreditarias tanquam suas, uendendo, locando, donando &c. Secundò, nulla uoluntate, uerbis tamen declarata, hoc est, quòd fateatur se hæredem esse. Et occurrit Imperator in hoc §. tacitæ obiectioni. Nam si hæres extraneus post aditam hæreditatem Inuentario non confecto teneatur creditoribus in solidum, potest quæri, quando hæreditas dicitur adita. Et huic quæstioni Imperator hic respondet.

DE LEGATIS. TIT. XX.

**H**VC usq; proposuit Imperator modos, quibus res nostræ sunt de lure Ciuili, partim per uniuersitatem, partim uerò sigillatim. Ideo hic inserit materiam legatorum, quæ relicta singularia siue particularia dicuntur.

Est autem Legatum donatio à defuncto relicta, ab hærede præstāda. Dico donatio, quia in multis æquiparatur donationi mortis causa. Dico, A defuncto relicta, ad differentiam donationis inter uiuos. Legatum enim non debetur, nisi testamentum morte testatoris confirmatum



firmatum fuerit. Dico ab hærede præstanda, ad differentiam donationis mortis causa, quæ plerunq; præstatur à defuncto. Differt quoque legatum à donatione mortis causa, alijs modis. Primò, quia legatum semper ab hærede præstatur, ut hic in definitione legati, Donatio autem mortis causa à quolibet. Secundò, in donatione causa mortis, obligatur donans, in legato non. Tertio, si accuso testamentum tanquam inualidum, perdo legatum, non donationem. Quarto, si-  
lius familiàs donare potest, legare non potest. Vide gloss. in §. Nam cum prudentibus, in uerbo ferè, supra de donatio. A donatione inter uiuos differt legatum, quia illa non potest reuocari, nisi ex certis causis. De quibus in l. fin. C. de Reuocand. donatio. legatum uerò potest usq; ad mortem legantis semper reuocari, ambulatoria enim est uoluntas defuncti usque ad mortem, l. iij. §. Non solum. & l. iij. ff. de adimend. legat. Differt quoq; legatum ab hæreditate, quia hæreditas est uniuersalis successio in omnibus bonis, & transit ad hæredem cum onere. Legatum uerò est singulare quiddam, & transit ad Legatarium sine aliquo onere, nisi quòd interdum detrahitur quarta per legem Falcidiam. l. Si hæreditatem. ff. Mandati, Cum fideicommissis singularibus sunt omnino adæquata legata. De fideicommissis uerò uniuersalibus, idem dic quod de hæreditate. Et hæc de definitione legati sufficiant.

Fit autem Legatum sex modis: Primò, in re propria testatoris. Secundò, in re hæredis. Tertio, in re Legatarij. Quarto, in re communis. Quintò, in re aliena. Sextò, in re quæ non est in rerum natura.

Primò, quando legatum fit in re propria Testatoris. Distingue: Aut testator est dominus rei legatæ reuocabiliter, aut irreuocabiliter. Si reuocabiliter, ut maritus in dote. Et subdistingue: Aut maritus legat dotem extraneo cuidam, & non uxori, & non ualet legatū, sup. quibus alien. licet, uel non, in princ. Aut maritus legat dotem ipsi uxori, & dic: Aut dotem ab uxore prius accepit, & ualet legatum dotis, quia plenius est legatū quàm actio de dote, facilius enim potest uxor dotem suam legatam ex testamento acquirere, quàm si intentaret Actionem de dote. Aut maritus nihil accepit in dotem ab uxore, & tunc si simpliciter & in genere legat dotem, non ualet legatum, est enim inutile, propter incertitudinem. Si uerò certam pecuniā, ut centum aureos, uel certum corpus, ut fundum Tusculanū etc. pro dote legauit, ualet legatū. §. Sed si uxori, hic tit. nost. Aut testator est dominus rei irreuocabiliter. Et subdistingue: Aut res legatā est in bonis testatoris sine onere, aut est alteri obligata, aut habet eam in alterius bonis, puta quòd aliquis ei debet. Primo casu tenetur hæres soluere legatum, siue testator sciuerit rem legatam suā esse, siue pu



tauerit alienam uel Legatarij. § Si quis rem suam. hic titulo nostro. Secundo casu, quando scilicet res legata erat pignori data, uel alteri obligata. Et distingue: Aut loquimur de rebus, quæ grauatae uel obligatae erant priusquam legarentur. Aut post legatum alicui obligatae sunt. Primo casu subdistingue: Et tunc aut testator legando sciuit rem legatam pignori datam, uel obligatam esse, & tenetur hæres eam luere, & Legatario soluere, etiamsi ipsi creditori legauerit. Aut ignorauit rem legatam pignori datam. Et subdistingue: Aut legauit coniunctæ personæ, & tenetur hæres luere. l. prædia. C. de fideicommiss. Aut legauit omnino extraneo, & non tenetur hæres luere. § Sed etsi rem. hic tit. nostro. Aut loquimur de rebus, quæ post testamentum factum alteri obligatae sunt. Et tunc aut testator uendit, aut tantum pignori dedit. Et subdistingue: Aut uendit totam rem, & si constat uendidisse animo adimendi legatario, & cessat legatum. Si uerò non animo adimendi uendit, ualet legatum, agiturque cum hærede, ut uel redimat, uel eius æstimationem præstet. Si uerò partem rei tantum uendit testator, pars non uendita indistinctè debetur legatario. Vendita uerò pars tum demum legatario cedit, si non animo adimendi uendita est. § si rem suam legauerit. hic tit. nostro. Si uerò res legata post conditum testamentum non est uendita, sed tantum pignori data, & tenetur hæres simpliciter luere, & legatario soluere. d. § Si quis rem suam. hic tit. nostro. Tertiò, quando scilicet testator habet rem legatam in bonis alterius, ut puta quia Titius debet ei centum aureos, & potest eam rem legare cui uult, etiamsi ipsi debitori, & si debitori legata fuerit purè, poterit debitor heredem conuenire, ut liberet eum per acceptilationem. Si uerò ad certum tempus res legata fuerit, hæres infra illud tempus non potest debitorem conuenire. § Si quis debitori. hic titulo nostro. Et si legatum rei propriæ est purè factum, dominium illius rei, à morte testatoris fictè transit in Legatarium. Ab adita uerò hæreditate uerè. Legatarius tamè potest legatum repudiare, si uult. l. Si tibi. § Cùm seruus. ff. de Legat. 1. Et prodest hoc scire propter quæstionem, utrum fructus rei legatae, à tempore mortis testatoris ad Legatarium uel hæredem pertineant.

Secundò, sit legatum in re hæredis. Et huc refer distinctiones, quas de re testatoris posuimus. Vbique enim conueniunt, excepta ea parte, qua diximus quid Iuris sit, si post legatum factum res fuerit uendita uel alienata. Nam post legatum factum in re hæredis, non ualet alienatio rei legatae ab hærede facta, si modò uult hæres esse ex Testamento, & Testator in ea sententia perseverauerit, etiamsi alienauerit animo adimendi legatum. Quia actus hæredis, non tollit dispositionem defuncti. l. Si mihi Sæpronius. ff. de Legat. 1. Et in legato  
rei



rei hæredis nihil refert, siue Testator sciuerit, siue ignorauerit rem hæredis esse. §. Nō solūm, cum glos. in uerbo hæredis, hic titulo nostro. Sed hoc casu dominium rei legatae non transit in Legatarium, nisi facta traditione ab hærede. Vide Ang. hic in §. Legatum. Verf. Et prædicta.

Tertiò, fit legatum in re Legatarij. Sed hoc casu distingue: Aut legatur illi res sua, quam habet sine onere, nec est grauata, & omnino non ualet legatum, quia quod prius nostrum est, amplius nostrū fieri nō potest, etiamsi post legatum factum, eam alienauerit. §. Sed si rem Legatarij, hic tit. nostro. Aut legatur ei res sua propria, pignori tamē alteri data, & ualet legatum, ita quòd hæres eam Legatario redimere tenetur. l. Si tibi, in principio. ff. de Legat. 1.

Quartò, fit legatum in re cōmuni. In quo distingue: Aut legator legando fundum communem, dixit: Lego Titio totum fundum, & ualet legatum in totum, ita quòd hæres alteram partem fundi luere tenetur, siue Legatario eius æstimationē præstare. l. Iulianus, in principio. ff. de Legat. iij. Aut dixit simpliciter: Lego fundum communem. Et subdistingue: Aut habuit fundum communem cum extraneo, & ualet legatum in ea parte tantūm, quæ testatoris est, etiamsi post legatum testator uiuens, alteram partem quoq; redemit. l. v. §. fina. Cum ibi notat. ff. de Legat. 1. Aut habuit fundum communem cum hærede, & tunc aut dixit: Lego meum fundum, & uidetur tantūm suum ius, aut suam personam legasse, aut simpliciter dixit: Lego fundum communem, & debetur Legatario totus fundus. l. Cum filius. §. Dominus. ff. de legat. ij. Vide Bart. in l. v. §. fin. ff. de legat. 1.

Quintò, fit legatum, quando quæritur, an legatum rei alienæ ualet, nec ne. Et distingue: Aut testator sciuit rem legatam esse alienā, aut ignorauit, primo casu distingue: Aut res legata ante mortem Testatoris non peruenit ad Legatarium. Et tunc distingue: Aut dominus rei legatae post mortem Testatoris uult uendere illam rem, & tenetur hæres illam rem redimere, & Legatario præstare. Aut dominus non uult uendere, & tenetur hæres iustam æstimationem Legatario soluere. l. Non dubium. §. fin. ff. de Legat. iij. Aut peruenit ad eū ex causa lucratiua, puta donationis, uel legati, & cessat illud legatū, quia duæ causæ lucratiuæ circa eandem rem, & eundem hominem concurrere non possunt, ut hic §. si res aliena. Aut peruenit ad eum ex causa onerosa, ut emptionis, & tunc aut emit totam rem, aut tantūm proprietatem, deducto usufructu. Primo casu potest legatarius agere contra hæredem, actione ex Testamento, qua consequitur preciū rei legatae. d. §. si res aliena. Secundo casu, quando nudam proprietatem emit, distingue: Aut usufructus peruenit postea quoq; ad legatarium.



rium ex causa onerosa, ut quia emit ab usufructuario, & iterum tenetur ei hæres ad precium totius rei. Aut usufructus peruenit ad eum ex causa lucratiua, puta morte, uel capitis diminutione usufructuarij, & tenetur hæres legatario tantum ad precium proprietatis, deducto usufructu. § si cui fundus, hic titulo nostro. Secundo casu, quando ignorauit alienam rem esse, & dubitatur an legatum ualeat, & distinguendum est: Aut legauit omnino extraneo, & non ualeat legatum, ut hic § quod autem diximus. Aut legauit coniuncte per longē, ut uxori, fratri, uel simili, cui alioqui reliquisset legatum, & ualeat. l. cum rem alienam. C. de legat. Probatio autē hoc casu incumbit legatario, uidelicet, quod probat testatorem sciuisse rem alienam esse. Est enim legatarius actor, & hæres reus. Actore autem non probante, reus etsi nihil omnino præstiterit, absoluitur, ut hic in uers. Et uerius. l. Qui accusare. C. de edendo.

*Cui probatio incumbat rem alienam esse nec sciuisse testatorem.*

Sexto, quando quæritur utrum legatū rei quæ non est in rerum natura, ualeat nec ne, distingue: Aut non est in rerum natura, nec speratur futura, ut homo mortuus, uel chymera, & non ualeat legatum. § sed si talis, hic titulo nostro. Aut non est in rerum natura, speratur tamen futura, ut fructus futuri fœtus pecorum, & ualeat legatum. § ea quoque res, hic titulo nostro. Et nota in dubio, quando scilicet non certō constat an res legata extet, uel non, heredē teneri de prosequenda & restituenda re legata, & si prosecutio requirit magnos sumptus, pertinebūt illi sumptus ad heredem. Si uerō res legata non longē abfuerit, satis est heredē soluere in eo loco, ubi est legatum. l. cum seruus, cum ibi nota. ff. de legat. l. Et sic habes ex prædictis quæ res possint legari, nempe res priuatorum, quæ dominio nostro subijci possunt. Poteris itaque facile concludere, quæ res non possint legari. Quando enim constat quod legari possit, statim concluditur quod legari non possit. Contrariorum enim eadem est disciplina. l. i. ff. de his qui sunt sui uel alien. Juris. Infert ergo quod res quæ non sunt in nostro commercio, ut sacræ, sanctæ, religiosæ, liber homo, & similes, ut res publicæ, uniuersitatis, communes, legari non possunt, licet sint in rerum natura. § sed si talis, hic tit. nostro. Omnes autem res quæ legari possunt, legantur aut purè, aut sub conditione, aut in diem, aut ex die. De quibus suo loco dicemus.

*Quot modis legantur res.*

Tertia diuisio, quod legatū aut ex testamento aut ab intestato. Ex testamento legatur duobus modis. Aut in testamentis, aut in Codicillis. In Testamentis requiruntur septē testes, In Codicillis quinque. l. 2. § Et si quid tale, cum gl. in uerbo, legatorum, C. Com mu. de



mu. de legat. Ab intestato olim legari non poterat. § præterea, in fin. de fideicom. hæred. Quia autem fideicommissa particularia olim ab intestato fieri poterat. d. § Præterea, & legata hodie æquiparata sunt illis fideicommissis. § sed non usque, hic titulo nostro. Sequitur quod etiam legata ab intestato relinqui possint. Ita colligit Ioan. de Pla. in d. § præterea.

Potest autem legatum relinquere quilibet qui habet testamenti factionem actiuam. l. 2. ff. de legat. 1. Et legari potest illis qui testamenti factionem passiuam habent. Vide § legari, hic titulo nostro, cum glos. in uerbo, Testamenti, quæ explicat, qui non habent testamenti factionem passiuam. Et potest legatum fieri ante hæredis institutionem, inter medias hæredum institutiones, & quocunq; tempore testamenti, modò tamen hæredes instituuntur. Quia ex hæredis institutione testamentum uires capit. § Ante hæredis, hic titulo nostro. Et legatur in Testamentis & Codicillis. l. 2. § Et si quid tale, cum glo. in uerbo, legatorum, C. Communia de legat.

Qui legare potest.

**CAUSA** efficiens legati, est is qui habet testamenti factionem actiuam. l. 2. ff. de legat. 1.

**CAUSA** materialis est, res quæ nostro dominio subijci potest, de qua supra in prima diuisione.

**CAUSA** finalis est, ut transferatur dominium rei legatae in legatarium.

**EFFECTVS** est parere tres actiones, rei uendicationem, actionem hypothecariam, & actionem personalem ex testamento, & quoque exceptionem. Sed circa istas actiones distingue: Aut legata est res testatoris, aut aliena. Si res testatoris legata est purè, distingue: Aut legauit debitori suo liberationem, & habet legatarius exceptionem contra hæredem petentem debitum, aut legauit alij qui ei nihil debebat. & dic: Aut est legatum generis, siue quantitatis, ut si legaret equum in genere, uel decem modios frumenti &c. Et dantur duæ actiones tantum, hypothecaria, & actio personalis ex Testamento, non autem rei uendicatio, quia certa res hoc casu per legatarium uendicari non potest. Aut legauit aliquid in specie, quod est indiuiduum, ut lego Titio illud uas uini, uel Stichum, si modò tantum unus Stichus est, secus si plures sunt, uel fundum Tusculanum, & dantur tres actiones, Rei uendicatio, Hypothecaria, & Actio personalis.

Rei uendicatio ideo datur, quia statim post mortem testatoris, dominium rei legatae transit in legatarium fictè, post aditam hæreditatem uerè.

Hypothecaria uerò ideo datur, quia omnes res defuncti sunt legatario



gatario hypothecatae, quàm diu legatum solutum non fuerit.

Personalis autem actio ex Testamento ideo datur contra hæredē, quia hæres creditoribus & legatarijs obligatus est ex quasi cōtractu. §. Hæres quoq; infrà de obliga. quæ ex quasi contrac. nasc. Illæ tamē tres actiones non dantur simul legatario, sed unam illarum elegit. l. cum filius. §. uarijs. ff. de legat. 2. Aut res aliena hæredis siue legatarij legata est, & non datur legatario rei uendicatio, quia testator nō erat dominus, quare etiam dominium neq; fictè, neq; uerè in legatarium transferre potuit. Datur igitur uel hypothecaria, uel actio personalis ex Testamento. Et hæ actiones intentandæ sunt post aditam hæreditatem, non autem antè, & per eas legatarius consequitur ab hærede rem legatam. Hæres tamen istis actionibus conuentus à legatario liberari potest multis modis.

Primò, si res legata sine facto hæredis periret, ut si domus legata si ne culpa hæredis combureretur, uel seruus legatus decederet. §. si res legata, hic titulo nostro.

Secundò, liberatur per transformationem rei legatae. l. Lana. ff. de legat. 3. ut si lana legata esset, uestis quæ uiuente testatore inde fit, nō debetur, quia uestis nō potuit reduci ad rudem materiam, & lana desinit esse lana, postquam uestis est inde facta. Massa tamen auri & argenti legata, & postea scyphi ex ea facti, exigere possunt, quia aurum non desinit esse aurum, sed potest reduci ad rudem materiam. d. l. lana. cum ibi nota. ff. de lega. 3.

Tertiò liberatur hæres, si legatarius rem alioqui ex causa lucratiua nactus esset. §. si res aliena, hic titulo nostro.

Diximus suprà quemlibet legare posse, qui habet Testamenti factionem actiuam. Ita quoq; cuiuslibet legari potest qui habet Testamenti factionem passiuam. Qui autem sint illi, uide in §. legari, cum glos. in uerbo, Testamenti, hic titulo nostro. Et potest legatum fieri ante hæredis institutionem, inter medias hæredum institutiones, & quocūq; tempore Testamenti, modò tamen hæres instituat. Quibus modis legatum fiat caducum, Vide l. unicam, §. Et cum triplici. C. de cad. tollend. Et quibus modis adimantur legata, uidebimus infrà titulo proximo.

VERS. Sed quod deest.

Id est, Id quod ueteri iure erat in fideicommissis, & deficiebat in legatis, hodie additum est legatis, & econtrà, quod erat in legatis, & deficiebat in fideicommissis, hodie quoq; accessit ad fideicommissa. Defuit autem in fideicommissis, quòd fideicommissarius post mortem testatoris, non habebat tres actiones, sicuti legatarius. In legatis uerò defuit respectu fideicommissorum. Primò, quòd in fideicommissis



missis poterat relinqui alicui post mortē hæredis, siue legatarij, in legatis autem non. § post mortem, hic titulo nostro. Secundo, quod fideicommissa fiebant ab intestato, legata uerò nō fiebant nisi in testamento. § præterea, infra de fideicommiss, hæreditati. Tertiō fideicommissarius singularis poterat rogari ut rem relictam restitueret alteri, legatarius autem non item, ut infra de singularibus rebus per fideicommissum relictis &c. in prin. Hodie idem est ius circa omnia in legatis & fideicommissis singularibus.

§ Non solum.

*Tale legatum*) Adeo quod etiam pœna non debetur, quæ est adiecta tali legato, ut hoc modo: Hæres meus det post mortem meam Titio templum, et si non dederit, det ei nomine pœnæ mille aureos. hoc casu neutrum legatum ualet.

*Concurrere non posse*) Id est, simul, diuersis tamen temporibus concurrere possunt, de quo est casus in l. existimo, & DD. ibi, ff. de uerbo obligatio.

§ Si res aliena.

*Duas lucratiuas causas*) Causa lucratiua dicitur, quādo aliquid gratis, remuneratione, uel mutua præstatione nobis obuenit, ut ex donatione, legato, fideicommissio singulari &c. Causa onerosa uerò appellat, cum aliquid ita accipimus, ut uicissim alia re quadam acceptum rependamus, ut est emptio, item permutatio, uide Bar. in l. ita stipulatus, in ultima parte. uers. & exit solutio. ff. de uerbo obligatio.

*Agere potest*) Scilicet ad rem ipsam, quia res & precium rei non sunt eadem, sed diuersa. l. fundum Cornelianum. in prin. ff. de nouatio. Ergo si legatarius precium siue æstimationem rei in duobus testamentis legate, ex uno testamento consecutus est, nihilominus tamen potest ipsam rem ex altero testamento consequi. Secus uerò si rem ipsam ex primo testamento consecutus fuisset, tum enim non posset agere ad precium ipsius rei, cuius factus erat dominus ex causa lucratiua.

§ Si eadem res.

*Viuo testatore*) Dicit notanter, si uiuo testatore decesserit collegatarius, quia si mortuo testatore alter decesserit, pertineret legatum ad heredem eius, iure transmissiuo. l. Vnica. § cū igitur, cum gl. in uerbo, cedere. C. de caducis tollend. Licet regula sit, Quod bonum argumentum sit à contractibus ad ultimas uoluntates, & ecō



trà. hæc tamen regula fallit in casu nostro. Nam eadem res duobus legata in ultimis uoluntatibus, inter eos diuiditur, nec prior excludit posteriorem, Secus est in contractibus, ubi præuentio locum habet. Si enim eadem res uendita est duobus, is acquirit dominium, cui primò est tradita, nec alter emptor potest eam uendicare, licet prior contraxerit. l. quoties duobus. C. de rei uendica.

§ Si cui fundus.

Hic est casus istius §. Quidam testator legauit cuidam fundum alienum sciens, cuius proprietatē deducto usufructu legatarius uiuo testatore emit, Usufructus autem postea quoque ex causa lucratiua, ut morte uel capitis diminutione usufructuarij, peruenit ad legatarium, ita quòd uiuo testatore plenum dominium istius fundi legatarius nactus est. Iam queritur, utrum legatarius mortuo testatore proprietatem & usumfructū simul possit ab hærede petere actione ex testamento? Et deciditur, quòd estimatio proprietatis tantum debetur, quòd usufructus peruenit ad eū ex causa lucratiua.

§ Si quis debitori.

*Si nihil plus*) Ut si mihi deberet 100. in diem puta, ut post quinquenniū soluat, & legauit mihi illud idem debitū purè, ualet legatum, quia plus est in legato quàm in debito. Creditor enim legatarius accepit ex testamento illos 100. statim, quos alioqui sine legato post quinquenniū tantum accepisset, & interim caruisset illo lucro, quod consequitur ex illis 100. purè solutis. Illud ergo lucrum quod debitor cōsequitur ex pecunia in diem debita, et purè soluta, & propter legatum, commodum repræsentationis dicitur. Hinc est quòd dicimus, plus dat, qui citò uel ante tempus dat. arg. § plus autem. in uers. qua enim ratione. infra de actio.

VERS. Quod si uiuo testatore.

Potest tamen quæri, quid si debitor in diem uel sub cōditione legauit suo creditori illud debitū purè, & priusquàm testator decederet conditio extitit, siue dies uenit, ita quòd illud debitū purè debeat, utrum etiam tale legatum adhuc ualeat, & uideat quòd non, quia legatū in eum casum peruenit, à quo non potuit incipere. Dies enim siue conditio extitit, ita quia ultra non in diem, nec sub conditione debet, & in legato nō plus est quàm in debito, & hoc modo cessat cōmodum repræsentationis. Tamen Imperator hic decidit contrariū, uidelicet, quòd ualeat tale legatū, & est ratio, quia legatum ab initio ualet, & potuit habere locū commodum



dum repræsentationis, id est, potuit fieri quòd debitor ante diem uel conditionis euentum moreretur. Et satis est hoc casu, quòd creditor quoq; habeat actionem ex testamento.

*Non tenetur hæres*) Id est, ad æstimationem manumissi, quia seruus per manumissionem factus est liber, & liberi hominis nulla est æstimatio. l. 2. §. Cum in eadem naue, ff. ad legem Rhodiam, de iactu.

§. Si quis ancillas.

*Si ancilla cum natis legata fuerit*) Duo sunt legata, ut hic in gloss. in uerbo, cedunt. Similiter si serui ordinarij cum uicarijs legati fuerint, quoque duo sunt legata per se. Quare si ancilla, uel serui ordinarij defecerint, nati ex ancilla & serui uicarij nihilominus debentur. Secus tamen esset, si seruus cum peculio, & fundus cum instrumentis legarentur, hoc enim casu seruo extincto, & fundo alienato, peculium serui & instrumenta fundi non debentur. Et est ratio, quia hoc posteriori casu peculium & instrumenta accessiones sunt legati principalis, serui scilicet & fundi. Deficiente autem principali legato, deficit quoque accessio. Sed illa ratio cessat in priori casu, ut in ancilla & c. quia nati ex ancilla non habentur pro accessione propter dignitatem hominis. l. iustissime, in princ. ff. de ædili. edicto. Sicuti etiam alioqui dicitur, quòd partus ancillæ in fructu non est, quia absurdum esset hominem in fructu uel accessione esse, cum omnes fructus gratia hominis creati sint. §. partus. supra de rerum diuisio.

§. Si peculium.

Seruus, id est, cuius peculium legatum est. Hic est casus istius §. in uers. quod si post mortem testatoris. Quidam legauit cuidam peculium serui sui, & decessit, post mortem testatoris, ante aditam hæreditatem, auctum est peculium legatum. Quæritur cui accedat hoc augmentum, an legatario, uel hæredi, & distingue: Aut peculium est legatum ipsi seruo in testamento manumisso, & accedit ei omne quod ante aditam hæreditatem adiectum est, quia eius legati dies ab adita hæreditate, & non antè cedit. Cum etiam libertatem non prius consequatur quàm hæreditas sit adita. Aut peculium legatum est extraneo, & non accedit illi augmentum ante aditam hæreditatem, post mortem testatoris acquisitum, quod eius legati dies à tempore mortis testatoris cedit, & eo tempore etiam debetur legatum extraneo. Quare si quid post mortem testatoris accessit, hæredi & non legatario accessit.

*Cedere diem*) Legati diem cedere, significat diem adesse, quo incipit legatum deberi. l. cedere diem. ff. de uerbo. signifi. Dicimus autem



diem in legatis cedere tribus modis. Primò ad transmissionem ad heredem legatarij. Secundò quo ad obligationem. Tertiò quo ad dominij transitionem, siue peritionem.

Primo casu, quando scilicet quaeritur de cessione diei, quo ad transmissionem, & distingue: Aut legatum est purũ, Aut in diem, Aut sub conditione. Si est purum, siue in diem certum, & cedit dies legati à tempore mortis testatoris, id est, si legatarius etiam post mortem testatoris fuerit mortuus, ante euentum tamen illius diei incepti nihil transmittit ad suum hæredem. Si uerò est conditionale, ut hoc modo: lego Titio 100 aureos, si factus fuerit consul &c. & ante euentum conditionis nihil transmittit ad hæredes, Cũm dies illius legati ante conditionis euentum non cedit.

Secundo casu, quando scilicet quaeritur de cessione diei, quo ad obligationem, id est, quando hæres dicatur legatario obligatus, & responde, ante aditam hæreditatem diem cedere non posse, quia tũ nulla extat persona, quæ possit circumueniri. Illa enim quasi obligatio hæredis tum demum incipit, postquam hæreditatem adiuit. § hæres, infra de obligationib. quæ ex qua. contract. nasc. Itaque post aditam hæreditatem cedit dies legati quo ad obligationem. Distingue in hoc casu: Aut legatum est purum, & statim obligatur hæres post aditam hæreditatem regulariter. Aut legatum est conditionale, uel in diem certum, & cedit dies legati adueniente conditione uel die.

Tertio casu, quando quaeritur de cessione diei, quo ad petitionem, siue dominij translationem, & distingue: Aut legatum est purum, siue in diem certum, & cedit dies à tempore mortis testatoris factè, ab adita uerò, uerè, id est, quòd tum demum legatarius rem legatam, tanquam suam petere potest. Si uerò in diem, uel sub conditione relictum est, non cedit dies legati, quo ad dominij translationem, nisi adueniente conditione uel die. Vide Bart. in l. Vnica. § Et cum lex. C. de cadu. tollend.

*Rebus peculiaribus*) Vtputa si in peculio fuissent pecora, foetus illorum quoque cedit extraneo legatario, quia contigit ex rebus peculiaribus. Secus autem si ex donatione aliquid peculio accesserit, post mortem testatoris ante aditam hæreditatem.

§. *Si generaliter seruus.*

Vt si testator haberet plures seruos, & legaret Titio seruum in genere, non exprimendo nomen, eligit legatarius, ita ut eligat nec optimum,



num, nec pessimum, sed mediocre. Secus est in contractibus, Si enim res in genere promittitur, electio promissoris est, non stipulatoris. Nam imputet sibi stipulator cur uerba expressius non dixerit, iuxta l. Quicquid astringendæ. ff. de uerbo. obliga. Nota ex hoc textu Iurisconsultis genus esse, quod Dialecticis est species, Quando enim quis legat alicui seruum uel hominem, legatum generis dicitur, ut in hoc legato, quia non constat de quo seruo uel homine testator senserit, habet legatarius electionem, ita tamen eligere debet, ut nec optimum, nec pessimum, sed mediocre eligat. l. legato generaliter. ff. de legat. 1. Si generaliter, id est, in genere subalterno uel infimo, tum in superioribus non ualet legatum, ut si quis legaret animal, corpus, substantiam, uel eius quiddam, legatum inutile esset, propter generalitatem, hæres enim præstando muscam liberaretur. Vide glos. in uerbo electio. §. si generaliter, hic tit. nostro.

§. Incertis autem personis.

*Repeti non posse*) Id est, licet ciuiler hæres non esset, tamen naturaliter debeat, & licet obligatio naturalis nõ pariat actionem, ad petendam scilicet rem, si tamen res illa fuerit soluta, repeti non potest. Condicio constituitur per si, ut cum dico: lego Titio 100. si filiam suam filio meo dederit in uxorem. Modus autem constituitur per ut, ut cum dico: lego tibi 100: ut literis incumbas. Causa constituitur per quia, ut cum dico: quia filium meum instituisti, lego tibi decem. Demonstratio uerò fit ostendendo aliquid, quod est, uel non est, ut hoc modo: Stichum seruum meum uernam do, lego. Condicio autem & modus si defecerint, uitiantur legata regulariter, falsa enim demonstratio & causa non nocent.

§. An seruo hæredis.

*Pure inutiliter*) Id est, propter confusionem hæreditatis & legati, quia hæreditas & legatum concurrerent circa eandem personam, ut hæres & legatarius esset idem in effectu, domino enim acquiritur quicquid seruus acquirit. Si enim hoc casu dominus hæres, & seruus eius legatarius esset, is dominus sibi ipsi solueret legatum, quod deberetur seruo suo. quod esset absurdum.

*Quia diutius testator*) Propter regulam Catonianam, quæ habet, legatum quod ab initio non ualuit, ex post facto non potest conualescere.

VERS. Sub conditione uerò.

Ut hoc modo: Si seruus hæredis mei eo tempore quo incipit deheri legatum, manumissus fuerit, uel alia ratione de potestate hæredis exierit, det ei hæres meus 100, ualet legatum tanquam condictionale, in conditionis euentum.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

*Ex diuerso*) Quæritur tamen, quòd si seruus fuerit heres institutus, & dominus eius in eo testamento legatarius, an ualeat legatum, & uideatur quòd non, quòd hæreditas & legatum uidentur concurrere circa eundem hominem. Tamen deceditur contrarium, quòd post mortem testatoris domino serui non statim debetur nomine serui sui hæredis instituti, sicut superiori casu, legatū, Cum requiratur, ut seruus ipse iussu domini eam adeat, & ante actualem aditionem domino nihil debetur de hæreditate. Quare hoc legatum potest ualere, quia fieri potest, quòd ante aditam hæreditatem seruus alteri uendatur, uel manumittatur, ita quòd priori domino legatario, hæreditas per illum seruum non debeatur. Sed hæreditas uel à seruo manumisso, uel ab alio, in cuius potestate fuerit, peti potest. Si uerò seruus in eadem persona manserit, euanescit legatum domino factum, ne scilicet hæreditas & legatum concurrât circa unam & eandem personam.

*Quibus casibus*) Scilicet si seruus hæres institutus ante aditam hæreditatem iussu prioris domini manumissus, uel alteri uenditus esset, & sic è potestate domini prioris, qui legatarius erat, exierit.

§. *Pœnæ nomine.*

*Quæ impossibilia*) Vt si quis ita legaret: Si Stichus Sempronium interfecerit, habebit ex testamento meo 100. aureos. Si uerò non interfecerit, nihil habebit.

DE ADEMPTIONE LEGATORUM.

Tit. XXI.



ICVTI nemo cogitur in Testamento alicui quid legare, sic quoq; potest cogi in Testamento, uel Codicillis legata non reuocare, siue adimere. Cum Testanti uoluntates usq; ad mortem sint ambulatoriæ & mutabiles. l. 4. ff. de adimend. legat. Cum ergo proximo titulo de constituendis legatis dictum sit, merito quoq; subiungitur hic, quibus modis illa adimantur.

Est itaque legatorum ademptio nihil aliud, quàm relictorum per contrariam uoluntatem propter pœnitentiam Testatoris, pura siue conditionalis reuocatio. Reuocatio genus est istius definitionis. Dico per contrariam uoluntatem, quia requiritur quòd cōtraria mens testatoris deprehendatur, siue fiat contrarijs uerbis, siue præsumpta uoluntate, de quibus infra. Dico propter pœnitentiam, quia per utrumq; uidetur testator rem legatam adimere, Si tamen alienauerit, quando constat quòd eum legati non pœnituerit, ualet legatum, nõ obstante



obstante alienatione. § si rem suam legauerit, supra de legat. Dico pura siue conditionalis, quia ademptio potest fieri purè & sub conditione. l. Datum, C. de legat. Et si sub conditione sit existente conditione, ademptum est legatum.

Fit autem ademptio illa tribus modis. Primò, in eodem Testamēto, quo legatum relictum est. Secundò, in alio Testamento. Tertiò, nuda uoluntate. Et primo casu distingue: Aut testator expressis uerbis adimit legatum in eodem Testamento, & uidetur nunquam fuisse relictum. l. si ita sit scriptum. ff. de legat. 1. Aut deleuit siue cancellauit legatum, aut conscidit Testamentum. Si deleuit siue cancellauit Testamentum, distingue: Aut cancellauit ante consummationem Testamenti, & ademptum est legatum, siue consultò, siue incòsultò deleuerit. l. 1. § sed si leg. ff. de ijs quæ in test. del. Aut post consummationem Testamenti deleuit, & subdistingue: Aut deleuit consultò, et debetur quidem legatum, hæres tamen habet exceptionem contra legatarium potentem. Aut incòsultò deleuit, & potest nihilominus petere legatum legatarius. l. 1. § sed consultò, & ibi Bart. ff. de ijs quæ in testa. delent. Si uerò legatum in Testamēto est discissum, distingue: Aut Testator ipse conscidit, & non potest legatarius agere. Aut alius inuito testatore conscidit, & potest agere legatarius. d. § sed consultò. His tamen casibus legatario incumbit onus, ut probet testatorem incòsultò cancellasse, uel legatum eo inuito esse conscissum. Et uerius, supra de legat. Secundò, quando scilicet legatum adimitur in alio Testamento, distingue: Aut adimitur in Testamento perfecto, & ademptum uidetur ipso iure sine facto hominis. l. Si iure. ff. de legat. 3. Aut fit ademptio in Testamento imperfecto, uel Codicillis, secundum quosdam, & tum debetur quidem legatum, adhuc tamen hæres ipso iure potest se defendere contra legatarium petentem per exceptionem, secundum glos. in d. l. Datum, C. de legat. Tertio casu, quando scilicet legatum adimitur nuda uoluntate, distingue: Aut expressè constat de nuda uoluntate testatoris, ut si rem legatam alteri donauerit, animo adimendi, & legatum est ademptum. l. Rem legatam. ff. de adimend. legat. Aut non expressè constat de eius uoluntate, sed tantum præsumptione colligitur, & tum aut præsumptio sumitur ex grauissimis & capitalibus inimicitijs inter testatorem & legatarium, & uidetur ademptum legatum non ipso iure, sed ope exceptionis, si in illis capitalibus inimicitijs usque ad mortem Testatoris perseuerauerint. Si uerò redierint in gratiam, & poenituerit Testatorem offensæ, legatum relictū reintegratur. l. 4. ff. de adimend. legat. Et in summa, si Testamentum est inualidum, aut initio, uel ex post facto inualidatur quibuscunq; modis, regulariter omnia legata sunt adempta.



Excepto eo casu, quando infirmatur Testamentū, ut propterea quòd liberi, uel parentes sine iusta causa sunt exhæredati. Tum enim nihilominus debentur legata. §. Si uerò contigerit, in Autentico, ut cūm de appell. cog. collat. §. Et potest adimi totum legatum, etiam si plus fuerit ademptum quàm legatum, uel etiam pars rei legatæ adimi potest, ut reliqua tantūm debeatur. Exemplum: Si quis centum legauerit, potest quinquaginta adimere, nulli autem potest legatum adimi, nisi ei cui relictum est. Quare si filio uel seruo res fuerit legata, & patri uel domino adempta, ademptio nō ualet. l. legatum nulli. ff. de adimend. legat. Ita quoq; adimere nemo potest, nisi is qui reliquit. l. generaliter. §. Hoc tamen. C. de reuocand. donat. Quare ademptio hæredis nihil ualeret.

**EFFECTVS** Ademptionis est, quòd res legata simpliciter adempta remanet penes hæredem, cum omni onere suo. l. Si adimendo, & ibi Bart. ff. de adimend. legat. Fit autem trāslatio legati quatuor modis.

Primò, à persona in personam, ut cūm dico: cētum florenos quos Titio legauī, lego Seio.

Secundò, ab eo qui dare iussus est transfertur, ut alius det.

Tertiò, fit translatio de re ad rem, ut cūm una res pro alia legatur, ut pro fundo, decem floreni.

Quartò, de tempore præsentis, in conditionis alicuius euentum, ut cūm id quod purè datum est, transfertur sub conditione. l. Translatio. ff. de adim. legat.

DE LEGE FALCIDIA. TIT. XXII.

**P**ROXIMO Titulo dictum est, quibus modis legata alicui in totum adimantur, Hic autem habes modum per quem adimitur tantūm pro parte. Fit autem hic modus per legem Falcidiam, qua scilicet contra ius uetus dispositum est, ne quis ultra dodrantem, id est, nouem uncias, legaret. Et si totam hæreditatem legatis testator absumeret, habet hæres facultatem per hanc legem Falcidiam, quartam partem à legatis defalcandi, uel abscindendi. Habet itaque hæc sectio uel defalcatio locum, quando testator omnino nihil reliquit hæredi, & potest integram quartam à legatis defalcare. Si uerò hæredi aliquid relictum fuerit, non tamen quarta, defalcatur per legem Falcidiam, quod deest quartæ. Exemplum: Ut si quis habeat in bonis 400. & de ijs legaret 350. poterit hæres scriptus defalcare octoginta, ut quartam suam habeat integram. Datur autem hæc defalcatio hæredi instituto, hæredi hæredis



redis instituti, & quoque hæredi ab intestato, quod fit in præsentia  
 quinque testium. l. ultima. C. quando dies legati cedit. Et habet nomē  
 hæc lex à Falcidio autore, uel est metaphora sumpta à falce, sicuti e-  
 nim falce foenum, ita quoque lex Falcidia legata refecat, ut hic in glos.  
 1. Habet autem hæc l. locum, Primò, in legatis, ut hic. Secundò, in fi-  
 deicommissis particularibus. l. 2. C. ad l. falcid. Tertiò, in mortis cau-  
 sa donatione. l. Si quis quadragintorum. §. Si enim. C. eod. Quartò,  
 in donatione inter uiuos, quæ morte confirmatur, ut est donatio in-  
 ter uirum & uxorem. l. in donationibus. C. eod. Et priusquam datur  
 hoc beneficium, deducitur omne æs alienum, etiam id quod testator  
 hæredi debebat, modò hæres fecerit inuentarium, & testator nõ pro-  
 hibuerit, licet per confusionem utriusque bonorum factum sit indebi-  
 tum. Secundò, deducitur funeris impensa. Tertiò, precia seruorum  
 manumissorum. Quartò, id quod ad inuentarij confectionē expres-  
 sum est. l. Scimus. §. In computatione. C. de iure deliber.

Sunt tamen quædam legata, à quibus nihil omnino potest defalca-  
 re hæres, utcumque tota hæreditas sit absumpta legatis, ut primò, à le-  
 gatis in militis Testamēto relictis, qui testatur in expeditione. l. in Te-  
 stamento. C. eod. Secundò, si legantur instrumenta. Tertiò, si dos le-  
 gatur uxori, quia suam rem recipere uidetur. l. si prædiorum. C. eo.  
 Quartò, si libertates legatae fuerint secundum glos. in §. Non licebit, in  
 Autentico de trien. & semiss. col. 3. Quintò, in legitima filijs relicta. l.  
 Scimus. §. sancimus. la. 1. C. de inoffi. Testa. Sextò, in legatis relictis  
 ad pias causas, ut pro redemptione captiuorum, & si autem hæredes,  
 in Autentico de trien. & semiss. Alios casus, in quibus lex falcidia ces-  
 sat, uide in glos. fin. hic titulo nostro.

§. *Quantitas autem.*

*Mortis tempore*) Id est, tantum consideratur quid testator tempo-  
 re mortis suæ habuerit, & ab illo potest detrahi falcidia. Si autem post  
 mortem testatoris ante aditam hæreditatem aliquid eius bonis acces-  
 serit, illa accessio non reputatur ad bona hæreditaria, nec ab ea po-  
 test detrahi falcidia. Sed ultra quartam quæ defalcatur, illa accessio  
 quoque hæredibus cedit, in qua legatarij nihil iuris habent.

VERS. *Ex diuerso.*

Is qui habebat centum in bonis, & post mortem eius ante aditam  
 hæreditatem, quarta pars, id est, 25. casu ab hæreditate defecerint, u-  
 trum hæres institutus adhuc in reliquo possit detrahere quartam, &  
 respondetur hic simpliciter, quod non, quia hic consideratur tempus  
 mortis testatoris sui.

*Decreuerint bona*) Id est, 25. aurei perierint solida legata, id est,  
 nec potest detrahi quarta à septuaginta quinque aureis restantibus.

Et



Et sic dico breuiter, quicquid post mortē testatoris ante aditam hæreditatem, hoc casu hæreditati uel accedit uel decedit, non ad legatarium spectat, quantum attinet ad quartam.

VERS. *Nec ea res.*

Occurrit tacitæ obiectioni, quæ res efficit, id est, licet de rigore iuris hæres institutus hoc casu, quando scilicet quarta deficit in eo quod superest, nihil possit defalcare, tamē potest legatariū cogere, si modō uult legata ex testamento legatorū petere, ut aliquam portionē ex æquitate hæredi remittat. Si enim nihil amitteret legatarius, hæres non adiret hæreditatem, qua non adita, testamentum non ualere, nec etiam legata deberentur.

§. *Finalis.*

Hic est casus istius §. Si testator 400. florenos habet in bonis, & legat 400. detrahit hæres quartam partem, hoc est, centū, 25. von einem jeglichen hundert. Si uerò 300. & 50. detrahit hæres ab illo legato tantum 50. & sic octauam partem hæreditatis, quia alteram octauam partem, hoc est, 50. prius habuit ex institutione, & ita tantum detrahit, ut suam legitimam suppleat. Si uerò quingentos legauerit, cum habeat in bonis tantum 400. Primū detrahit hæres quintam partem à legatis, hoc est, centum aureos, in quibus scilicet legata excedebant hæreditatem post illam deductionem, à reliquis trecentis, nihilominus detrahit quartam partem, puta 75.

DE FIDEICOMMISSARIIS HAEREDITATIBUS. Tit. XXIII.

**S**UPERIORIBVS Titulis hoc tantum actum est, ut intelligatur quibus modis iure directo ex Testamento res nostræ fiant. Hic autē audietur ratio, qua per mediam personam, inter testatorem scilicet & eum, ad quem hæreditas peruenit, rerum dominia consequantur, per fideicommissum scilicet.

Est autem fideicommissum, institutio hæredis directi, cum hoc modo, ut a deat hæreditatē, & eam restituat tertio cuidam, à testatore nominato, retenta quarta omnium bonorum, si libet. Dico hæredis directi, ut cum hoc modo, quia quædam personæ sunt, quæ in Testamento non possunt hæredes institui iure directo, nec etiam aliquid eis legari potest, quales sunt spurij. Dispositum ergo est, ut instituat alius hæres, qui potest institui, & postea illi fideicommissario restituat, ut hic in prin. tit. nost. Dico, retenta quarta, quia sicuti per l. falcidiam potest hæres retinere quartam, si ultra dodrantem legatum est, sic quoque per Senatuscons. Trebell. introductum



productum est, hæredem directum posse retinere quartam hæreditatis. Est autem duplex, Vniuersale, & Singulare.

Singulare est, quando hæredis fidei committitur singulas res, hoc est, domum, fundum, alicui restituere, & hoc est adæquatum legis.

Vniuersale uerò est, quando hæres instituitur, & fidei eius committitur, ut totam uel partem hereditatis tertio alicui restituat, qui fideicommissarius appellatur, & potest utrumq; tacitè uel expressè fieri. Expressè, ut cum testator dicit: Titius hæres meus esto, & rogo ut quamprimum adeas hæreditatem, eamq; restituas Seio. Tacitè uerò fit hoc modo, si pater filium & filiam simul instituerit, & adiecerit: Mando tibi filia, ne condas testamentum, si sine liberis decesseris. Per hoc mandatum uidetur fidei filia committere, ut hæreditatem fratri restituat. l. qui filium. ff. ad Senatusconsultum Trebell.

**C A V S A** impulsua fideicommissi hæc est, quòd cum essent quedam personæ, ut diximus, quæ directo iure hæredes institui non poterant, introductum est, ut instituantur obliquè, & sic per fideicommissum.

**E F F E C T V S** est, restitui totam hæreditatem deducta quarta, per hæredem directum fideicommissario. §. In primis, hic titulo nostro. Et hic non refert cuius conditionis sit hæres directus, modò sit capax, nec etiam refert, siue institutus sit, siue ab intestato succedat. l. i. §. hoc autè, cum similibus. ff. ad Trebell. Et si nolit directus hæres adire hereditatem, compelli potest ad aditionem & restitutionem. l. Si eius, §. si necessarij. ff. ad Senatusconsultum Trebell. Et ualet illa restitutio, siue inter præsentem, siue inter absentes fiat. Si inter præsentem, tunc potest fieri, aut re, aut uerbis. Re fit, si hæres directus patitur res hæreditarias à fideicommissario possideri, animo restituendi. Verbis fit, ut si ei promittat se uelle restituere. Inter absentes autem potest fieri restitutio, siue per nuncium uel per literas indicet se uelle restituere, & statim cum constat de mente hæredis directi, censentur omnia bona hæreditaria esse in bonis fideicommissarij, utcumq; possessionem nondum nactus sit. l. restituta, & l. facta. ff. ad Senatusconsultum Trebell. Et si postea fuerit impeditus, habebit rei uendicationem.

*Inter absentes  
quomodo fit  
restitutio.*

Restitutio autem siue re, uerbis, literis, siue per nuncium facta, transeunt omnes actiones & obligationes in fideicommissarium. i. ut conuenire possit omnes, qui defuncto obligati fuerant. l. quamuis. ff. ad Senatusconsultum Trebell. Super fideicommissis autem erant lata duo Senatusconsulta, unum Pegasianicum, alterum uerò Trebellianicum. In Pegasiano inerant primò, quòd hæres directus retinebat quartam in restitutione. §. sed quia hæredes, hic titulo nostro.

• Secundo,



Secundò, quòd hæres directus propter quartam, quam retinuit, solus ferebat omnia onera hæreditaria, nisi inter eos interuenisset stipulatio de communicandis oneribus, §. post quod, hic titulo nostro. Tertio interueniebant stipulationes emptæ & uenditæ hæreditatis, §. Ergo, hic titulo nostro. Quarto, quòd hæres directus nolens adire, cogebatur adire, omnibus oneribus in fideicommissarium trāsatis, d. §. Ergo, hic tit. nostro. Sed ab hoc Senatusconsulto, & quoq; à Pegasianicis stipulationibus est recessum, & statur illi, quod per Senatusconsultum Trebellianicum introductum est, uidelicet, quòd hæres institutus cogitur adire hæreditatem, eamq; postea fideicommissario restituere, ita tamen quòd quartam partem retinere possit, siue illa quarta sit ei à testatore relicta, siue nō relicta. Secundò, quòd hoc casu diuiduntur Actiones, quæ contra defunctū dari potuissent, modo non sint pœnales, quia illæ contra hæredes non dantur. §. Non autem. infra, de perpet. & tempo. actio. pro rata portione utriusq; , nisi hæres directus totam hæreditatem restituisset fideicommissario. Eo enim casu competunt fideicommissario cōtra eum omnes Actiones. §. Sed quia stipulationes, in fin. hic tit. nostro. Sunt tamen quidam casus, in quibus hæres directus cogitur restituere hæreditatem fideicommissario, nec tamen retinet quartam. Primò, si coactus est adire. l. Nam quod, §. qui compulsus. ff. de Senatusconsult. Trebellia. Secundò, si testator miles erat. l. Marcellus autem, §. Quòd autem. ff. ad Senatuscon. Trebell.

§. *Postea Diuus.*

Confirmatio fideicommissorum per Augustum, qui disposuit, q̄ essent necessitatis, non uoluntatis.

§. *Restituta.*

Qui recipit) Transfert hæres directus in fideicommissariū actiones utiles, ipse uerò retinet directas, quæ ab eius ossibus separari nō possunt, ut nota. in l. quis ergo. ff. de pecul.

§. *Sed quia hæredes.*

Nota hic obiter ex glos. in uerbo, perinde, quòd quarta debetur sex modis.

Prima debetur liberis in bonis ascendentium, & ascendentibus in bonis descendentium, quæ dicitur legitima, iure naturali debita. Hodie tamen tertiam habent, ut suprā diximus de inofficio. testam.

Secunda, quæ debetur hæredibus, quando testator ultra dodrantē legauit, quæ dicitur quarta Falcidię. de qua suprā de lege Falcidia.

Tertia est Trebellianica, quæ datur heredi directo in restitutione hæreditatis, de qua loquimur hic.

Quarta, quæ datur filio arrogato, à patre adoptiuo sine iusta cau



sa, emancipato uel exheredato §. Cum autem impubes. & §. sed et si decedens. supra de adoptio.

Quinta est, quæ datur concubinæ, quæ eo animo apud quendam uixit, ut duceretur in uxorem, quæ postea si fuerit expulsa, debetur ei quarta pars bonorum illius, qui eam expulit §. qui uerò legem, in Autent. ut liceat matri uel auix. collat. §.

Sexta, quando diues maritus decedit, relinquens post se uxorem inopem & indotatam, retinet ipsa quartam omnium bonorum, si tamen tum tres uel pauciores liberi extarent. Si uerò plures, succedit unà cum liberis ex æquis portionibus. Auten. Præterea. C. unde uir & uxor. uide glo. in c. Raynutius. extra de testament.

§. Ergo si quidem.

Emptæ & uenditæ) Stipulatio emptæ & uenditæ hæreditatis hæc erat, quòd emptor & uenditor stipulabantur, si quid ad uenditionem perueniret post contractum ex re uendita, emptori restitueret, & e contra emptor promitteret, quòd damna quæ haberet uenditor, restitui uellet, ut glos. in l. uenditor. in uerbo, interposita. ff. de hered. uel actio uendita. Ita quoq; hoc casu stipulabatur, quòd si quid ex hæreditate perueniret ad hæredem directum, restitueret fideicommissario, & e contra fideicommissarius promitteret omnia damna restituere, quæ inde essent futura hæredi directo.

§. Sed quia stipulationes:

Vel repetere solutum) Id est, restitutum, si restituit per errorem totam hæreditatem, deceptus ignorantia facti, repetere potest, ut quia restituit 600. aureos, putans restare 200. ex quibus possit habere quartam. Si hoc casu est deceptus, id est, quòd 200. nō restant, sed tota hæreditas continet 600. aureos, potest repetere quartam hæreditatis si fideicommissario indebitè solutam. Secus autem esset si ignorantia iuris esset deceptus, ut quia resciuisset se posse retinere quartam, tum omnino non habet locum repetitio, quia ignorantia iuris non excusat. l. regula. ff. de iuris & facti ignor.

§. Nihil autem.

Sicuti fideicommissarius uniuersalis potest cogere hæredem directum, ut restituat hæreditatem, ita quoq; is qui in parte est institutus, cogi potest ut adeat, & eam partem restituat ex asse, id est, tota hæreditate.

§. Siquis unã.

Hæc est mens istius §. hæres institutus potest habere quartam duobus modis, aut in re, aut in fundo &c. uel in quantitate certa, ut in 100. aureis ex dispositione testatoris, aut in nulla re certa, sed tantum ex hæreditate capit quartam.



Primo casu, quando scilicet habet quartam in re certa, distingue: Aut habet in re certa totam quantitatem, uel etiam plus quarta, & habetur pro legatario, nec potest conueniri à creditoribus, sed transfert restituendo omnes actiones in fideicommissarium. Aut non habet in re certa integram quartam, & tunc si est contentus illo relicto, nec agit ad supplementum quartæ, iterum habetur pro legatario, nec potest cōueniri à creditoribus. Si uerò agit ad supplementum quartæ ex Senatusconsulto, Trebellia. tunc tenetur pro ea parte creditoribus respondere.

Secundo uerò casu, quando scilicet non est relicta certa, & expressa res nomine quartæ, Sed ipse simpliciter retinet quartam, & tenetur pro illa quarta quoq; respondere creditoribus, quia hoc casu habetur ut cohæres, & non ut legatarius, ideoq; ad onera hæreditaria obligatur.

*Pro dodrante*) Veluti si alicui deberentur 80. aurei ex hæreditate quadam, tunc creditori tenetur fideicommissarius pro 60. & hæres directus pro 20. & est ratio, quia uterque tenetur cōsiderata proportionem partis, quæ ad eum peruenit. Ad fideicommissarium autem perueniunt tres partes hæreditatis, ad directum uerò hæredem una, ergo tres partes debiti fideicommissarius præstare debet, & hæres directus unam.

*Et secum deliberare*) Occurrit tacitæ obiectioni, Posset enim obijci, si in re certa hæredis scripti relicta, continetur maxima pars hæreditatis, & ipse nihilominus restituendo minimam partem fideicommissario, per hoc transferre debet omnes actiones in eum, uidetur iniquum esse &c.

Huic respondet Imperator, uidelicet fideicommissarium deliberare posse, utrum expediat hæreditatem sibi restitui, nec ne, & sic non potest cogi, ut recipiat hæreditatem restitutam.

§. *Præterea.*

*Uid rursum.*) Sicuti in institutionibus directis potest testator plures gradus hæredum facere substituendo, ita quoq; in fideicommissis fieri potest, hæres enim directus rogari potest, ut restituat fideicommissario hæreditatem, & is iterum rogari potest, ut alij restituat. & sic deinceps.

§. *Fina.*

Hæc est summa istius §. Si testator instituit hæredem, & rogat eum adire hæreditatem, & restituere Caio, nec tamen extat testamentum scriptum, nec tot testes, quibus probari possit fideicommissum. Si



Si hoc casu hæres institutus negaret fideicommissum, potest ei fideicommissarius hæres deferre Iusiurandum, quod tenetur præstare. Si autem præstare recusauerit, & post negationem exceptionem opposuerit, scilicet esse quidem fideicommissum relictum, sed in testamento inualido, Ideo non ualere fideicommissum. Hæc exceptio nihil prodesset propter mendacium præcedens. Si autem primum fuisset confessus, & opposuisset postea illam exceptionem, releuasset eum.

Iusiurandum est affirmatio uel negatio, mediante religione, uel est remedium quo deciduntur lites, deficientibus probationibus.

Et est triplex.	Veritatis est, quãdo quis simpliciter sic esse uel nõ esse iurat, & subdiuiditur in	Conuentionale Iuramentum, quod & uoluntarium, siue extraiudiciale appellatur, est, quod quis parti defert extra Iudicium.
	Credulitatis, quod & Iuramentum Calumnie dicitur, est, quãdo quis iurat sic esse, uel non esse.	Iudiciale est, quod pars parti defert in Iudicio, Iudice approbante, & hoc Iuramentum habet locum, quando de Iure Saxonum res conscientie alicuius committitur.
	Affectionis, quod & Iuramentum in litem appellatur, est, quando res, de qua agitur, iuxta affectum iurantem taxatur, ut quando quis iurat, se malle carere 100. aureis, quàm illa uel illa re, licet tanti uendi non possit.	Necessarium est, quod in defectum probationis Iudex defert.

DE SINGVLIS REBUS, PER FIDEI-  
commissum relictis. Tit. XXIII.

**Q**UIA hodie fideicommissa singularia sunt adæquata legatis, poteris huc referre, quæ supra de legatis dicta sunt.

§. Libertas.

Libertas est duplex: Directa & Fideicommissaria. Directa est, quæ fit uerbis directis, ut si testator sic dicat: Titius seruus meus liber esto, Vel ita: Titio seruo meo libertatem lego. Istitis casibus statim post mortem testatoris fit seruus ipso iure liber, & libertus defuncti testatoris, non autem hæredis ipsius. §. Qui autem. Verf. At is, hic titulo nostro. Fideicommissaria libertas est, quæ fit his uerbis: Titius hæres meus esto, & rogo eum, ut post mortem meam Stichum seruum



meum manumittat. Hic Stichus nō statim fit liber ipso iure, sed requiritur factum hominis, hoc est, manumissio heredis. Ideoq; hæredis libertus fieret, non testatoris. d. §. Qui autem. hic titulo nostro.

DE CODICILLIS. Tit. XXV.

*Codicilli*

*Codicillus quid*



ICTVM est hætenus de testamentis solennibus & perfectis, ratione solennitatum. In hoc autem titulo dicitur de testamentis imperfectis, quæ dicuntur Codicilli.

Est igitur Codicillus, testamentū imperfectum, quo sine solennitatibus dictis, per fideicommissum aliquid relinquitur. Dico Imperfectum, ad differentiam testamentorum perfectorum, in quibus requiruntur solennitates, ut septem testes. l. fi. §. fi. C. De Codicillis. Dico, Per fideicommissum, quia in Codicillis non potest quis directè hæres institui, sicut in testamēto, & si directè fiat institutio, nihilominus trahitur ad fideicommissum. §. Codicillis. hic tit. nost. l. Sceuola. ff. ad Senatuscon. Trebell.

Differunt tamen testamenta & Codicilli in alijs quoq; casib. Primò per secundum testamentum perfectum, rumpitur primū. §. sed etsi quis, sup. Quib. mod. test. infir. Sed per secundum Codicillū primus non rumpitur, nisi expressè caueatur. l. Cum proponatis. C. eo. Secundò per arrogationem posthumi, rumpitur testamentum. §. Rumpitur. sup. Quib. mod. test. infir. Sed Codicilli si ab intestato facti fuerint per agnationem posthumi, non rumpitur. l. Si quis. ff. de Iure Codicil. Tertiò, in testamento nō possunt esse testes, nisi rogati. l. hac consultiss. C. de testa. In Codicillis autem etiam casu aduenientes testes esse possunt. d. l. fin. §. fi. C. eod. Quartò, in testamentis tantum masculi testes esse possunt. §. Testes autem, suprà de testam. ord. In Codicillis autem etiam feminae adhiberi possunt. glos. in l. qui testamenti §. Mulier. ff. de testa.

*In quo conueniunt Codicillus & testamentū.*

Conueniunt autem etiam in hoc, quòd quis potest condere testamentum cum scriptura, uel sine scriptura. §. sed cum paulatim, & §. sed hæc. sup. de test. Ita quoq; Codicilli in scriptis, uel sine scriptis fieri possunt, modò fiant in præsentia quinque testium, secundum glos. hic in prin. tit. nostri.

*In Codicillis in præsentia 5 testium*

Fiunt aut Codicilli duobus modis. Cum testamento, & sine testamento. Quando fiunt cū testamento, confirmant aut in futurum, aut in præteritū, aut de presenti per clausulā Codicillarē. l. Conficiuntur. in prin. ff. de iure Codicil. In futurum confirmant, quādo Codicillos præcedit testamentū, in quo testator ita dixit: Quicquid in Codicillis per me fiendis dixero, ualere uolo. In præteritum



ritum confirmantur, quando testator in testamento sequenti dicit: Codicillos quos feci, seruari uolo. I. Siue in initio. C. de Codicillis. De presenti per clausulam Codicillarem, ita confirmantur Codicilli, ut si testator condiderit testamentum, adhibitis sex testibus, uel adhibitis septem testibus, inter quos tamen sunt qui non sunt omni exceptione maiores, ut infames, banniti, & adijceret illam clausulam: Si hoc meum testamentum non potest ualere ut testamentum, ualeat ut Codicillus. l. fin. §. Illud quoque. C. eod. Vide glo. hic in uerbo, Confirmatos. Sine testamentis autem fiunt Codicilli, quando quis decedit intestatus, & conuocatis quinque testibus, declarat coram eis suam uoluntatem, instituendo heredem fideicommissarium. l. Si quis, in principi. ff. de iure Codicillorum.

**CAUSA** efficientes Codicillorum, sunt personæ, quæ habent de iure testamenti factionem actiuam. l. Diui. §. Codicillos. ff. de iure Codicill. Quæ autem illæ personæ sint, uide supra, in titulo, qui testamentum fac. poss. uel non. Et illis relinqui in Codicillis potest, qui habent testamenti factionem passiuam. De quibus uide glos. in §. Legari. supra, de legat.

**CAUSA** finalis est, quod ubi propter defectum septem testium quis non possit condere testamentum solenne, potest tamen condere Codicillos, si habeat quinque testes, ne intestatus decedat, ut colligitur ex principio tituli nostri.

Circa effectus Codicillorum distingue: Aut Codicilli confirmantur in testamento, aut fiunt ab intestato. Primo casu heredes in testamento instituti, directe tenentur adire hereditatem, & restituere ei, cui in Codicillis relicta est possunt tamen retinere quartam ex Senatusconsulto Trebellianico. l. ij. §. fin. ff. de iure Codicill. Et si testamentum, in quibus Codicilli confirmantur, sunt inualida, ut quia hæres directus ex eis hereditatem adire non potest, infirmantur quoque Codicilli. Secundo sunt facti Codicilli ab intestato, hoc casu uidentur directe instituti illi qui alioqui ab intestato succederent, & rogati seruari, quæ in Codicillis disposita sunt, licet re ipsa instituti non sint. l. Conficiuntur, cum glos. in uerbo, Possunt, & l. Si quis cum, & ibi Barto. ff. de iure Codicillo. Quare etiam adire tenentur, & fideicommissario restituere, retenta quarta Trebellianica, ut colligitur ex d. glo. in uerbo, possunt.

Et petitur res in Codicillis relicta, uel conditione ex lege, ut l. Vnica. ff. de condict. ex lege, uel actione utili ex testamento. Cum Codicilli ad instar testamentorum sint inducti. l. ij. §. i. ff. de iure Codicill. Vide glo. hic in uerbo, Relinquitur.

Infirmantur autem Codicilli illis ipsis modis, quibus testamentum,



ENARRATIONES IN INSTITVT.

quos uide supra, quib. mod. testa. infir. In hoc tamē fallit, quòd agnatione posthumi, Codicilli ab intestato facti, non rumpuntur. l. si quis cum, in prin. ff. de iure Codicill.

*Conditionem*) Vt si testator in Codicillis diceret: Titius sit hæres meus, si factus fuerit Consul, non ualere, quia est directa adiectio & institutio.

*Substituto*) Vt hoc modo: Instituo Titium hæredem meum, & si hæres non erit, substituo ei Gaïum.

FINIS SECVNDI LIBRI INSTITVTIONVM IMPERIALIVM.

IN LIBRVM TERTIVM INSTITVTIONVM IMPERIALIVM,  
Enarrationes D. Doctoris MELCHIORIS KLING,  
Iureconsulti.

DE HAEREDITATIBVS, QVAE AB INTESTATO DEFERUNTUR. Tit. I.



MNE IVS QVO utimur, à Iustiniano in §. fin. supra de iure natu. gent. & civili, ita diuisum est, quòd uel ad personas, uel ad res, uel ad actiones pertineat. Personarū tractatio in primo libro absoluta est. Diuidit enim personas primū in liberas & seruales. Deinde in eas quæ sunt alieni iuris, ut serui, & filij familiæ: & eas quæ sunt sui iuris, ut pater familiæ. Et illæ quæ sunt sui iuris, aut sunt sub tutela, ut minores xiiij. annorum: Aut sub cura, ut minores xxv. annorum. Aut neq; sub Tutela, neq; sub Cura, ut maiores xxv. annorum.

Summa totius libri secundi. Dupliciter consequimur rerū dominia.

Deinde in secundo libro suscepit tractationem rerum, & eas quoque diuisit hoc modo, Quòd rerum dominia consequimur dupliciter. Aut de iure gentium, aut de iure civili. Iure gentium, per occupationem, inuentionem, procreationem, alluionem &c. De quibus supra de rerum diuisi. cum sequen. De iure uerò civili quoq; bifariam consequimur. Aut sigillatim, ut usucapione, præscriptione, legato, si de commissio singulari. Aut per uniuersitatem, ut ex successione, que fit duobus modis. Aut ex Testamento, De quo à titulo de testa. usq; ad fin. 2. lib. Aut ab intestato, de quo in præsentī titulo tractabitur.

QVIS



## QVIS DICATUR INTESTATUS DECEDERE.

Dicitur autē is intestatus decedere, qui aut omnino Testamentum non fecit, aut fecit quidem, sed non Iure; aut Iure fecit, sed id postea ruptum, irritumve factum est, aut nemo ex eo hæres extitit, ut hic in principio tituli nostri. Dico in definitione, qui omnino non fecit Testamentum, propter eos qui uolunt testari, aut qui uolunt, sed non possunt, ut impuberes, furiosi, prodigi etc. l. i. in principio. ff. de suis et legit. hæredi. Dico autem, non Iure fecit, propter illa Testamenta, quæ quidem facta sunt, sed sine solennitatibus Iuris, ut quia non sunt adhibiti testes. Dico, ruptum est, propter testamenta quæ per agnationem sui hæredis rumpuntur, quod fit, si post testamentum factum, testator quem adoptauerit, uel posthumus natus fuerit. § Rumpitur, supra, quib. motus. Quia testamentum etiam Iure factum, per capitæ diminutionem testatoris, fit irritum, § alio autem modo, supra, quibus modis test. infirmentur. Dico, nemo hæres extitit, propterea quod testamentum uires capitæ ex hæredis institutione, & eius aditione. § Ante hæredis, supra de legat. l. i. in fin. cum glos. ff. de uulg. & pupill. subst. Quare prædicti omnes dicuntur intestati decedere, & eo casu uocantur ad successionem defuncti legitimi hæredes. In qua successione dic: Aut loquimur de successione in bonis hæreditarijs siue allodialibus. Aut loquimur de successione in bonis Feudalibus. Primo casu dic: Aut quæris de successione secundum Ius ciuile, aut secundum Ius Saxonum.

## DE SVCCESIONE IN BONIS HAEREDITARIJS, siue allodialibus, secundum Ius ciuile.

De successione in bonis hæreditarijs secundum Ius ciuile, primū dicemus, Secundū quod habetur triplex ratio hæredum. Prima in successione habetur triplex ratio hæredum. est descendentium, ut filiorum, filiarum, nepotū, neptum &c. qui sui hæredes dicuntur, & excludunt omnes alios. § intestatorū, hic titulo nost. Nec refert siue in potestate parentū, siue emancipati fuerint. § si quis igitur, in Aut. de her. ab intest. uenien. col. 9. Secunda, si defuerint descendentes, habetur ratio ascendentium, ut parentū utriusq; sexus, secundum graduum prærogatiuam, ut scilicet pater præferatur auo. d. § si quis igitur. Tertio habet ratio collateralium. d. § Si quis igitur, la. 2. in eod. titu. in Aut. coll. 9. Circa descendentes distinguendum est. Sunt enim quinque species filiorū siue descendentium, uide gl. in c. tanta est uis, in uerbo, repellendus, extrā q filij sint legit. Et similē gl. in c. liberi. 32. q. 4. in uerbo, liberi. Primō sunt naturales & legitimi, ex iustis nuptijs pro-



creati. Secūdo, legitimi tantū, ut adoptiui. Tertiō, naturales tantū, ut ex cōcubina, uel duab. liberis personis, extra matrimoniū nati. Quartō, Spuriij, qui habent incertum patrem, et ex scorto publico nati sunt. Quintō, ex incestuoso et prohibito coitu nati. De quibus omnib. sup. de patr. potest. diximus. Et hic primū de successione naturalium & legitimorum liberorum dicemus.

DE SVCCESIONE NATVRALIVM ET legitimorum liberorum,

Naturales & legitimi liberi succedūt parentibus tam paternis quā maternis ab intestato indistinctē, siue masculi sint, siue fœminæ, siue in potestate parentū fuerint, siue emancipati. § nullā. Autentico, de hæred. ab intest. uenientib. coll. 9. Et quod dicitur de filijs & filiab. idem dic de nepotib. & neptib. pronepotib. & proneptib. Succedunt enim nepotes & pronepotes in bonis aui & auix, cum patruis & auunculis, amitis & materteris in stirpē (id est, eam partem accipiunt, quam parens eorum accepisset, si unus sit, siue plures) & non in capita. Cū filij repræsentent patrem, & censeantur eadē persona cum eo, d. § si quis igitur, in Autent. de hæred. ab inte. uenientib. coll. 9.

*\*Hoc tamen est intelligendum, cum quodam temperamento, quia filij uocantur ad hereditatem patris in capita, nepotes, & ulteriores gradu, in stirpem: & est ratio, quia ipsi nepotes patris locum intrant. § si quis igitur, Autentico, de hæred. ab intest. uen. coll. 9.*

DE SVCCESIONE LEGITIMORVM filiorum tantū,

*Filij legitimi tantū succedunt in bonis paternis.*

Circa secundam speciem, quando scilicet quærit de legitimis tantū, hoc est, de adoptiuis, & dic quōd succedāt tantū in linea paterna, & non materna. Distingue tamen: Aut sunt adoptati patres familiæ, q. scilicet nullos habēt parētes à linea paterna. Aut sunt adoptati filij fa. id est, qui habēt patrem uel auum paternū, Primo casu subdistingue: Aut manserūt in patris adoptiui potestate, nec sunt emancipati. Et idem Iuris est, qd in naturalib. et legitimis. § intestatorū, hic ti. nostro. Aut sunt emancipati, & tunc aut sunt emancipati iustam ob causam, & habent pro extraneis, nec succedunt. § cū autē impubes, cum seq. suprā de adop. Aut sine iusta causa sunt emancipati, & restituunt eis oīa bona, que nomine ipsorū pater adoptiuus accepit. Et præterea quoq. quarta pars bonorū ipsius patris, etiam uiuo patre, d. § Cū autē impubes. supr. de adoptio. Secundo casu, quando scilicet filius familiæ adoptatus est, distingue: Aut est adoptatus ab auo, & succedit ei ad instar naturalium et legitimorum. § sed hodie, sup. de adoptio. Aut est adoptatus ab extraneo, ut fratre uel relijs ulterioribus



ribus gradu, & tunc aut is decedit testatus, & tantum consequitur filius adoptiuus ex eius Testamento, quantum ei fuerit relictum. Aut decedit intestatus, & subdistingue: Aut filius adoptiuus est ab eo emancipatus, & nihil consequitur. Quia sublatum est per emancipationem ius filiationis, §. Minus, hic titulo nostro. Aut mansit in eius potestate, & succedit ut filius, l. Cum in adoptiuis, §. sed ne articulu. C. de adoptionibus.

## DE SVCCESIONE NATVRALIVM

tantum.

Tertio casu, quando scilicet tractatur de successione naturalium tantum, & distingue: Aut loquimur de successione in bonis matris, & tunc aut mater fecit Testamentum, nec eos instituit hæredes, & possunt agere contra Testamentum matris querela inofficiosi testamenti, etiam si legitimi hæredes fuerint instituti, secundum glossam. In uerbo, cum legitimis. l. si qua illustris, in §. fin. C. ad S. C. Orif. Aut non condidit Testamentum, sed decessit intestata, & succedunt simul naturales cum legitimis, si extant, modo mater non sit illustris persona. d. l. si qua illustris, §. fin. C. ad S. C. Orif. Aut loquimur de successione in bonis paternis, & tunc aut pater naturalis decedit testatus, aut intestatus. Primo casu distingue: Aut reliquit post se unam cum filiis naturalibus, etiam legitimos liberos, aut uxorem indotatam pauperem. Si liberos reliquit legitimos unam cum naturalibus, in Testamento potest naturalibus relinquere unam unciam, quam habebunt cum matre. §. consideremus, cum similibus, in Authentico de trien. & semisse. colla. 3. Si uero unam cum naturalibus parentes post se reliquit, potest filiis naturalibus in Testamento relinquere quantum uult, modo parentes retineant legitimam, id est, tertiam partem bonorum. Authentica licet §. Quod si parentes, C. de naturalibus liber. Si autem reliquit defunctus qui locuples fuit, unam cum liberis naturalibus, etiam uxorem pauperem, & indotatam, & potest similiter naturalibus relinquere quantum uult, uxori tamen debetur quarta. Iuxta dispositionem Authenticæ, Præterea, C. unde uir & uxor. Aut pater naturalis decedit sine legitimis liberis, parentibus & uxore, & potest naturalibus liberis totam substantiam suam in Testamento relinquere. d. Authentica, Licet, §. quod si parentes, C. de naturalibus liber. Secundo casu, quando scilicet pater naturalis decedit intestatus, & tunc aut extant naturales & legitimi liberi unam cum naturalibus tantum, & naturales non succedunt, sed aluntur à legitimis, secundum substantiam mensuram, à bono uiro, id est, Iudice arbitrata. §. Si quis igitur habens, cum similibus, in Authentico, quibus modis natural. effici. sui, collat. 7. Aut non extant naturales

Naturales liberi succedunt in bonis matris.

Aut loquimur de successione in bonis paternis.

Legitima tertiam partem bonorum.

Index in legibus presumitur bonus uir.

&



& legitimi, neque etiam uxor &c. Et tunc aut pater naturalis habuit simul plures concubinas, & ex eis liberos, & nihil omnino debetur eis, propter odiū effusæ libidinis. Si uerò effusa, in Autentico, quibus modis natural. eff. sui. Aut habuit eodem tempore tantum unam concubinam, & ex ea liberos, & debentur eis unà cum matre duæ uncia hæreditatis, id est, sexta pars. Si quis autem defunctus, cum similibus. in Autentico, quib. modis nat. eff. sui. & d. Authentica, licet ab intestato. C. de naturalibus liber. Et quæ de filijs, & filiab. naturalibus dicuntur, eadem dic quoq; de nepotibus & neptibus, & pronepotibus. De nepotibus, in Autentico, Quibus modis natur. eff. sui.

DE SVCCESIONE SPVRIORVM,

& uulgo quæsitorum.

Quartò, de spurijs & uulgo quæsitis dic: Aut queritur de successione paterna, & non admittuntur ad successionem, cum patrem demonstrare non possint. l. uulgo. ff. de statu ho. uulgo. infra de successio. cog. Aut queritur de successione in bonis maternis, ut matris & aui materni, & distingue: Aut mater fuit illustris persona, & tunc si habuit simul cum spurijs etiam legitimos liberos, et spurijs neq; ex testamento, neq; ab intestato succedunt. l. Si qua illustris persona. sancimus. C. ad S. C. Orifi. Aut non habuit legitimos liberos, & succedunt Spurijs ex testamento, & etiam ab intestato. secundum DD. post glos. d. l. Si qua illustris. Si uerò mater non fuit illustris persona, tunc succedunt ei, & auiæ & auo materno, ex Testamento, & ab intestato, etiam unà cum legitimis. Nouissimè, infra ad S. C. Orifi. uulgo, infra de successio. cogn. l. i. Sed & uulgo. ff. ad S. C. Tertul. l. Hac parte, & l. Modestinus. ff. unde cognati. Et si in testamentis fuerint à matribus præteriti, datur eis querela inofficiosi Testamenti. l. si suspecta. de inofficioso. ff. de inofficioso testa.

DE SVCCESIONE ILLORVM, QVI EX

incestuoso & nefario concubitu nascuntur.

Quintò, Nati ex incestuoso et nefario concubitu, neq; ad successionem patris, neq; matris admittuntur, quales sunt nati ex patre & filia, fratre & sorore &c. Itē ex adulterio nati, qb. de rigore Iuris ciuilibus ne alimēta quidē à parentib. debentur, cum sint omni substantia parentū indigni, nec nomen habeant filiorū. ult. Auten. quibus mod. naturales eff. sui. coll. 7. ibi. Nec est alendus à parentib. Auten. Ex complexu, & in corpore unde sumitur. C. de nefa. & incest. nup. De æquitate tamen Canonica debetur eis alimēta. c. cum haberet. & ibi pulchra glo. in uerbo, secundū facultates.

Nati ex incestuoso coitu, neque ad successionem patris, neque matris admittuntur. Filij spurij omni substantia indigni.



tates. extrà, de eo qui dux. in matris, quam per adult. pol. in fin. et huic textui etiam standum esse statuo de iure civili, propter naturalem æquitatem, quam Canones semper ob oculos habent, & est pulcherrima ratio. Nam educatio liberorum est iuris naturæ, atque originem habet ex instinctu naturæ. c. Ius naturæ. i. dist. adeò quidem, si parentes liberis indigentibus alimenta negarent, homicidij possunt accusari. l. necare. ff. de lib. agnos.

Naturalem æquitatem Canones semper ob oculos habent.

## DE SVCCESIONE ASCENDENTIVM.

Deficientibus descendentibus, qui sui hæredes dicuntur, uocantur ad successionem ascendentes utriusq; sexus, secundum graduum prærogatiuam. Hic autem memineris tot esse species ascendentium, siue parentum, quot diximus esse descendentium. Filij enim & parentes sunt correlatiua, & correlatiuorum est eadem natura. l. fina. cum glos. C. de indic. uid. roll. Dic ergo quinque esse species parentum, naturales & legitimos, legitimos tantum, parentes spuriorum, naturales tantum, & parentes incestuosorum.

## DE SVCCESIONE NATVRALIVM

& legitimorum parentum simul.

Primum dicemus de legitimis & naturalibus parentibus simul. In quibus distingue: Aut soli ascendentes extant, & succedunt ex æquo, salua gradus prærogatiua, quòd scilicet extantibus matre & patre, diuiditur inter eos hæreditas filij defuncti, exclusis auis. Mortuo uerò patre & matre, uocantur aui & auia utriusq; parentis, & datur auis paternis dimidia pars, & auis maternis altera dimidia, etiam si sint dispares numero. Nec hic sexus attenditur, nec etiam uerum defunctus in potestate fuerit, uel emancipatus. Authentica defuncto, C. ad S. C. Tertulij. Si igitur defunctus, cum sequent. in Authentico, de hæred. ab intesta. uenien, coll. 9. Aut extant unà cum ascendentibus fratres & sorores, & liberi fratrum, uel sororum præmortuarum. distingue: Aut sunt fratres & sorores consanguinei, siue uterini tantum, & excluduntur ab ascendentibus. Aut sunt fratres & sorores utrinq; coniuncti. Et tunc aut quærimus de patre, & succedunt pariter pater, fratres & sorores defuncto in capita, fratris uerò uel sororis præmortuarum liberi in stirpes. i. in Auten. ut filij fratrum succed. collat. 9. d. §. Si uerò cum ascendentibus, in Authentico de hæred. ab intest. uenien. Et idem iuris est in matre, si superest uiuente marito suo. Aut quærimus de matre, quæ uidua est, & tunc aut mansit uidua, nec conuolauit ad secundas nuptias, Et idem iuris est quod in patre. Aut secundò nupsit infra tempus luctus, & ita infra annum, & fit infamis, quo casu distingue: Aut infamia non

Tot species ascendentiū, quot descendentiū. Correlatiuorum eadem est natura. Quinq; species parentum.

• remittitur



remittitur uiuente filio, & omnino non succedit. §. cum similib. in Auten. de nupt. coll. 4. Aut infamia remittitur, & nō succedit, nisi omnibus filijs mortuis, & sic tantū nouissimo succedit, secundū gl. in §. Et quoniam mater, in uerb. in uirilem, in Auten. de nupt. coll. 4. Aut secundo nubit, & post annum, & tunc aut quærimus de bonis defuncti filij castrensib. quasi castrensib. uel aduentitijs, & succedit mater ab intestato, unā cum liberis suis, hoc est, fratrib. & sororib. defuncti, pleno Iure, id est, quo ad proprietatem et usumfructū. Aut quærimus de bonis quæ defunctus à patre suo acquisiuit, hoc est, de bonis profectitijs. Et tunc, Aut fecit Testamentum, & instituit matrem hæredem, & succedit mater ex Testamento pleno iure. Aut decessit intestatus, & scilicet quo ad suā partē consequit mater in illis bonis tantū usumfructum. §. Hinc nos, & §. Et quoniam mater. in Autentico, de nupt.

DE SVCCESIONE LEGITIMORVM

parentum tantū.

Secundo casu, quando scilicet loquimur de parentibus legitimis tantū, id est, adoptiuis, distingue: Aut loquimur de matribus, & non succedunt liberis adoptiuis, quia fœminæ regulariter adoptare non possunt, §. fœminæ. supra de adopt. Aut loquimur de patribus adoptiuis, & tunc aut arrogatus est pater familiās, & subdistingue: Aut fuit ante arrogationem à patre naturali emancipatus, ita q̄ pater naturalis, etiam durante adoptione, adhuc uiueret, & succedit pater naturalis cum matre, fratrib. & sororib. fratrūq̄ filijs, eo modo q̄ sup. diximus, excluso adoptiuo patre, quia hodie in successione, emancipatio nō attenditur. §. si uerō, in Auten. de hæred. ab intest. uenien. coll. 9. cum similibus. Et adoptio tanquam res inter alios acta, patri naturali nō potest Ius suū auferre, per uulgaria. Aut pater naturalis, & auus paternus filij arrogati ante arrogationē sunt mortui, & tūc, Aut mater extat naturalis & legitima & c. & excludit patrē adoptiuū. l. 2. §. obijcitur, cum sequentib. ff. ad S. C. Tertull. secundū Paul. de Cast. in Autent. defuncto. C. ad S. C. Tertull. Aut nō extat mater, sed fratres & sorores utrinq̄ coniuncti, & succedunt unā cum patre adoptiuo, secundum gl. in d. §. mortuo, in uerbo, Aliæ personæ, in fin. infrā de acquisi. per arrogat. Si autem fratres & sorores quoq̄ non extant, succedit pater adoptiuus in solidum. d. §. mortuo. infrā de acquisi. per arrogat. Aut adoptatus est filius familiās, & distingue: Aut est adoptatus ab auo paterno, uel materno, & soluitur ius patriæ potestatis patris naturalis, etiam sine emancipatione, & transfertur in auum adoptantem. §. si



Si uerò pater naturalis. *suprà* de adopt. Quare etiam filio adoptiuo succedit, excluso patre naturali, per rationes quæ colligi possunt ex l. *cùm in adoptiuis*. § Si uerò pater naturalis. C. de adopt. § sed & si pater. *suprà* quibus mod. Ius patriæ potest. sol. Aut filius fa. adoptatus est ab extraneo, & manet ius patriæ potestatis patris naturalis firmum, ita quòd ei succedat. d. l. *cùm in adoptiuis*. C. de adopt. § sed hodie. *suprà* de adopt.

#### DE SVCCESIONE NATVRALIVM parentum tantùm.

Naturales parentes tantùm, succedunt quoq; liberis suis naturalibus eo modo quo liberi ipsis, & sicuti parentes naturales debent liberis suppeditare alimenta, ita uicissim liberi parentibus alimenta præstare debent. § de nepotibus, in Auten. quib. mod. nat. eff. sui. collat. 7. Dic ergo; Aut decedente filio naturali, querimus de iure patris, matre mortua. Et tunc aut filius decedit testatus, & potest patrem instituere heredem in omnibus bonis, si uult, nisi habeat descendentes. Si uerò nolit eum in omnib. bonis instituere, poterit in parte bonorũ &c. Aut decessit intestatus, & succedit pater in duab. uncjs, id est, in sexta parte hereditatis, *pura* *suprà* de liberis naturalibus allegata. Aut querimus de iure matris, & tunc, Aut filius condidit testamentum, nec ei reliquit legitimam, id est, tertiam partem, & potest mater testamentũ impugnare per querelam inoffici. testamenti, arg. l. si suspecta. § de inofficioso. ff. de inofficio. testa. Aut decessit intestatus, & tunc, Aut mater est sola, & succedit ei in uniuersum, § si. *infra* ad S. C. Tertull. Aut mater non est sola, sed extant pater, fratres, & sorores defuncti, & utrinq; coniuncti, & succedit pater in duabus uncjs, id est, in sexta parte, Mater uerò, & fratres in reliquo, ut Saly. in d. Autentica defuncta. C. ad S. C. Tertull.

#### DE SVCCESIONE PARENTVM SPV. riorum, uel uulgò quæsitorum.

Quando de parentib. spuriorum uel uulgo conceptorum queritur, distingue: Aut queritur de linea paterna, & non succedunt, quia spurij incertos patres habent, nec possunt eos demonstrare. Aut queritur de linea materna. Et tunc, Aut spurius fecit testamentum, & matri non reliquit legitimam, & potest mater testamentum impugnare, per querelam inofficiosi testamenti. d. l. si suspecta. § de inofficioso. ff. de inofficio. testa. Aut decedit intestatus, & deuoluit hæreditatem simpliciter ad matrem. d. § fina. *infra*, ad S. C. Tertull. Et quæ diximus de patribus & matribus, tu quoq; refer ad auos & auias.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE SVCCESIONE PARENTVM  
incestuosorum.

De incestuosis parentibus quærendum non est, cùm ibi nulla sit successio, nec appellatio parentum & filiorum. §. ult. in Autentico, Quibus modis natur. eff. sui. Authentica, Ex complexu. C. de incest. nup.

DE SVCCESIONE COLLATERALIVM.

Tot sunt species fratrum, quot ascendendum, & descendendum.

Tertiò, si quis decesserit, & neq; descendentes, neq; ascendentes post se reliquerit, uocantur ad successionem fratres & sorores utrinq; cõiuncti in capita, fratrumq; & sororum liberi in stirpes. Memineris autem & hic quoq; tot esse fratrum species, quot diximus esse filiorum & parentum. Quare de singulis dicemus. Et primùm de fratribus naturalibus & legitimis simul.

DE SVCCESIONE NATVRALIVM ET  
legitimorum fratrum simul.

Circa fratres naturales & legitimos simul distingue: Aut extant fratres & sorores utrinq; cõiuncti cum liberis fratrum, & sororum defunctorum, & succedunt fratres, sororesq; defuncto ab intestato in capita, liberi uerò defunctorum fratrum, unà cum eis in stirpem, exclusis fratribus consanguineis & uterinis. Authentica cessante. C. de legit. hæred. §. Si igitur defunctus. in Auten. de hæredib. ab intest. uenien. colla. 9. Aut non extant fratres utrinq; coniuncti, sed cõsanguinei, uel uterini tantum, liberiq; ex fratre consanguineo uel uterino, & succedunt defuncto eo modo, quo iam diximus, exclusis patris, & auunculis defuncti, licet eiusdem gradus sint. Authentica, post fratres, cum similibus. C. de legit. hæred. Ita tamen quòd consanguinei in bonis paternis, uterini uerò in bonis maternis præferantur. l. De emancipatis. §. penult. C. de legit. hæred.

DE SVCCESIONE LEGITIMORVM  
fratrum tantum.

Quãdo quæritur de legitimis fratribus tantum, dic, quòd sibi inuicem non succedunt. Patribus enim tantum, & non familiæ, nec cognatis patrum succedere possunt. l. Cùm in adoptiuis. §. Neq; enim ex ueteri. C. de adoptio.

DE SVCCESIONE NATVRALIVM  
fratrum tantum.

De naturalibus fratribus tantum ita responde: Aut sunt legitimi, & distingue: Aut legitimatio facta est per subsequens matrimonium, & succedunt omnibus fratribus ex eo matrimonio editis, nec excluduntur à legitimè natis. §. Trib. cum sequen. Et ibi Barto. in Autentico,



Autentico, quib. mod. natural. effi. sui. Aut legitimatio facta est per dationem Curia, uel per rescriptum principis, & tunc, Aut quaerimus de successione fratrum legitimè natorum, & non succedunt eis, quia solius patris, & nullius ultra, propter illam legitimationem successores facti sunt. §. Filium uerò. in Autentico, quib. mod. nat. effi. suis. Aut querimus de successione naturalium fratrum legitimatorum inter se, & succedere possunt ab intestato. argum. l. ij. & l. Si Spurius. ff. unde cognati. Aut non sunt legitimati, & succedunt sibi inuicem. d. l. ij. & d. l. Si Spurius. ff. unde cognati. Et in ijs seruatur quoq; illa regula, quòd fratres & sorores, utrinq; coniuncti, excludunt eos qui sunt coniuncti ex altero parente tantum.

DE SVCCESIONE FRATRVM VVL-  
gò quaesitorum.

Fratres uulgo quaesiti, qui tantum uterini sunt, succedunt sibi inuicem ab intestato, quum sint cognati. d. l. ij. & d. l. Si Spurius. ff. unde cognati.

DE SVCCESIONE INCOESTVOSORVM  
fratrum & sororum.

De incoestuosis fratribus querendum non est, quum inter eos nulla sit successio, nec alicuius iuris participatio, per supra allegata iura.

Quando autem nec ascendentes, neq; descendentes, neq; etiã fratres & sorores, uel fratrum & sororum liberi, sed remotiores gradus extant, tunc uocantur ad successione omnes, qui sunt gradu proximiores, & habet tunc locum regula: Qui prior est gradu, potior est iure. Et si plures eiusdem gradus extiterint, uocantur simul in capita, id est, secundum personarum numerum. Neq; hoc casu attenditur, utrum illae personae, unde originem cognatio traxit, fuerint fratres utrinq; coniuncti, uel ex altero parente tantum, cum haec uinculorum coniunctio tantum in successione fratrum & sororum, eorumq; liberis, & non in ulterioribus gradibus spectetur. Nec etiam distinguitur, utrum masculi sint, uel foeminae, emancipati, nec ne. §. Si uerò neq; fratres, in Autentico, de haeredib. ab intest. uenien. Hinc sequitur patruum, auunculum, amitam, materteram esse eiusdem iuris. Item patruum magnum, item auunculum magnum, amitam magnam, materteram magnam quoq; esse eiusdem iuris. Item sequitur amitam siue materteram ex uno parente tantum, excludere amitam, & materteram magnam &c. ex utroq; parente. Item amitam magnam, uel materteram magnam excludere filios patrum magni, siue auunculi magni, & liberos amitae siue materterae ex uno parente tantum excludere nepotes auunculi ex utroq; parente. Item sequitur auunculum si-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

ue materteram ex altero parente tantum propiores esse filijs patruum ex utroque genere.

Durat autem successio in ascendentibus & descendentibus, usque in infinitum, neque praefigitur certus graduum ordo. In collateralibus autem durat usque ad decimum gradum, secundum glos. in §. fina. & ibi Doct. infra, de successio. cog. Et si in decimo gradu nemo extiterit, haereditas uacat, & cedit fisco. l. 1. C. de bon. uacant. libr. 10.

Repelluntur autem a successione. Primò, diminuti capitis diminutione, maxima, & media, §. Quod autem, supra de capitis diminutione. Sed hoc casu haereditas defertur alijs cognatis. Secundò, Si parens damnatus esset crimine perduellionis, desineret liberi eius sui haeredes esse, §. Interdum, hic tit. nostro. Tertiò, is qui duxit uxorem contra decreta Iuris, repellitur a successione illius uxoris. l. ij. ff. de ijs quibus ut indig. Quartò, is cuius negligentia & culpa testator defunctus est. Quintò, qui non uindicauerunt iure necem defuncti. l. Haeredem. ff. de ijs quibus ut indig.

Quibus modis  
subuenitur haereditibus.

Hoc tamen casu subuenitur haeredibus. Primò, si Iudicis iniquitate occidens absolutus fuerit. Secundò, si haeredes fuerint minores 25. annorum. Tertiò, si autorem reperire non potuerunt. l. Propter ueneni. §. Vlt. ff. ad S. C. Sylleian. l. Minoribus, C. de ijs, quibus ut indig. Sunt & alij modi, propter quos a successione quis repellitur, quos uide per totum titulum C. & ff. de ijs, quibus ut indig. Istis autem casibus omnibus habet locum regula: Quod aufertur indigno, applicatur fisco. l. Papinianus. §. Meminisse. ff. de inofficio. testamen. Et tantum de successione in bonis hereditarijs de Iure Ciuili. Nunc dicemus de Iure Saxonum.

DE SVCCESIONE SECVNDVM Ius Saxonum.

Ad hoc, ut rationem succedendi de Iure Saxonum intelligas, dic breuius: Aut decedit masculus, aut foemina. Si masculus. Et distingue: Aut est miles, siue equestris ordinis, id est, **Don Kitters art.** Aut non miles, ut Ciuis, Rusticus. Si miles est. Et dic: Aut habuit uxorem, aut non habuit uxorem. Primo casu diuiduntur bona, excepto feudo, inter tres, inter uxorem, proximum agnatum seniore, & haeredes. Vxori debentur donatio propter nuptias, quae & Sponsaliticium appellatur. Vtensilia, **die Geråde.** Tertiò, Sponsalitia largitas, **die Morgengabe.** Et Cibaria domestica, **Müsth Eyl.** Et haec omnia capit mulier sine onere. Non enim tenetur satisfacere creditoribus.

DONA.



DONATIO PROPTER NVPTIAS  
quid sit.

Donatio propter nuptias, siue dotalitium, quæ uulgo **Leib-  
sucht** oder **Leibgeding** uocatur, secundum gloss. **Weichbildt** / Ar-  
ticul. 22. dicitur propriè remuneratio, quam maritus in bonis su-  
is, uxori in recompensationem dotis constituit, & de hac suprâ,  
de donatio, diximus.

Constituatur autem, Aut in rebus mobilibus, aut in rebus im-  
mobilibus.

In rebus mobilibus constituatur sine heredum consensu. In re-  
bus immobilibus constitui non potest sine hæredum consensu.  
Et si res fuerit Feudalis, requiritur consensus domini. **Landt-  
recht** / lib. 1. Articul. 21. & Articul. 51. Sed contentio est, quid pro-  
priè ueniat hoc casu appellatione hæredum. Quidam intelligunt  
tantum illorum heredum consensum requiri, qui habent querelam  
inofficiosi testamenti, quales sunt, ascendentes & descendentes.  
Quidam uerò extendunt etiã ad alios hæredes collaterales. Pen-  
det itaq; uis ex eo, quid propriè significet nomen hæres, à lege  
prolatum. Hoc autem non est materia nostra. Sed in donatione  
propter nuptias, habet mulier tantum usumfructum, secundum  
gloss. **Lehenrecht**. Articul. 31. libr. 1.

## SPONSALITIA LARGITAS QUID SIT.

Sponsalitia largitas, quæ uulgo **Morgengabe** uocatur, est do-  
natio, quam erogat uir militaris in uxorem, antequam cum ea ad **Morgengabe**  
prandium discubuerit, **Landtrecht** / lib. 1. Art. 20. Et dicitur quo-  
que interdum largè loquendo dos, d. Art. 20. Potest tamen fieri,  
quando cunq; uiro placuerit, secundum glo. **Weichbildt** / art. 22.  
Poterit aut maritus donare uxori nomine spõsalitię largitatis, si  
ne consensu heredum, seruũ impuberem, ancillam inermem, sepes,  
edificia, carpenta nondum absoluta, & pecora pascualia. **Landt**  
**recht** / lib. 1. Arti. 20. Item poterit ei dare ( *Non tamen intellige von* **Simmen**  
**Strütpferden**) equos, qui ad labores rusticos nondum coaptati  
sunt, & gregatim pascuntur. Itẽ, uaccas, capras, et porcos. **Landt**  
**recht**. libr. 1. arti. 24. & lib. 2. articul. 21. Et hæc non debentur, nisi  
expressè constituta fuerint. Si autem fuerint constituta, poterit  
mulier exigere, sicut utensilia, & quæque cibaria domestica. Dic au-  
tẽ in spõsalitiã largitate, **Vtensilib.** & **Cibarijs** domesticis. Aut  
mulier statim post tricesimũ separat se à liberis suis, & potest sta-  
tim illa tria capere. Aut nõ statim separat se à liberis. Et tunc: Aut  
liberi sunt cum matre in bonis, & matri adhuc liberũ est, quan-  
do cunq; uoluerit, illa exigere, sine aliq; impedimento, siue filius



ducat uxorem, siue non, Aut mater est cum filijs in bonis. Et tunc, si filius duxerit uxorem, & mortuus fuerit, præfertur uxor filij ipsi matri in sponsalitia largitate, utensilibus, & quoq; cibarijs domesticis, non obstante, quòd mater sua nondum acceperit. *Landrecht*/lib. 1. articul. 20.

## VTENSILIA QUID.

*Gerade.* Utensilia, *Die Gerade*, uocantur supellex, & res domesticæ, ad quemcunq; usum quæsitæ, secundum glos. in principio *Weichb.* art. 23. Et hæc non constituuntur per pacta inter maritum & uxorem. Sed ex legis prouisione debentur uxoribus nobilium, post mortem maritorum suorum. Et eò multa pertinent, ut anseres, oues, cistæ columnatæ, *mit angehenkten lidden*/lecti, puluinaria, linteamina, mensalia, manutergia, pelues, candelabra, balneamina, linum, uestes muliebres, & multa alia. De quibus uide *Landrecht*/lib. 1. arti. 24. Et *Lehenrecht*. c. 56. in glo. *Verf. Auff das ihr eygentlich wisset.* Et *Weichbildt*, art. 23. in text. & glos. Et de utensilibus mulier hoc casu non tenetur parare lectum hæredi, sicuti alioqui proxima cognata post mortem mulieris sine filio decedentis, tenetur marito mensam, & lectum &c. de utensilib. instruere. Quia nobilis mulier tenetur lectum dare. *Sum hergeweydt.* *Landrecht*. lib. 1. art. 22.

## DE DOMESTICIS CIBARIIS.

Domestica cibaria sunt, quæ parata sunt ad quotidianum uictum illius anni, et supersunt post tricesimum in quibusuis ædib. siue curijs ipsius mariti, & pertinent caro, lac, pennæ, farcimina, casei, butyrû, sal, adeps, mel, pisces, uinum, cereuisia, & alia potus genera. Item: siligo, legumina, & multa alia, quæ omnia diuidit mulier cum hæredibus. *Landrecht*. lib. 1. art. 22.

Sed in his dic: quòd *nach Weichbild recht*, mulier diuidit in his tantummodò ædibus & curijs, in quibus habet ius aliquod, ut quod ad eam pertinet iure dotalitij. In alijs uerò ædibus, in quibus ius dotalitij non habet, non diuidit cibaria cum hæredibus, sed ex eorum tantum uictum habet, donec donatio propter nuptias siue dotalitium fuerit restitutum. Et hoc uerû, ut diximus, *nach Weichbild recht*/ut *Weichbildt*/art. 24. Sed illa differentia plerunq; non seruatur, ut quæ suprâ diximus circa sponsalitiã largitatem de matre in bonis filiorum &c. tu quoque extende ad utensilia, & cibaria domestica. Et in his tribus, scilicet sponsalitia largitate, utensilibus & cibarijs domesticis, habet mulier plenum ius, tam usumfructum, quàm proprietatem sine onere, ideoque ad suos hæredes postea ab intestato deuoluit, uel uiuens pro lubito de illis disponit. *Landrecht*. lib. 3. art. 38. *Deben.*



Debentur autem illa mulieribus, si alioqui iure hæreditario nihil accipiunt. Est enim in quibusdam regionibus consuetudo, quod mulieres accipiunt tertiam partem bonorum iure hæreditario. Sed tum habent electionem accipiendi uel tertiam partem, uel alia mulieribus debita. Si tertiam partem elegerint, habent eam cum onere, ita quod tenentur satisfacere creditoribus ut hæredes, electis alijs, habent ea sine onere, secundum gloss. final. **Landrecht/art. 24.** Et tantum de ijs quæ pertinent ad relictam uiri militaris.

### QVID DEBEATUR PROXIMO

agnato uiri militaris.

Proximo agnato, **Dem nechsten schwertmagen**/uiri militaris defuncti, debentur res expeditoriæ, quas uulgo uocant, **Hergergeweidt.**

Dicuntur autem res expeditoriæ præparamenta ad expeditionem exercitus pertinentia, secundum glo. fin. Art. 27. **Landt. lib. 1.** Dico autem breuibus. Aut defunctus relinquit post se plures filios masculos, & subdistingue: Aut sunt puberes, & diuidunt inter se equalit̄ res expeditorias, ita tamē ut senior retineat gladium, in argumentū tutelæ & curæ. Aut filij sunt impuberes, & accipit senior agnatus res expeditorias, quas retinet usq; ad annos pubertatis filiorum. Interim autē tutor eorum est, & tempore pubertatis adueniente, restituit filijs cum omnibus quæ percepit, nisi probauerit res in eorum utilitatē uersas. **Landrecht/ libr. 1. arti. 23.** Si uerō nulli extant filij, sed plures agnati eiusdem gradus, tum illi diuidunt res expeditorias, ita tamen ut senior gladium retineat: **Landt. libr. 1. Art. 22.** Et hoc casu senior diuidit, iunior autem eligit. **Landt. lib. 3. art. 29.** Si autem neq; filij, neque agnati extiterint post tricesimum, præsentantur res expeditoriæ iudici, siue præconi, qui eas retinet per annum & diem, quo elapso, in suos usus conuertere poterit, nisi is cui debebant, iusto impedimento fuerit impeditus, ut si fuerit captiuus, uel in seruitio imperij constitutus. **Landt. lib. 1. art. 28.** Idem dic de utensilibus & cibarijs domesticis.

Pertinent autem ad res expeditorias, gladius defuncti cum ualidiori equo instructi, meliora arma pro uno equite instruendo, quæ tempore mortis defunctus possedit, lectus paratus, mensale, duæ pelues cum manutergio, et alia ad expeditionem militarem pertinentia, quæ omnia uidua defuncti præstare tenetur, si modo extant. Si uerō non extiterint in bonis defuncti, neque uidua, neque hæredes, ipsa comparare, uel æstimationem

Was zu hergergeweidt gehöret. rig. 2c.



præstare cogi possunt. Ideo si illæ res, uiuente uiro, uenditæ fuissent, & sic precium in locum eorum successisset, tam masculi, quàm foeminae agnati, uel cognati, **Spillmagen** in ijs, ex æquo, tanquam in rebus hæreditarijs succederent. **Land.** lib. 1. art. 22. Præterea si uiuente marito quædam illarum rerum loco pignoris obligatæ fuissent, neq; uidua, neq; hæredes redimere tenerentur, sed is cui de iure deberetur, poterit, si uelit, redimere. **Land.** lib. 1. art. 24. in fin.

DE REBUS HAEREDITARIIS.

Hæredi autem debentur res hæreditariæ. Et dicuntur res hæreditariæ, quæ ad donationem propter nuptias, sponsalitiæ largitatæ, utensilia, cibaria domestica, & res expeditorias non pertinet. **Land.** lib. 1. art. 24. Petuntur autem statim post tricesimum, & si tum nemo extiterit qui petat, deferuntur iudici, siue præconi, qui eas retinet per annum, & diem, hoc est, per annum, & sex integras septimanas, infra quod tempus, si hæredes non extiterint, conuertet iudex in usus proprios. **Landrecht.** lib. 1. art. 28. Sunt autem res hæreditariæ duplices. Aut enim sunt mobiles, aut immobiles. In mobilibus procedit quod iam dictum est de iudice, quia in eis habet locum annalis præscriptio. d. art. 28. lib. 1. Immobiles autem peti possunt, usq; ad terminum xxx. annorum, anni, & dierum. **Land.** lib. 1. art. 29. Et solent numerari inter res hæreditarias, omnes fundi, et libere proprietates, omne aurum & argentum, siue sit rude, & sic in massa, siue in pecunia numerata, omnes annui redditus, dimidia cibariorum domesticorū, equi, equæ, & pulli equarum, qui quæuē in curribus siue aratris possunt esse usui, boues siue sint castrati, siue non, omnia animalia masculini sexus, ut arietes, hirci, porci saginati, uellus, ephippia, frena, et alia multa, quæ supra enumerata non sunt. De quib. uide textum & glos. **Weichbildt.** artic. 26. Et ab his deducuntur primùm merces familiaræ & ministrorum usq; in diem obitus defuncti. Mercenarijs quoq; usq; in diem tricesimum provideatur, ut circumspiciant si alicubi recipiantur. **Landrecht.** lib. 1. art. 22.

Et ueniunt huiusmodi res ad hæredem cum onere, hoc est, quod ipse tenetur satisfacere creditoribus. Quæ autem actiones de iure Saxorum ad hæredem sint transitoria, & quæ non, Vide **Land.** lib. 1. art. 6. & lib. 3. art. 21. Quæ autem sit ratio succedendi, quo ad personas hæredum, infra dicemus. Si uerò decedit uir militaris, uxorem non habens, fit diuisio bonorum inter duos, inter proximum agnatum & hæredem. Proximo agnato debentur res expeditorie, secundum distinctionem proximè traditam. Hæredi autem omnia alia, quæ post restitutionem rerum expeditoriarum extiterint. **Land.** lib. 1. art. 27. Et tantum de successione in bonis hæreditarijs uiri militaris



militaris. De Feudo infra dicemus. Aut decedit uir non militaris, & non habet locum diuisio, de qua supra. Quia omnia quæ extant, ad hæredes suos masculos siue foeminas pertinent. **Land.** lib. 1. Artic. 27. Et hæredes tenentur uxori restituere donationem propter nuptias si constituta est secundum dotis quantitatem. Si autem neque dos numerata, neque donatio propter nuptias constituta fuisset, succederet uxor inops secundum ea, quæ habentur C. unde uir & uxor. De quo uide **Weichbildt.** art. 22. in glos. in uers. Nota. Et tantum de successione in bonis uirorum. Aut decedit mulier. Et dic: Aut est nobilis, & subdistingue: Aut habet maritum, & diuiduntur eius bona inter tres, inter maritum, proximas cognatas & hæredes, siue sint masculi, siue foeminae.

Marito debentur res mobiles, proximis cognatis utensilia. In quibus dic: Aut habet filias, Et tunc, si quædam maritatae sunt, quæ suam partem à matre acceperunt, & non diuidunt utensilia cum alijs, quæ adhuc sunt in domo matris. Filij autem qui clerici sunt, cum sororibus diuidunt utensilia, nisi habeant præbendas. Et est ratio; Quia clerici neq; Feudum, neq; res expeditorias capiunt, cum illa debeantur militibus. Ipsi autem non militant. Ideo in recompensationem admittuntur ad utensilia. **Land.** lib. 1. art. 5. Aut non habet filias, & tamen proximæ cognatæ utensilia diuidunt, & tenentur recipientes utensilia marito defunctæ parare lectum, quemadmodum uxore uiuente parabatur. Item mensam cum mensali, sedile cum puluinaribus. **Land.** lib. 3. art. 38. Hæredi autem debetur res hæreditaria. **Land.** lib. 1. art. 27. & art. 31.

Aut mulier militaris non habet maritum, & transmittit utensilia ad proximiorum cognatam, reliqua omnia ad hæredes. Aut decedit mulier ciuis, uel rustica. Et tunc si maritum habet, diuiduntur eius bona inter duos, inter maritum & hæredes. Maritus retinet res mobiles, Hæredes autem res immobiles & hæreditarias. Si maritum non habet, omnia pertinent ad hæredes. **Land.** lib. 1. art. 27. sumpto arg. à contrario sensu. Utensilia enim de iure scripto ad proximam cognatam de iure non transmittit, licet in multis locis de cõsuetudine quoq; utensilia debeantur. Et tatum de diuisione rerum quas defuncti post se relinquunt. Nunc de ordine succedentium dicemus.

#### DE ORDINE SVCCEDENTIVM, de iure Saxonum.

Tres sunt ordines succedentium de iure Saxonum, sicuti quoque de iure communi diximus: Descendentium, Ascendentium, & Collateralium.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE SVCCESIONE DESCENDENTIS  
tium de Iure Saxonum.

In descendentes Ius Saxonum planè concordat cum Iure civili, cum & in eo descendentes primum locum habeant, omnibus alijs ascendentes & collateralibus exclusis, filij & filiae in capita, nepotes & neptes cum patris & auunculis in stirpes succedentes. *Land. lib. 1. art. 5. & art. 17.* Et exigitur hoc Iure quoque collatio eorum, quae uivis parentibus quis acceperit. *Land. lib. 1. art. 13.*

DE SVCCESIONE ASCENDENTIS  
um de Iure Saxonum.

Secundus ordo est ascendentes. In quibus Ius Saxonum à Iure communi recedit. Nam de Iure communi fratres & sorores utrinque coniuncti, unà cum parentibus ad hæreditatem defuncti uocantur, ut supra diximus. De Iure autem Saxo. quamdiu pater extiterit, tamdiu linea collateralium penitus excluditur. Ideo diuiditur hæreditas defuncti inter patrem & matrem in capita, fratribus et sororibus exclusis. *Land. lib. 1. art. 17.*

DE SVCCESIONE COLLATERALIS  
lium de Iure Saxonum.

Tertius ordo est Collateralium. In quo sunt tres alij ordines. Primus est fratrum & sororum utrinque coniunctorum. Secundus fratrum & sororum ex uno parente. Tertius est aliorum quorumcumque qui proximiori gradu agnationis siue cognationis defuncti erant. De quibus singulis dicemus.

Fratres igitur & sorores utrinque coniuncti, defuncto, non extantibus patre & matre, succedunt, & excludunt primum auos & auias defuncti, ut colligitur ex d. art. 17. lib. 1. sumpto arg. à contrario sensu. Ibi enim nulla fit mentio aui & auiae, sed tantum patris & matris. Et addit text. Qui si non extiterint, fratres & sorores defuncti uocantur. Ita colligitur glos. Ibi. Et in hoc quoque recedit à Iure communi, cum uel auum & auiam admittat cum fratribus & sororibus, ut supra diximus. Secundò excludunt fratres consanguineos & uterinos tantum, quia illi sunt in gradu remotiores, ut colligitur ex art. 3. *Land. lib. 1.* Et est text. *Land. lib. 2. art. 20.*

Tertiò excludunt liberos fratrum & sororum suarum, quia Ius representationis de Iure Saxonum non habet locum in collateralibus. sicuti ex d. art. 17. patet. Vbi dicit text. Quando ad hæreditatem soror non pertinet, neque frater, omnes qui se in uno gradu existere probauerint cognationis, æquam in his percipiant portionem. Et probatur ex d. art. 20. lib. 2. Et in hoc quoque recedit à Iure communi.

Secundus ordo in collateralibus est, fratrum & sororum consanguini



sanguineorum siue uterinorum tantum. Et cum eis uocantur liberi fratrum & sororum ex utroque parente. *Landt. lib. 2. art. 20. & glo. art. 3. lib. 1.* Et cum his forte possent uocari auus & auia.

Postremo, quando neque descendentes extant, qui primum locum habent, neque ascendentes proximi, qui secundum locum habent, neque etiam fratres & sorores, utrinque coniuncti, qui tertium locum habent, neque etiam fratres & sorores ex altero parente tantum, siue liberi fratrum & sororum ex utroque parente, qui quartum locum habent, extant. Tum procedit regula Iuris Saxonum. *Wann sich ein erb verschwestert oder verbrüderet / die sich gleich nahe zu der sip ziehen mögen / die nemen gleich theyl daran / es sei man oder weib.* De quo in d. art. 17. lib. 1. Et prædicta procedunt in naturalibus & legitimis liberis, parentibus & fratribus. Quod enim attinet ad successionem naturalium, spuriorum, incestuosorum & similibus, seruatur Ius commune. Et tantum de successione in bonis allodialibus, siue hæreditarijs. Nunc de successione Feudi dicemus.

## DE SVCCESIONIBVS IN BONIS

### Feudalibus.

Hæc successio in Feudis proprie ad causam intestati pertinet, *Vasallus in ultima uoluntate de Feudo disponere non potest. c. unico, in principio, de success. Feud, in Feudi autem successione duo sunt ordines.*

## PRIMVS ORDO DE SVCCESIONE

### Descendentium.

In descendentibus dic: Aut sunt foeminae, siue masculi ex foeminis, ut nepotes ex filiabus. Et ad illos de feudo nihil omnino pertinet, nisi speciali pacto, siue inuestitura id acquisitum sit. *c. unico, de natur. success. Feu.* Aut sunt masculi, et illi omnibus alijs præferuntur, secundum ea quæ supra quoque in bonis allodialibus siue hæreditarijs dicta sunt, hoc est, quod filij defuncti succedunt equaliter, nepotes autem ex filio loco patris sui, non distinguendo, utrum feudum nouum, siue paternum fuerit. *d. c. Vnico, in principio de success. feud, & d. c. Vnico, de natura. suc. Feudi.*

## II. DE SVCCESIONE COLLATERALIVM.

Secundus ordo est Collateralium, qui admittuntur descendentibus non extantibus. Et in his distingue: Aut feudum est nouum, aut paternum. Si nouum est, & non admittuntur Collaterales, sed reuertitur ad dominum, descendentibus non extantibus. Nisi per inuestituram ordinatum fuerit, ut frater fratri succedat. *c. unico, de benef. frat. c. Vnico, de Feud, March, Dicitur autem*



ENARRATIONES IN INSTITVT.

autem Feudum nouum, quod de nouo acquisitum est, & non prouētum ab ascendētib. Si uerò parentum fuerit, quòd scilicet aliquis ex superioribus, siue ascendētib. acquisiuit. Et uocātur primò fratres defuncti, cum fratrum præmortuorum filijs, qui scilicet in locū patrum suorum succedunt. c. Vnico. uers. His uerò, de success. frat. Quibus deficientibus habet locum regula. Qui prior est gradu, potior est iure. d. c. Vnico. in fin. de success. feu. Et prædicta omnia procedunt in filijs, nepotibus, fratribus naturalib. & legitimis simul, hoc est, qui uerè in matrimonio nati sunt. Naturales enim spurij, & similes, nihil iuris in feudo habent. Imò & si filius naturalis legitimatus fuerit, tamen adhuc non est capax feudi, §. Naturales, si de feu. cont. fuer. int. dom. & ag. Val.

Durat autem hæc successio in feudis usq; in infinitum, hoc est, quā diu aliquis extiterit natus ex primo acquirente. d. c. Vnico, de nat. success. feu. Ascendentes autem per lineam directam, ut pater, auus & c. descendētib. non succedunt. Nam si feudum est paternum, descendentes id communiter nancisci non possunt quandiu extant ascendētes. Et sic cessat in paterno feudo. Si autem fuerit nouum feudum, ex natura eius succedunt tantum descendentes, & nulli alij. d. c. Vnico, de nat. success. feud. Nota quoq; obiter, quòd inter Ius commune, & Ius Saxonum, quod ad ordines succedentium in feudo pertinet, nulla est differentia, licet sit quædam diuersitas in simultanea inuestitura, Sed hoc nihil iam ad propositum.

SEQUITVR ENARRATIO TEXTVS.

*Aut non iure*) Acquirantur enim Testamentum non fieri, uel fieri quidem, sed non ordine iuris. l. quoties. ff. qui satisda. cog.

*Ruptum*) Ut per agnationem sui hæredis, quod fit si post Testamentum conditum posthumus nascitur, uel filius arrogatur.

*Irritum.*) Ut si testator se in adoptionem dederit.

*Aut si nemo ex eo hæres.*) Fundamentum enim, & caput Testamenti, est hæredis institutio, hæreditatis ex eo aditio.

*Ad suos autem hæredes.*) Id est, descendentes. Sui autem hæredes sunt triplices. Naturales & legitimi, legitimi tantum, & naturales legitimi.

§. Intestatorum.

Hic §. cum sequentibus usq; ad §. emancipati, continet definitionem, diuisionem, & ordinem suorum hæredum. Dicuntur autem sui hæredes, qui fuerunt in potestate morientis. Et sunt triplices, Naturales & legitimi, legitimi tantum, & naturales legitimi. Legitimitio fit tribus modis. Per dationem curiæ, per rescriptum principis, & per subsequens matrimonium. Deinde in §. Ita demum est limitatio ad

*Sui hæredes  
qui dicantur.*

*Quibus modis  
fiat legitima-  
tio.*



ad definitionem. Non enim omnes qui in potestate sunt morientis, æquè succedunt, Sed hi tantum, quos nemo gradu præcedit.

*Veluti emancipatione*) Hoc hodie sublatum est. Quia in successio- nibus non attenditur emancipatio. §. 1. In Autentico, de hæred. ab in- test. uenien. collat. 9.

*Ius enim postliminiij*) Captiuitas enim efficit, quòd Ius succedendi in suspenso est, propterea quòd patria potestas suspèditur, §. si ab ho- stibus. supra, quibus modis ius patriæ potesta. sol: Tamen si reuersus fuerit ab hostibus, admittitur ad successionem per Ius postliminiij, quod fingit eum semper domi fuisse.

*Perduellionis crimen*) Crimen perduellionis dicitur, quando quis hostili animo arma contra principem uel Remp. mouet. l. fin. ff. ad l. Iul. Maiest. Et dicitur perduellionis, quasi hostilis, cum perduelliones hostes appellentur. l. quos nos. ff. de uerb. signifi. Alios casus uide in glos. in uerbo, quod ad nostram.

§. *Cum filius filiaue.*

Hactenus dixit de successione suorum hæredum, qui sunt in pari gradu, ut filius, filia, &c. Hic autem dicit de successione eorum, qui sunt dispare in gradu, ut si quis decederet relictis post se filijs & filia- bus superstitibus, & quoq; simul nepotibus ex filio præmortuo.

*Non in capita, sed in stirpes.*) Successio in capita propriè dicitur fie- ri, quando hæreditas diuiditur secundum personarum numerum. In stirpes fieri dicitur, quando plures tantum accipiunt quàm unus, ut si extarent duo filij, & tres nepotes ex filio præmortuo, diuidere- tur hæreditas defuncti in tres partes, quarum quilibet filiorum unã haberet, & tertia pars inter nepotes defuncti filij diuiditur.

§. *Cum autem quæritur.*

Hic est casus istius §. Quidam habuit filium, & ex eo nepotem. Filium autem iustis ex causis exhæredauit, & extraneum hæredem instituit, postea filius exhæredatus moritur. Et hæres institutus non uult adire hæreditatem, uel fortè etiam moritur, ita quòd Testamen- tum est destitutum, & res peruenerunt ad causam intestati, idemq; est, ac si Testamentum non esset conditum. Hoc ergo casu quæritur, utrũ nepos ex filio exhæredato eo, scilicet, exhæredato mortuo, & Testa- mento destituito, sit auo suus hæres, nec ne? Et distingue: Aut uiuo auo ille nepos uel cõceptus, uel natus est, & fit suus hæres, quia auus decefsit intestatus. Aut est conceptus & natus post mortem aui, & suus hæres auo non efficitur, quia nullo cognationis iure auum at- tigit.

VERS. *Vnde liberi.*

Hæc bonorum possessio datur liberis emancipatis, si parens eo-



Quando cōpe rum decefferit inteltatus, Si uerò fecit teftamentum, & eos præterijt, dat prætor eis bonorum poffeffionem, contra tabulas. §. Emancipatos. fuprà, de exhæredat. liber.

Quando cōpe  
tat bonorū pof  
felfio unde libe  
ri.

§. *At ij, qui.*

Cafus.

Hic eft cafus iftius §. Si pater naturalis filium fuum, quem in poteftate habebat, emancipauerit, & emancipatus poftea in adoptionem extraneo fe dederit, quæritur, utrum etiam patri naturali fuccedat. Et diftingue: Aut manfit in adoptiua familia, & nō fuccedit patri naturali iure ifto, Aut eft à patre adoptiuo quoq; emancipatus. Et fubdiftingue: Aut emancipatus eft uiuo patre naturali, & fuccedit patri naturali de iure prætorio. Aut eft emancipatus poft mortem patris naturalis, & neq; naturali, neq; etiam adoptiuo fuccedit. Sed hæc omnia hodie funt fublata per Ius Autenticorum, quod difponit, in fucceffionibus ab inteltato non attendi neq; emancipationem, neq; patriam poteftatem.

VERS. *Quod ideo placuit.*

Id eft, fi filius adoptiuus poft mortem patris naturalis à patre adoptiuo emancipatus patri naturali fuccederet, fequeretur, quòd in poteftate & uoluntate patris adoptiui effet, utrum liberi defuncti uel eius agnati fuccederent. Nam fi pater adoptiuus filium adoptiuum emanciparet, fuccederet filius, & non agnati. Si autem non emanciparet, non fuccederet filius, fed reliqui agnati. Et fic penderet fucceffio ex alieno arbitrio, quod fieri non debet. l. Illa inftitutio. ff. de hæred. inftit.

§. *Eadem hæc obferuantur.*

Id eft, prætor dat liberis emancipatis bonorum poffeffionem duobus modis. Primò, fi in teftamento præteriti funt, dat eis bonorū poffeffionem contra tabulas. Si uerò ab inteltato quis decefferit, dat eis bonorum poffeffionem unde liberi. Sicuti autem non fuccurrit prætor liberis emancipatis in adoptiua familia exiftentibus ab inteltato, Sic quoq; non fuccurrit eis per bo. poff. contra tab. fi in teftamento præteriti fuerint. Verbo, Alia tamē parte uocari, id eft, licet liberi naturales & legitimi à patre naturali emancipati, & tempore mortis eius exiftentes in adoptiua familia, non uocentur per bonorum poffeffionem: unde liberi, uocantur tamen per bonorum poffeffionem: Vnde cognati, fuis fcilicet hæredibus & agnatis non exiftentibus.

§. *Item uetuftas.*

In hoc Paragrapho habes triplex Ius. Primum, quòd tantum liberi ex filijs uocabantur inter fuos hæredes. Nepotes autem & nepotes ex filiabus, non inter fuos hæredes, fed inter cognatos uocabantur.



bantur. Secundum Ius erat, quo disponebatur illam differentiam inter nepotes esse tollendam. Hac tamen ratione, ut nepotes & neptes ex filiabus admittantur, unà cum nepotibus ex filijs ad eam partem quam mater eorum accepisset, cum diminutione tamen tertiæ partis. Tertium Ius & nouissimum est, quòd nulla habetur ratio sexus, Sed nepotes ex filiabus æquè uocantur, ut nepotes ex filijs.

DE LEGITIMA AGNATORVM SVC-  
cessione. Tit. II.

**I**URE ueteri tres erant gradus hæredum. Primò sui hæredes. Secundò agnati, hoc est, iuncti per masculos, qui uocabantur secundo loco, suis hæredibus scilicet deficientibus. Tertio deficientibus suis hæredibus & agnatis, uocabantur cognati. Hic autem titulus loquitur de secundo gradu, de agnatis scilicet, qui dicuntur legitimi hæredes, quasi à lege, & non à natura introducti. Est autem totus titulus per Ius Autenticorū correctus, ut §. 1. in Autentico, de hæred. ab intesta. uenien.

*Lex facit illud  
discrimen inter  
agnatos & co-  
gnatos, non na-  
tura.*

VERS. *Item si quis ex cæteris.*

Hodie filius adoptiuus, quo ad consanguineos patris sui adoptiui, habetur pro extraneo. Ideoque nulli ex familia succedit, excepto patre.

§. *Cæterum inter masculos*

Hic Paragraphus continet quatuor Iura. Primo ponit mediam Iurisprudentiam, qua restricta erat successio agnatorum, ita ut agnatæ, id est, fœminæ nobis iunctæ per masculos, ultra sorores non succederent. Secundo ponit Ius prætorium, quo disponebatur agnatas fœminas, ultra sorores, admitti per bonorum possessionem: Vnde cognati, id est, tertio loco. Tertio ponit l. 12. tabul. quæ uocabat pariter ad successionem tam agnatos, quàm cognatos, etiam ultra sorores. Quartum Ius est constitutio Iustiniani, qui illam successionem reduxit ad l. 12. tab. & disposuit omnes agnatos per uirilem sexum, etiam ultra sorores ad successionem admitti. Tu adde quintum Ius Autenticorum, & nouissimum, quo cauetur tam masculos, quàm fœminas indistinctè admittendos ad successionem, sublata omni differentia agnationis & cognationis, ut in tit. de hæred. ab intest. ueniēt. collat. 9.

*Quatuor Iura.*

§. *Hoc etiam addendum.*

Ius uetus post suos hæredes uocabat tantum agnatos. Filios autè & filias sororum non uocabat, quia erant cognati, & sic tertio loco. Imperator autem in hoc §. & hoc ipsum Ius emendat, disponēs filios sororum, licet sint cognati, quoq; ad successionem uocandos.

*Ius uetus.*



§. *Placbat autem.*

Successorium  
edictum.

De ordine in  
ordinem suc-  
cessio.

De persona in  
personam suc-  
cessio.

Nota. Hodie de  
persona in per-  
sonam successo-  
rium edictum  
locum habere.

*Sucessionem.*) Id est, successorium edictum, quod propriè dicitur, quando unus ordo succedentium deficit, uel recusat hæreditatem adire, & sequens ordo uocatur. Exempli causa: Sui hæredes sunt primi ordinis, qui si abstinuerint ab hæreditate, uocantur agnati. Agnatis quoq; recusantibus uocantur cognati. Et hoc dicitur de ordine in ordinem. Deinde eo quoq; utimur, de persona in personam, ut si filius recusat, admittitur nepos, ex successorio edicto. Item, si frater uel soror recusant, admittuntur liberi ex eis, & aliæ personæ eiusdem ordinis. Olim autem proximo agnato recusante, sequens in ordine nõ admittebatur, sed uocabantur cognati, exclusis reliquis agnatis. Quod postea Prætores corrigentes, disposuerunt agnatos remotiores gradu, unà cum cognatis admittendos. Quia autem & hæc correctio insufficiens uidebatur Iustiniano, sustulit eam, disponens successorium edictum de persona in personam in agnatis sequentibus, proximo recusante, locum habere. Et hoc inde colligit. Deficiente proximo agnato, qui pupilli Tutor esse debebat, uocatur sequens agnatus ad tutelam, exclusis cognatis. Ergo deficiente proximo agnato, qui debebat uocari ad hæreditatem, uocatur sequens agnatus, exclusis cognatis. Tenet consequentia, quia ubi est onus, ibi quoque debet esse commodum. Sed penes agnatos etiam remotiores, onus est, tutelæ scilicet, Ergo etiam commodum, id est, successio penes eos esse debet, exclusis cognatis.

*Sucessionem non esse.*) Scilicet si proximior agnatus recusabat hæreditatem adire, non admittebatur alius agnatus ex eodem ordine, sed cognati uocabantur.

§. *Ad legitimam.*

Videtur quòd pater, qui filium emancipauit, ei non possit succedere, quia pater est agnatus filij &c. Agnatio autem etiam minima capitis diminutione tollitur. §. Sed agnationis, suprà, de legiti. agnat. tutel. Emancipatio autem est minima capitis diminutio. §. Minima. suprà, de capitis diminut. Ergo &c. Sed ad hoc responde, quòd text. in d. §. Agnationis, non dicit simpliciter agnationem tolli per capitis diminutionem, sed utitur uerbo, plerunq;, propter patrem & fratrem, qui etiam iure ueteri emancipati succedebant. Sed de hoc hodie non est quærendum, cum emancipatio in successione nihil officiat.

*Contracta fiducia.*) Id est, Etiam si pater in emancipatione filij non dixerit: Reseruo mihi in bonis eius ius succedendi. Nihilominus tamen succedit, quia semper præsumitur dictum esse.



DE SENATVS CONSVLTO TER-  
tulliano. Tit. III.

**Q**VIA agnati in successione præferebantur cognatis, ut dictum est, & mater est cognata filij, uidebatur quoque existentibus agnatis, ad successionem filij nõ sit admittenda. Ideo in hoc titulo ponitur speciale beneficium matribus concessum. Primõ ut excludant agnatos. Deinde si tantum sorores defuncti extiterint cum matre, mater habebit dimidiam, & sorores omnes alteram dimidiam. Si uerõ unã cum matre, fratres & sorores superstites extabant, fiebant secundum illud Ius successio in matrem, fratres & sorores in capita. Quomodo autem mater hodie succedat filio, uide quæ supra diximus. In hoc titulo habes quinque Iura. Primõ Ius 12. tab. qd usq; adeo excluderat fœminas, quod etiam agnatos matribus præferret. Secundum est Ius prætorium, quod uocabat matres tertio loco per bonorum possessionem, unde cognati. Tertium est constitutio Claudij, quæ tribuebat matribus successione in bonis illorum liberorum, qui in acie principis perierant. Quartum est S. C. Tertullianum, quo disponebatur matrem ingenuam quæ ter, & matrem libertinam, quæ quater peperisset, ad successione defunctorum filiorum aut filiarum admittendam. Quintum est constitutio Iustiniani, quæ matrem admittit in successione filij, exclusis agnatis, cum distinctione tamen, quæ est in § Sed cum antea, utcumq; tandem defunctum uel defunctam pepererit.

*Beneficium**Quinq; Iura habentur in isto titulo.*

## DE S. C. ORIFITIANO. Tit. III.

**I**N titulo præcedenti dictum est de successione matrum in bonis liberorum, In hoc autem tit. quibus modis liberi uicissim succedant matribus, tractatur. Cum autem communis regula de Iure antiquo fuerit, quod in successione primo loco uocabantur sui hæredes, secundo agnati, tertio cognati, Et matres ac filij sint inter se cognati, & non agnati, Sequitur illos duos titulos, de S. C. Tertulliano, de S. C. Orifitiano, fuisse fallentias ab illa regula, & casus speciales.

*Regula anti-qua.*

*Ex lege 12. tabu.)* Agnatorum, Ratio est, quia lex 12. tab. tantum respiciebat agnationem, quæ minima cap. dimi. hoc est, emancipatione, uel adoptione tolli poterat. Nouum autem Ius, ut S. C. respicit tantum cognationem, & sic Iura sanguinis, quæ capitis diminutione minima tolli non possunt. § si. sup. de legit. agnat. tur.

Q. iij



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE SVCCESIONE COGNATO-

rum. Tit. V.

**H**IC titulus continet tertium ordinem hæredum iuris ueteris, sua  
cessionem scilicet cognatorum, deficientibus suis hæredibus &  
agnatis.

DE GRADIBVS COGNATIONVM.

Tit. VI.

**C**ONSANGVINITAS est uinculum personarum ab  
eodem stipite descendendum, carnali propagatione con-  
tractum. Et dicitur cōsanguinitas, quasi sanguinis unitas.  
Et habetur eius ratio circa successiones, tutelas, & matri-  
monia. In successione enim & tutelis plerunq; proximi sunt po-  
rioris iuris, & excludunt remotiores. E contra autem in matrimonijs  
contrahendis posteriores gradu sunt tutiores, & proximi repelluntur.  
Discretio autem illorum ex arbore depicta deprehenditur.

DE ARBORE.

Arbor primum  
excogitata.  
Arbor duplex.  
Arbor Canonica.  
ca.

Est enim arbor primum excogitata, ut esset primum quasi quædã  
demonstratio ad oculum, secundum quam personarum distantiã mu-  
tuò inter se discernerentur. & Agnationis, hic tit. nostro. Estq; duplex,  
arbor ciuilibis, & arbor Canonica. Arbor Canonica est, que spectat ad  
matrimonia, c. Ad sedem. 35. q. 5. De qua supra dictum est in titulo  
de nuptijs.

DE ARBORE IURIS CIVILIS.

Arbor Ciuilibis.  
In quibus con-  
ueniunt arbor  
ciuilibis ex ar-  
bor canonica.

Arbor ciuilibis est, quæ spectat ad successiones & tutelas. I. Iuris cõ-  
sultus, in principio. ff. de grad. aff. Et licet illæ duæ arbores, in qui-  
busdam differant, In quibusdam tamen quoq; conueniunt. Primum  
enim conueniunt in eo, quòd utraq; arbor habet lineas & gradus.  
Quid autem sit linea, item quid sit gradus, dictum est supra in titulo  
de nuptijs.

Secundò conueniunt arbor Iuris ciuilibis & arbor Canonica, quòd  
utrinq; est eadem regula in ascendentibus & descendentibus, utroq;  
enim Iure pater & mater in linea ascendentium, filius & filia in linea  
descendentium sunt in primo gradu. Et sic deinceps. Quia in ascendē-  
tibus & descendentibus potest primus gradus constitui etiam in Iure  
ciuili. I. I. in principio. ff. de grad. affinit.

In quo differat  
arbor ciuilibis  
ab arbore cano-  
nica.

Differat tamen arbor Ciuilibis ab arbore Canonica, quia in arbore  
ciuili in collateralibus non constituitur primus gradus. d. l. 1. in  
principio. ff. de grad. affinit. De Iure uerò Canonico constitui po-  
test. d. c. Ad sedem. 35. qu. 5. ut frater & soror sunt proximi collate-  
rales.



rales, & tamen de Iure ciuili in secundo gradu sunt, De Iure uerò Canonico sunt in primo gradu. Et ratio istius differentiae sumitur ex regula Iuris ciuilis, quæ dicit, Quòd unaquæque persona adiecta, constituit nouum gradum. Hactenus, hic titulo nostro. Ideo quia ego sum patri meo in primo gradu, si nascitur postea alius ex eodem patre soror uel frater, ex generatione istius causatur nouus gradus, & per consequens appellatur secundus. Ius uerò Canonicum hoc non considerauit, sed tantum illud quòd duo fratres, aut duæ sorores tribuunt initium transuersali lineæ, & ideo in primo gradu illius lineæ eos constituit.

Secunda differentia est, quæ in Iure ciuili traditur regula, Quòd in linea transuersali sola persona adiecta facit nouum gradum, ut diximus. Quia Ius ciuile numerat gradus, quo ad successiones & tutelas. Successio uerò & tutela deferuntur de una persona ad aliam. Merito ergo quælibet persona in collateralibus, constituit nouum gradum. Sed Iure Can. regula est, Quòd ad causandum nouum gradum, requiruntur duæ personæ. Et est ratio, quia Ius Canonicum numerat gradus ratione matrimonij. Sicuti ergo nuptiæ requirunt duas personas, sic quoque duæ personæ simul de Iure Canonico constituunt unum gradum. d. c. Ad sedem. 35. q. 5. ut frater & soror, de Iure Canonico constituunt primum gradum, Consobrini & patruales secundum, sobrini tertium, filij sobrinorum quartum gradum.

Priusquam tradamus regulas, hoc obseruari oportet, cellulam uacuum, quæ scilicet continet imaginem, nec habet proprium nomen, uocari Petrutium, & haberi in linea ascendentium respectu superioris, pro filio, & in linea descendentium pro patre, respectu uerò fratris & sororis, pro patre & sorore etc. Omnes uerò cellule sumunt nomen à Petrutio illo, exceptis illis quæ per genituum exprimuntur, quales sunt fratris filius, sororis nepos. Fingitur enim Petrutius quasi persona quædam, cui cæteræ in cellulis nominatis cognatæ & agnatæ sunt. Secundo obseruabis in ascendētibus, & descendētibus, poni utrunq; sexum in eadem cellula, ut patrem, matrem, auum, auiam, filium, filiam, nepos, neptis, Et in lateribus consanguinitatem esse separatam, ita quòd agnati, id est, iuncti per masculos, sunt in dextero latere arboris, & cognati iuncti per fœminas in sinistro latere. Tertio notabis, Arbores habere communiter duplices numeros in singulis cellulis, superiores, & inferiores. Superiores denotant gradus secundum arborem canonicam. Inferiores uerò secundum arborem ciuilem.

Regula Iuris ciuilis.

Regula Iuris Canonici.

Schwester und brüder kinder.

Arbores duplices habere numeros.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
SEQVNTVR REGVLAE, PRIMA REGVLA,  
de Ascendentibus & Descendentibus.

Quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermedijs, una dempta, tot sunt gradus inter eas, Exempli causa. Quando quæritur quoto gradu distat ab auus à Petrutio, numerantur quinque personæ, deme unam, & remanent quatuor, tot ergo gradibus inter se distant, Ita quoque si quæritur quoto gradu distet filius ab abnepote, habebis quatuor personas, deme unam, & efficitur tertius gradus. Item quando quæritur quoto gradu distet pronepos à proauo, numerantur sex personæ, (& in illa numeratione potest præteriri Petrutius, si placet,) si uerò placuerit numerare, habetur pro patre, & cellula patris pro auo, cellula uerò aui pro proauo, deme unam, & remanent quinque, sunt ergo in quinto gradu. Addunt autem rationem à simili, quod in ascendentibus & descendentibus una persona semper abundat. Quia sicuti una columna non constituit fenestram, ita una persona non constituit gradum. Duæ autem columnæ coniunctæ constituunt unam fenestram, & tertia adiecta, duas, quarta tres. Sic quoque duæ personæ unum gradum, tres, duos gradus, & quatuor tres constituunt.

SECUNDA REGVLA IN COLLATERALIBUS,  
in linea æquali.

Tot sunt gradus, quot sunt personæ, stipite dempto. Est autem stipites ea persona, à qua cæteræ omnes, de quibus quæritur, descendunt & originem trahunt. Ut frater & soror sunt in secundo gradu, quia numerata cum eis stipitem, hoc est, patrem, & habes tres personas, deme nunc stipitem, & remanent duæ, quæ constituunt secundum gradum. Item quando quæritur quoto gradu distent inter se patruales & consobrini, numerando habes quinque personas cum stipite, deme stipitem, & efficies quartum gradum. Sic sobrini distant à se mutuo sex gradibus, filij sobrinorum octo gradibus. Tot enim ubique personas habebis, si stipitem ademeris.

TERTIA REGVLA, DE COLLATERALIBUS,  
in linea inæquali.

Eadem est regula hic quæ fuit supra in linea æquali, nempe, Quot sunt personæ, tot sunt gradus, stipite dempto, ut si quærat, quoto gradu sint patruus & pronepos, numerabis sex personas, deme stipitem, id est, eam personam à qua patruus & pronepos originem trahunt, & remanent quinque, sunt ergo in quinto gradu. & sic de similibus. Diximus supra arborem ciuilem pertinere ad successiones & tutelam. Est autem in successione tum demum eius usus, quando nec descendentes, nec ascendentes, nec etiam fratres & sorores, fratrum  
quæ &



que & sororum liberi extant. Tum enim & non antea habet locum regula: Qui prior est gradu, potior est iure. Illa ergo graduum discretio, ex regulis quas de arbore tradidimus, deprehendi potest. Ponamus autem exempla: Pone Petrutius decedit, relictis post se liberis patrum, & liberis auunculi, quæritur quis succedat, & cõclude eos simul succedere, quia pari gradu defuncto iuncti erant, nempe quarto. Aliud exemplum in linea inæquali: Petrutius decessit, & reliquit post se patrum nepotem, & neptem sororis, quæritur uter succedat, & numerandi sunt gradus. Prior enim posteriorem excludit, & inuenies patrum nepotem distare à Petrutio quinto gradu, quia sunt sex personæ. deme stipitem, & manent quinque. Neptis uerò ex sorore quarto gradu distat. Excludit ergo in successione nepotem patrum, quia gradu præcedit.

#### DE ARBORE IURIS CANONICI.

Quia hæc arbor nõ ad successiones & tutelas, ut superior, sed ad matrimonia pertinet, ideo dantur peculiare regulæ. Est autem duplex arbor Canonica. Arbor consanguinitatis, & affinitatis.

#### DE ARBORE CONSANGVINITATIS,

##### Regula I.

In ascendentibus & descendentibus nulla est differentia inter ius Canonicum, & Ciuile. Datur enim eadem regula utrinque. Tot sunt gradus, quot sunt personæ, connumeratis intermedijs, una dempta.

#### SECUNDA REGVLA, DE COLLATERA-

##### libus, in linea æquali.

Quoto gradu utraq; persona distat à communi stipite, eodẽ gradu etiam distant inter se, ut exemplum: Patruales & consobrini distant à se mutuo secundo gradu, quia numerando ad stipitem, quilibet distat ab eo secundo gradu. Ergo etiam inter se secundo gradu distant. Item liberi sobrinorum distant inter se quarto gradu, quia utrinque distant à stipite quarto gradu. Ergo etiam inter se distant eodem.

#### TERTIA REGVLA, IN LINEA INÆQUALI:

Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem gradu distant inter se. c. ultimo, extra de consang. & affinita. Exemplum: Patruales & sobrini sunt in tertio gradu, quia sobrini sunt remotiores, & distant à stipite tertio gradu. Ergo etiam à patruelibus eodem gradu distant, licet patruales sint tantum in secundo gradu à stipite.

#### ALIUD EXEMPLVM.

Nepos Petrucij distat à filia patrum omnino tantum in 4. gradu, quia tot sunt personæ usque ad stipitem, quare eodem gradu inter se distant. Notabis autem matrimonia usque ad quartum gradum



dum inclusiuè prohibita esse. In quinto autem gradu permittuntur. c. non debet. extrà, de consanguini. & affinit. Potest tamen dispensari in matrimonijs quarto gradu contractis. Reliquas regulas arboris affinitatis, uide supra de nupt.

*Propior sobrinus.*

*Propiores.* Ut text. hic intelligas, dic sobrinos esse duplices: Propiores & remotiores. Propiores sobrini sunt liberi patruui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, & materteræ magnæ, ut §. nostro. Remotiores uero sunt liberi consobrinorum uel patruelium, ut hic §. Sexto gradu.

DE SERVILI COGNATIONE.

Tit. VII.



VPRA tradidit Imperator de Iure cognationis in liberis hominibus. Quia autem de Iure naturali inter seruales personas quoque cognatio oritur, dubitatur utrum etiam sibi inuicem succedant. Et primo certum est, durante seruitute, successionem non esse permissam, cum successio Iuris civilis sit. Serui autem de Iure civili habentur pro nullis. l. seruitutem. & l. quod attinet. ff. de reg. Iur. Si autem libertatem fuerint consecuti, admittuntur hodie in successione. Et primo descendentes, quibus deficientibus ascendentes & collaterales, excluso patrono. Sed totus iste titulus non est in usu, quia hodie non habemus seruos.

*Ius patronatus.*

*Iure patronatus.* Ius patronatus, de quo hic loquimur, est Ius quod retinet patronus in persona & bonis manumissi.

DE SVCCESIONE LIBERTORUM.

Tit. VIII.



*Libertus.*

*Patronus & libertus duo correlatiua.*

HIC Tit. non est in usu, quia non habemus seruos, & sic per consequens nec libertos. Seruitus enim de Iure consuetudinario apud Christianos est sublata. Dicitur autem Libertus qui ex iusta seruitute manumissus est, alioqui etiam libertinus dicitur, sed respectu patroni dicitur proprie libertus, quia patronus & libertus sunt duo correlatiua, sicut pater & filius. Patronus itaque manumittendo seruum, retinet tantum ferè Iuris in bonis liberti, quantum pater emancipando in bonis filij, uidelicet quod nanciscitur eius tutelam, si impubes fuerit, & succedit ei decedenti, siue suis hæredibus &c.

*Legitima patroni in bonis liberti.*

*Sed ad cohæredes eorum hoc onus redundaret.* Tertia pars debetur patroni sine omni onere, adeo quod si libertus in suo testamento quid legauerit, illud legatum non soluitur ex tertia parte patroni, sed ex reliqua parte hæreditatis.

DE



DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

Tit. X.

**I**N hoc Tit. habes secundum modum, quo rerum domi-  
nia per uniuersitatem acquirimus, uidelicet agnitione  
bonorum possessionis. Est autem bonorum possessio  
Ius Prætorium, propter quod prosequimur & retine-  
mus patrimonium, siue rem, quæ cuiusque, cum is moritur, fuerit. l.  
iij. §. bonorum. ff. de bono. poss. Est itaque una dictio, sicuti hæredi-  
tas uel paterfamilias. Dico in definitione Ius, ad differentiam posses-  
sionis bonorum, de qua supra de usucap. Quæ licet etiam sit Ius, ta-  
men non est merum Ius, cum consistat in facto. Diximus enim in de-  
finitione: Possessio est Ius insistendi rei corporali &c. Insistendi au-  
tem rei corporali utiq; factum continet, quare illa possessio facti &  
non Iuris esse dicitur, sed tamen tribuit Ius. Dicitur enim possessio,  
quali pedum positio. l. i. ff. de acq. poss. sed hæc bonorum possessio,  
de qua hic loquimur, est res incorporalis tantum in Iure consistens,  
sicuti hæreditas, dominium &c. Nam Ius quod in bonis defuncti, uel  
ex testamento, uel ab intestato consequimur, uocatur de Iure civili hæ-  
reditas. De Iure uero prætorio bonorum possessio. Prætorium uero  
dico, ad differentiam hæreditatis. Hæreditas enim Iuris civilis nomen  
est, bonorum possessio autem Iuris Prætorij nomen est. Dico pro-  
pter quod prosequimur, ad differentiam bonorum possessoriæ hæ-  
reditatis petitionis. Bonorum possessoriæ hæreditatis petitio enim  
actio est, qua id petimus, quod nobis ex eo quod bonorum posses-  
sionem agnouimus, debetur. Bonorū autem possessio non est actio,  
uel instrumentum agendi, sed est causa istius actionis, sicuti domini-  
um est causa rei uendicationis. Non enim dicimus: ago bonorum  
possessione unde liberi, uel unde cognati. Sed ita: ago bonorum pos-  
sessoria hæreditatis petitione, quia bonorum possessionem, unde li-  
beri &c. coram Præatore agnouī. Vide glo. in l. iij. in uerbo, Ius perse-  
quendi. ff. de bono. poss. Dico prosequimur, ad differentiam hæredi-  
tatis, quia eam consequimur nuda uoluntate. §. fin. supra. de hæred.  
qual. & diffe. Sed in bonorum possessione requiritur, ut coram præ-  
tore eam agnoscamus, & is suum decretum interponat. d. l. 3. §. si cau-  
sa. ff. de bono. poss. Sunt autem & aliæ differentie inter bonorū pos-  
sessionem & hæreditatem. Primò, quod hæreditas potest peti infra  
spacium 30. annorum. l. licet, cum ibi notat. C. de Iure delib. Bonorū  
autem possessio à liberis intra annum petenda est, ab agnatis uero &  
cognatis centum dierum spacio. §. Cum igitur, hic titulo nostro. Se-  
cundò, hæreditatem prosequimur per actionem, quæ petitio hæredi-  
tatis uocatur. Bonorū autem possessionem per actionē, quæ uocatur  
possessoria

Bonorum pos-  
sessio quid sit.

Bonorum pos-  
sessorie hære-  
ditatis petitio.

Differentia in-  
ter bonorū pos-  
sessionem &  
hæreditatem.



possessoria hæreditatis petitio. In effectu tamen nulla est differentia inter hæreditatem, & bonorum possessionem, quia illud idem consequimur ex hæreditate, cum bonorum possessores uice hæredum habeantur. l. ij. ff. de bono. poss. Sunt autem bonorum possessiones duplices, Ordinaria & extraordinaria.

Ordinaria est, quæ stabilita est certa parte edicti Prætoris, & diuiditur in bonorum possessionem, quæ datur ex Testamento, & eâ quæ datur ab intestato.

Ex Testamento duæ dantur bonorum possessiones. Prima dicitur secundum tabulas, quæ datur hæredibus scriptis in Testamento, & eis deficientibus substitutis &c. l. ij. §. defertur. ff. de bon. poss. secundum tab. Secunda bon. poss. ex Testamento datur contra tabulas, & datur liberis naturalibus, & legitimis sine iusta causa exhæredatis, uel præteritis à matre, uel auo materno, siue sint nati, siue sint posthumi, siue in potestate morientis constituti, siue emancipati: & arrogatis, id est, legitimis tantum, quia in potestate fuerunt morientis. l. i. in principio. ff. de bon. poss. contra tab. §. Emancipatos, supra de exhæredat. lib.

Ab intestato autem dantur quatuor bonorum possessiones. Prima est, unde liberi. II. Unde agnati. III. Unde cognati. IIII. Unde uir & uxor.

Ad unde liberi, admittuntur liberi naturales & legitimi indifferenter, siue in potestate fuerint, siue emancipati, siue etiam sine iusta causa exhæredati, uel præteriti à matre, uel auo materno. Item liberi arrogati, non tamen emancipati. Et admittuntur secundum ordinem, de quo supra, quod scilicet filius excludit nepotem, ex se natum, & sic deinceps.

Unde agnati, & unde cognati, olim separatæ erant, cum agnati haberent prærogatiuam præ cognatis. Hodie autem idem est, cum prærogatiua agnationis sit sublata, & admittuntur ad illam bonorum possessionem liberis deficientibus.

Unde uir & uxor, competit illis, qui legitimum matrimonium contraxerunt, sed tum demum eis datur, quando nec ascendentes, nec descendentes, nec etiam cognati extant, nisi coniunx præmoriens locuples fuisset, & superstes pauper. Tunc superstes unâ cum liberis defuncti succederet iuxta formam Autenticæ, præterea. C. Unde uir & uxor. Et prædictæ bonorum possessiones tribuunt ius in proprietate, id est, dominio & possessione, & conceduntur cum plena causæ cognitione.

#### DE EXTRAORDINARIA BONORVM possessione.

Extra-



Extraordinaria bonorum possessio est, quæ non est stabilita certa parte edicti, Et subdividitur. Nam quædam est quæ conceditur cum causæ cognitione, & tribuit quoque ius in proprietate & possessione, quædam uerò sunt quæ conceduntur sine causæ cognitione, Et tribuunt tantum ius in possessione, non autem in proprietate.

Prima extraordinaria bonorum possessio est, quæ competit quoties ex nouis ll. datur hæreditas ex testamento, uel ab intestato. Et dicitur extraordinaria, quia non habet certam sedem, sed interdum datur ex testamento, interdum uerò ab intestato. Exemplum: Si quis esset captus ab hostibus, & illic moreretur, datur eius bonorum possessio, id est, hæreditas, nõ secus ac si domi esset mortuus, propter l. Corneliã, quæ fingit eum mortuum ante captiuitatem. l. lex Cornelia. ff. de uulg. & pupil. subst. Et hæc bonorum possessio extraordinaria dicitur primùm, quia datur ex noua lege, hoc est, ex l. Cornelia. l. iij. §. Dari. ff. de bo. poss. l. Nec nos. C. de capt. & postli. reuers.

Extraordinaria quare dicitur.

Secundò hoc casu ex l. 12. tab. nemo uocatur ad successionem capti, & apud hostes mortui, quia per captiuitatē quis efficitur seruus, & seruus de iure 12. tab. habetur pro nullo, nec potest habere hæredem. l. seruitutem. & l. quod attinet. ff. de reg. iur.

Tertiò hæc bonorum possessio nõ comprehenditur sub istis quæ dantur ex Testamento, neque etiam sub illis quæ dantur ab intestato, sed promiscuè datur, siue quis decedat cum testamento, siue sine Testamento. Si enim captus fecit Testamentum, ante captiuitatē, & postea apud hostes moritur, datur bonorum possessio ex testamento. Si uerò sine Testamento decesserit apud hostes, datur extraordinaria bonorum possessio ab intestato. d. l. iij. §. dari. ff. de bon. poss. Et sic uides illam bono. possessionem, non esse comprehensam in tertio loco edicti prætoris, cum non detur necessariò ex Testamento tantum, ut bo. poss. cõtra tabulas, nec etiam ab intestato tantum, ut unde liberi, uel unde cognati &c. Sed interdum ex Testamento, interdum uerò ab intestato, prout res postulauerit.

Extraordinariæ autem bo. poss. quæ tantum ius in nuda possessione, siue dominio tribuunt, sunt tres.

Prima est Carboniana, quæ datur quando filio impuberi nõ instituto, nec ex hæredato, sed præterito, status controuersia mouetur ab eo, qui paterna bona possidet, quasi non fuerit filius defuncti, tunc enim mittitur impubes in bonorum possessionem defuncti, quam retinet donec causa filiationis fuerit decisa, & differtur illa decisio usque ad tempus pubertatis. l. i. in principio. ff. de Carbo. edicto. Et datur hæc bonorum possessio omnibus quibus datur bonorum possessio contra tabulas, uidelicet, omnibus liberis in bonis paternis &c.

R



Secunda est, quæ datur uxori nomine uentris. Nam si quis de-  
cedit, relinquens post se uxorem, quæ afferit se grauidam ex de-  
functo, mittitur illa in bonorum possessionem defuncti, quo us-  
que constat utrum conceperit ex eo, nec ne. l. Vbi cunq. ff. de uē-  
tre in posses. mitten. Et sic istis duob. casibus consequuntur tan-  
tū nudam possessionem, sine aliqua proprietate, & dominio.

Tertia est quæ datur gratia litis agnoscendæ, id est, querelæ  
intentandæ, quæ secundum Iaso. dat filio emancipato, ex herē-  
dato, uel præterito à matre facultatem, ut admittatur de Iure ciui-  
li ad querelam inofficiosi testamenti, ad quam alioqui non ad-  
mitteretur. Cū illa querela sit Iuris ciuilis, & Ius ciuile emanci-  
pato non agnoscit. Ideoq. hæc bonorum possessio est quasi  
præparatoria ad querelam inofficiosi Testamenti. l. Papinianus.  
§. 1. ff. de inoff. Testa. Vide Iaso. in l. Certum. C. Vnde legit. Et  
tantum de diuisione bonorum possessionis.

Potest autem quæri, utrum bonorum possessiones sint subla-  
tæ per noua Iura. Et uidetur quòd sic, quia hodie est sublata dif-  
ferentia emancipationis patriæ potestatis, agnationis & cogna-  
tionis, quæ erant causæ, quare inducerentur bonorum possessio-  
nes. Et sic cessante causa, uidetur cessare effectus. Tamen glos. &  
Doct. contrariū decidunt, uidelicet quòd non sint sublata, quia  
nusquam reperitur illa Iura expressè correctæ esse, et uitanda est  
legū correctio, quare si quis uelit, posset etiam hodie bonorum  
possessione uti. gl. Bart & Doct. in d. l. Certū. C. Vnde legitimi.

Utrum autem bono. possessiones sint necessariae, uideamus.  
Et primò de bonorum possessione secundum tabulas, circa quā  
est communis conclusio, quòd nec olim, nec hodie sit necessaria,  
sed uoluntaria. Quia institutus hæres poterat adire hæredita-  
tem ex Testamento de Iure ciuili, si uolebat, uel de Iure præto-  
rio per bono. possessionem, secundum tabulas. Ergo liberum erat.  
Hoc tamen fallit in quibusdam casibus, in quibus & olim, & ho-  
die bonorum possessio secundum tabulas est necessaria. De qui-  
bus uide Bald. super Rubr. C. qui admit. ad bono. posses. et An-  
ge. suprā, de exhæredat. libero. in princ.

*Fallentia.*

Bonorum possessio contra tabulas, sicuti olim, ita & hodie  
necessaria est, in liberis scilicet emancipatis, ut diximus, qui sunt  
exheredati uel præteriti. Vide Iaso. in l. Certū. C. Vnde legitimi.

Videamus nunc, utrum bonorū possessiones ab intestato sint  
necessariæ. Et primò quod ad bono. possessionē: unde liberi, atti-  
net, dic, quòd olim fuit necessaria liberis emancipatis, q̄a de iure  
ciuili



ciuili non admittebantur. §. emancipati. *suprà*, de hæred. quæ ab intesta. Hodie uerò nemini est necessaria, cum etiam emancipati liberi hodie de iure ciuili succedant. §. Si quis igitur, in Autentico, de hæredib. ab intesta. uenientib. collat. 9. Secunda: unde agnati, uel unde legitimi, & tertia: unde cognati, hodie non sunt necessariae. Quia differentia agnationis & cognationis hodie est sublata per Ius Autenticorum. §. Si uerò neq; in Autentico, de hæred. ab intest. uenien. Olim tamen, unde cognati, necessaria erat. Quarta: unde uir & uxor, sicuti olim fuit necessaria, ita & hodie. Quia de iure Ciuili coniuges sibi inuicem non succedunt, etiam cognatis & agnatis deficientibus. Prætor tamen dat eis bonorum possessionem, excluso fisco. l. 1. cum ibi nota. C. unde uir & uxor. Et breuiter ubicunque quis potest esse hæres de iure Ciuili, ibi nulla bonorum possessio est necessaria. Et econtrà, ubi quis non potest esse hæres de iure ciuili, ibi bonorum possessiones necessariae sunt. Qui autem illi casus sint, ex superioribus pete. Et sic habes, quòd quædam sunt necessariae, quædam uerò uoluntariae & utiles.

Bonorum possessiones extraordinariae, sicuti olim, ita hodie quoq; sunt necessariae, secundum communem Docto. opi. Et maximè ea, quæ datur gratia litis agnoscendæ, hodie necessaria est liberis emancipatis, uel in testamento præteritis, uel exhæredatis, qui aliter querelam intentare non possunt. Licet enim ab intestato sit sublata differentia emancipationis, condito tamen testamento, adhuc durat. Vide glo. Bar. & Iaso. in d. l. Certum. C. Vnde legitimi.

Est & alia diuisio bonorum possessionum. Nam quædam dicitur Edictalis, quædam uerò Decretalis. Edictalis est, quæ quis potest habere ex edicto Prætoris mortui, sed à Iudice uiuo nondum petita. Decretalis uerò est, quæ intra præscriptum tempus à iudice uiuo petita est. Hodie enim decretum Prætoris non requiritur, sed satis est, coram quouis Iudice bonorum possessionem agnoscere. l. fin. C. qui admit. ad bono. poss. possunt. §. fin. hic tit. nostro.

Causa efficiens bonorum possessionis est prætor, ut hic in princ.

Causa autem impulsua, quæ mouit Prætozem, est breuitas & durtia Iuris ciuilis circa successiones, quod Prætor suppleuit, emendauit & confirmauit, tam ex testamento, quàm ab intestato.

Primum enim quum l. 12. tabu. de successioneibus ab intestato disponeret, adeo succinctum erat, ut ne quidem matres in bonis filiorum, nec alios quoscunq; cognatos admittebat, sed tantum suos hæredes, & agnatos uocabat, ut *suprà*, de S. C. Tertullia. in principio. §. Intestatorum, *suprà*, de hæredi. quæ ab intestat. defer. & *suprà*, de legit. agnat. successio. in princip. Ideo primum S. C. Tertullianum &



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Orificianum suppleuerunt quæ deeerant legi 12. tabul. disponentia matres ad successionem filiorum, exclusis agnatis: & ecōtrā filios ad bona matrum admitti. Quia autem cognatis neq; adhuc consultum erat, motus est Prætor ad illam partem supplere, disponens cognatos per bonorum possessionem uocari tertio loco, ut sup. de successio. cognat.

Secundò erat Ius ciuile nimis durum, & contra æquitatem naturalem, quia excludebat filios emancipatos à successione parentum, hoc Prætor emendauit, naturalem equitatem secutus, & dedit eis bonorum possessionem: unde liberi. §. Emancipati. sup. de hæred. quæ ab intest. defer. Tertio confirmauit prætor Ius ciuile in eo, quod scriptis hæredibus dat bonorum possessionem, secundum tabulas, qui tamen alioqui possunt esse hæredes de Iure ciuili, ut hic in princ. tit. nostri. Quo autem casu emendet prætor Ius ciuile testamento factio, uidebimus in textu in princ. tit. nostri.

**EFFECTVS** sex bonorum possessionum ordinariorum, & primæ extraordinariæ sunt, quòd tribuunt Ius in proprietate, & in possessione, non minus quàm aditio hæreditatis de Iure ciuili, ut glo. magna in l. l. ff. de bonor. possessio. Et de istis bonorum possessionibus tantum loquitur tit. noster.

**EFFECTVS** autem trium bonorum possessionum extraordinariarum posteriorum, quære suprā in earum definitionibus.

ENARRATIO TEXTVS.

§. *Sunt autem.*

*Præteritis liberis*) Id est, in testamento patris, uel aui paterni. Nam qui præteriti sunt in testamento matris, uel aui materni, non possunt dicere testamentum nullum, nec etiam petere de Iure annullandum, quia mater liberos non habuit in potestate. Ideoq; proponunt querelam inofficiosi testamenti, §. fina. suprā, de exhæredatio. libero. Potest autem quaeri, cur detur hæc bonorum possessio liberis præteritis in testamento patris, cum propter illam præteritionem testamētum sit ipso Iure nullum. §. Alioqui. supr. de exhæred. liber. Ad hoc responde. Quòd primò datur propter liberos emancipatos in testamento præteritos, qui de Iure ciuili planè erant incogniti, nec alia uia extabat, per quam poterant uenire ad hæreditatem defuncti. Secundò licet tale testamentum de Iure ciuili in totum sit nullum. I. Si filius qui in potestate. ff. de liber. & posthu. Tamen de Iure prætorio aliquo modo ualet, quare per illam bonorum possessionem contra tabulas est impugnandum. Vide gloss. hic in uerbo, contra tabulas.

*Extraneo manumissori.*) Ideo dicit, extraneo manumissori, quia olim in emancipandis liberis talis erat ritus, quòd si pater aliquem uolebat



lebat emancipare, uendebat alicui fortassis pro uno nummō. Et sic erat tantum imaginaria uenditio, ut emptor eum postea manumitteret. §. Præterea, cum similibus, supra, Quib. mod. ius patriæ potestatis soluatur. Et is manumissor licet extraneus esset, retinebat aliquid iuris in successione manumissi, cui præferebantur in illa successione decem personæ, quas habes hic in textu. Sed hoc est hodie sublatum.

§. Sed eas quidem.

Hæc est summa quatuor Paragraphorum sequentium. Olim ex testamento erant duæ bonorum possessiones, à prætorè introductæ contra tabulas, & secundum tabul. quæ etiam hodie sunt in usu. Ab intestato uerò erant octo, quarum Imperator reliquas quatuor sustulit, & reliquas quatuor confirmauit. Sublatæ autem sunt primò undecim personæ. Secundò, ea quæ dabatur familiæ. Tertiò, unde liberi, patroni, patronæq.; & parentes. Quartò, unde cognati manumissoris. Manserunt autem reliquæ quatuor, uidelicet unde liberi: unde legitimi: unde cognati: & unde uir & uxor.

*Contracta fiducia.*) Quòd scilicet emancipans filium, semper retinet ius in eius bonis succedendi, siue hoc expresserit, siue nō expresserit, ut supra, de legitima agnato. successio. §. fin. cum glos. Quare illa bonorum possessio: unde decem personæ, superuacua est.

VERS. Cum enim.

Quia ex Constitutionibus Iustiniani, patroni, & illi qui patronis ex transuerso latere iuncti sunt, succedant libertis decedentibus sine liberis, usq; in quintum gradum, sicuti ingenui inter se succedunt in decimum gradum. Ergo superfluum erat speciales bonorum possessiones de patronis, liberis, parentibus, et familia patronorum proponere, quum essent uti bonorum possessiones, contra tabulas: unde legitimi, unde cognati, propter illam æquiparationem, & similitudinem, quæ est facta inter successiones ingenuorum, & libertinorum. ut hic in princip. §. Cumq; antea, & supra de successio. liber. §. Multis alijs. Ideò etiam Imperator illas duas bonorum possessiones, tantamquam ex familia, & ex patrono sustulit.

*Dispari gradu.*

Vt in bonorum possessione: unde liberi, sunt filij & nepotes. Si filij recusauerint hæreditatem, admittuntur nepotes.

VERS. Et si intra.

Vt si primùm liberi repudiarent, defertur agnatis, quibus recusantibus, defertur cognatis, &c. Et hoc est successorium edictum, de quo supra diximus. Vide supra, de legitima agnato. success. §. Placuit.

VERBŌ, Admittuntur.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Si liberi defuncti statim post eius mortem repudiarent bonorum possessionem, quam primum deferret Prætor agnatis, nec expectaret donec tempus liberis præfixum, hoc est, annus utilis laberetur.

*Dies utiles.*

*Dies utiles.* Dies utiles dicuntur, quibus coram Iudice litigari potest, ferijs nõ computatis. Itaq; datur pro anno utili plerunq; quadriennium, ut l. fin. C. de tempo. in integ. resti.

VERS. Sed bene.

In bonorum possessione non requiritur, quòd prætor suũ decretum interponat, sed satis est quocũq; modo eam coram Iudice agnoscere.

DE ACQUISITIONE PER ARRO-  
gationem. Tit. XI.

**H**IC Titulus tractat tertium modum uniuersalem, per quem rerum dominia consequimur, arrogationem scilicet.

DE ARROGATIONE.

Est autem Arrogatio, ut supra diximus, species adoptionis, quando quis adoptat patrem familiars, hoc est, eum, qui est sui iuris, & per illam arrogationem consequitur pater adoptiuus ius in persona in bonis arrogati. Circa quod distingue: Aut quærimus de iure patris adoptiuus in bonis arrogati dum uiuit arrogatus. Et dic, quòd pater adoptiuus tantũm habet usufructum. §. Ecce. Vers. Nihil, hic tit. nostro. Aut loquimur de iure quod habet pater adoptiuus in bonis filii arrogati, post mortem arrogati. Et subdistingue: Aut arrogatus est liberatus à potestate patris naturalis per emancipationem, & tunc si decedit sine descendenti, uiuo patre naturali qui emancipauit eum, & excluditur pater adoptiuus per patrem naturalem in eius successione. Aut est liberatus à pat. pote. per mortem patris naturalis. Et tunc si extat mater, adhuc excluditur pater adoptiuus. Si uerò & mater fuerit mortua. Distingue: Aut arrogatus est impubes, & impubes quoq; decedit, & restituuntur eius bona illis, qui ab intestato successissent, excluso patre adoptiuo. Aut arrogatus est pubes. Et tunc si unà cum patre adoptiuo extant fratres uel sorores defuncto utrinq; coniuncti, & succedunt unà cum patre adoptiuo. Si non extant fratres &c. succedit pater arrogans solus. Et hoc casu habet locum ille titulus, uidelicet quòd uniuersa bona arrogati eo mortuo, perueniant ad patrem adoptiuum. Vide quæ supra diximus de hæred. quæ ab intest. defer.

*Quales sunt operarum obligationes.*

Quas scilicet liberti debebant filio arrogato, ut patrono. Sunt autem

tem



tem operæ libertorum duplices, obsequiales, & fabriles, siue artificiales. Obsequialium aliæ sunt in faciendo, ut de reuerendo patrono, et assurgendo ipsi. Aliæ uerò consistunt in non faciendo, ut de non testificando in patronum, de non uocando eum in Ius.

Fabriles siue artificiales sunt scribere, pingere &c. quas stipulatus est patronus à liberto in ipsa manumissione. Sed hic text. loquitur tantum de operis obsequialibus, quæ in faciendo consistunt, ut de reuerendo patrono. Nam illæ operæ transeunt tantum ad suos hæredes, non autem ad extraneos. Vide Azo, in summa sua, C. de oper. liberto.

### DE EO CUI LIBERTATIS CAUSA bona addicuntur. Tit. XII.



**H**IC habes quartum modum, per quem rerum dominia de Iure civili per uniuersitatem consequimur, addictionem scilicet bonorum, causa conseruandarum libertatum.

Est autem addicere bona nihil aliud, quam alicui ea dare eo pacto, ut creditoribus satisfiat. Est autem hic modus fauore libertatis introductus. Et habet tum demum propriè locum, quando quis condit Testamentum, & in eo reliquit seruis suis libertatem directam, uel per fideicommissum, & postea nemo ex scriptis hæredibus uult adire hæreditatem, ita quòd libertas propter desertionem Testamenti impeditur. Ad hoc autem ut libertates conseruarentur permissum est, quòd aut illi quibus relicta est libertas, aut extranei, aut etiã fiscus petant sibi bona defuncti addici, qui si uolunt cauere creditoribus hæreditarijs datis pignoribus, uel fideiussoribus de satisfaciendo, addicuntur eis bona defuncti, & conseruantur libertates relicte, siue sint directæ, siue fideicommissariæ. Illi autem quibus bona addicuntur, neq; hæredes ex Testamento sunt, neq; ab intestato, sed anomali propriè dicuntur.

*¶ Sed is qui*

Quæritur ergo utrum restitutione post additionem facta libertates debeant reuocari. Et decidit Imperator quòd non.

### DE SVCCSSIONIBVS SVBLATIS, QVAE fiebant per bonorum uenditionem, & ex Senatus- consulto Claudiano. Tit. XIII.



**E**RANT olim alij duo modi, per quos quis alicui succedebat per uniuersitatem. Primus erat, si debitor cessabat in solutione, & actio cõtra eum solenniter proponebatur, neque ipse ueniebat, neque soluebat, succedebat ei credi-



tor in omnibus, tanquam mortuo, etiamsi debitor haberet hæredes, & licebat creditori omnia uendere, nec opus erat iudiciali autoritate. Hodie autem solennitates illarum actionum sunt sublatae. Ergo nec talis uenditio locum habet, Sed tantummodò datur licentia creditoribus sine solennitate uerborum, proposita actione, si debitor non ueniat, per officium Iudicis postulare se mitti in possessionem, quòd etiam obtinent & disponunt de bonis, prout utile uisum est. Alius modus erat, si mulier capta amore serui alicuius, cõtra denunciationem domini illius serui, ei se immiscuerit, fiebat illa ancilla illius domini, & eius substantiam tanquam dominus capiebat, ex dispositione Senatusconsulti Claudiani. Sed hoc erat durum. Ideo est sublatum.

DE OBLIGATIONIBVS. TIT. XIII.

**H**VC usq; sunt explicata duo membra partitionis, supra in §. Omne autem Ius, de iure nat. gent. & ciuili, tradita, de personis in primo libro, & de rebus in secundo. Restat tertium membrum de actionib. Quia autem actionum causæ sunt obligationes. l. licet. §. Ea obligatio. ff. de procurat. Igitur de obligationibus hic dicemus.

QVID SIT OBLIGATIO.

Est autem Obligatio uinculum Iuris, quo necessitate stringimur aliquid soluere, facere uel dare.

DEFINITIONIS EXPLICATIO.

Dico stringimur, quia sicuti boues stringuntur funibus, ita homines obligationibus. Dico autem aliquid soluere, facere, uel dare, ad differentiam dominij, per quod uendicamus res nostras, si rei copiam non habemus.

DIVISIO OBLIGATIONVM.

Et diuiditur in obligationem naturalem & ciuilem. l. fideiussor. §. fideiussor. ff. de fideiussorib.

DE OBLIGATIONE NATVRALI.

Obligatio naturalis dicitur, quando quis tantum ex æquitate naturali, uel dispositione Iuris gentium obligatur, ut Bart. in l. Iulianus uerum debitorem. Vers. Item dubitatur. ff. de condictio. indeb.

SUBDIVISIO OBLIGATIONIS NATVRALIS.

Obligatio Naturalis subdiuiditur. Nam quædam prouenit ex Iure naturali primæuo, & sic ex solo instinctu naturali, quæ etiam in bruta cadit. Et tunc, aut Ius ciuile approbauit, & oritur inde actio, quale est educare sobolem. De quo per totum titulum. C. de alend. liber. & parent. Aut Ius ciuile non approbauit, ut est obligatio antitoralis



tidoralis, de qua per glos. in l. Sed et si. §. consuluit. ff. de petit. hered.  
Et non oritur actio.

### OBLIGATIO ANTIDORALIS QUID.

Antidoralis obligatio est uoluntaria, & nō necessaria. Licet enim *Antidoralis obligatio.*  
quilibet naturaliter sit obligatus officia pro officijs reddere, & bene-  
meritis benemerita remunerare, nemo tamen ita necessario obliga-  
tur, ut cogi possit beneficijs respōdere, Excepto liberto, qui quadam  
necessitate stringitur & obligatur patrono etiam ad obligationem  
Antidoralem. l. i. §. cum patronus. ff. de offi. præ. urbis. Istius obliga-  
tionis causæ quærendæ non sunt, quia proueniunt ex iure naturali  
primæuo. Effectus tamen octodecim uide apud Iaso, in l. Ex hoc iure. ff. de iust. & iur. Quædam uerò naturalis obligatio prouenit, non  
ex ipso instinctu iuris naturalis primæui, sed ex iure gentium, atq; ori-  
tur ex simplici promissione seu conuentione, & sic ex nudo pacto. Et  
contrahitur in omnibus contractibus innominatis Iuris gentium, ad  
quos non accedit uinculum ciuile, stipulatio scilicet, uel rei traditio.  
Et illa sub diuiditur. Quædam enim est inducta ad obligandū, quæ-  
dam uerò ad liberandum. Circa primam, quæ scilicet inducta est ad  
obligandū, distingue: Aut approbatur à iure ciuili in certis quibus-  
dam casibus, ut si nudo pacto ciuitatibus usuræ promissæ essent, pro-  
pter nudum pactum, propterea non deberentur usuræ promissæ,  
quia illud parit tantum naturalem obligationem, ex qua non oritur  
actio, quia cum ius ciuile hunc casum specialiter & expressè appro-  
bat, oritur actio, propter approbationem Iuris ciuili. l. Etiam. ff. de  
usuris. Et dicitur illud nudum pactum iam legitima cōuentio. Iuxta  
l. legitima. ff. de pact. Aut est improbata à iure ciuili, ut si quis contra-  
xerit cum pupillo infantie proximo, uel furioso, uel prodigo, cui bo-  
nis interdictum est, & tunc ne naturalis quidem obligatio nascitur. l.  
Quod pupillus. ff. de condict. indeb. l. pupillus. ff. de actio. & obli-  
gatio. l. Is cui bonis. ff. de uerb. obligatio.

Aut obligatio naturalis proueniens ex iure gentium, & sic nudo pa-  
cto, neq; approbata, neq; improbata est à iure ciuili. Et tunc non ori-  
tur actio, sed exceptio contra soluti repetitionem. Et hoc est in mul-  
tis casibus.

Primò, si promitto tibi centum ex nudo pacto. l. Iuris gentium. §.  
Quinimo, & §. sed cum nulla. ff. de pact.

Secundò, ex contractu patris cum filio in potestate existente.

Tertiò, ex contractu fratrum in eiusdem potestate. l. frater à fra-  
tre. ff. de condict. indeb.

Quartò, ex contractu domini cum seruo alieno. l. Naturaliter. ff.  
de condict. indeb.

Quintò,



Quintò, si reus nudo pacto transegit cum actore suo, ut ab eo accipiat certam pecuniæ summam, & discedat à lite. l. siue apud acta. C. de transactio.

Sextò, ex legatis in Testamento minus solenni relictis, secundum communem opinionem Doct. in l. Cum quis. C. de iur. & fact. igno.

Septimò, ex contractibus innominatis, traditione uel stipulatione non secuta. l. Ex placito. C. de rerum permutat.

Octauò, ex contractu pupilli pubertati proximi, sine tutoris auctoritate. l. i. in fin. ff. de nouatio.

Nonò, ex furto filij uel serui, patri uel domino facto. l. Ne cum filiofamilias, cum l. sequenti. ff. de furt. & c. Ex istis omnibus casibus oritur tantum naturalis obligatio, non autem ciuilis, quia Ius ciuile neque approbat, neque improbat. Ideoque inde non oritur actio, sed exceptio.

#### CAUSAE OBLIGATIONIS NATVRALIS.

Causas istius speciei obligationis naturalis, uides esse nudum pactum, siue simplicem conuentionem. Secundò contractus innominatos, stipulatione siue rei traditione non uestitos. Tertiò contractus nominatos, & delicta respectu quarundam personarum, ut patris & filij, domini & serui & c.

#### EFFECTVS OBLIGATIONIS NATVRALIS.

Effectus autem istius speciei naturalis obligationis sunt primò, si res naturaliter tantum debita, soluta fuerit, quod repeti non potest. Obstat enim exceptio, licet nulla detur actio ex obligatione naturali. d. l. Iuris gentium. §. sed cum nulla. ff. de pactis. Secundò ualet ad compensandum. l. Etiam. ff. de compensat. Tertiò nouat præcedentem obligationem. l. i. ff. de Nouatio.

Quòd autem dixi: Naturalem obligationem non parere actionem, intellige si una & simplex fuerit, si uerò fuerit duplicata, tunc efficax est ad producendam actionem. Est enim regula. Quod ubi præcedit debitum naturale tantum, si illud idem debitum nudo pacto iterum promittatur, uel à debitore, uel ab alio, inducitur constitutum, & habet locum actio de constituta pecunia. §. de constituta. Inst. de actio. Cano. in c. Quinta uallis. extra de Iureiur.

Quaedam uerò naturalis obligatio à Iure gentium, & sic ex cōsensu proueniens, est inducta ad liberandum. Et in hoc casu distingue: Quandoque approbatur de Iure ciuili, & per eam tollitur omnis obligatio. l. Ab emptione. ff. de pact. Quandoque uerò Ius ciuile resistit, prohibendo scilicet pacisci, & nihil operatur. d. l. Iuris gentium. §. si paciscar. ff. de pact. & l. transigere. C. de transactio. Quandoque uerò Ius ciuile, neque assistit, neque resistit, ut quando creditor facit debitori suo



ri suo pactum de non petendo, & ex isto pacto debitor liberatur naturaliter, ne cogatur debitum soluere, licet civiliter maneat obligatus. Et creditor quoque naturaliter obligatur debitum amplius non petere. l. si unus. §. pactus ne peteret. ff. de pact. Et ita habes casum, quo naturalis obligatio tollitur, civili remanente. E contra notabis alium casum, ubi civilis obligatio tollitur, & naturalis manet. Vt si debitor qui uerè debet, iurauerit se non debere, per illud iuramentum tollitur civilis obligatio, naturalis tamen manet. Et in summa, Ex quocumque nudo pacto, siue promissione, siue etiam partium conuentione, quæ non habet speciale nomen contractus, de Iure gentium oritur naturalis obligatio, modò sit utrinque consensus. Vide Iaso. super Rubr. ff. de uerb. obligat.

#### DE CIVILI OBLIGATIONE.

Obligatio civilis est, quando quis non est obligatus ex Iure naturali, uel gentium, sed ex dispositione Iuris civilis tantum, deficiente scilicet consensu obligati, ut Bart. in l. Iulianus uerum debitorem. ff. de condict. indeb.

#### DIVISIO CIVILIS OBLIGATIONIS.

Civilis obligatio est duplex. Quædam parit actionem in effectu exactionis, ut si quis damnatus est per sententiam iniquè, quæ transit in rem iudicatam, & mandatur executioni, is utique non consentit, quare etiam propter dissensum non obligatur naturaliter, civiliter tamen obligatur, & datur contra eum actio cum effectu exactionis propter autoritatē rei iudicatæ. l. Qui Romæ. §. Duo fratres. ff. de uerb. obligat. Quædam uerò est quæ quidem actionem parit, non tamen exactionem, ut si quis spe futuræ numerationis dedit alicui Chirographum, in quo confitetur se certam pecuniæ summam ab eo mutuo accepisse, quam tamen non accepit. Hic scribens non obligatur naturaliter, quia non consensit obligari sine numeratione, civiliter tamen obligatur. Ideo propter illam civilem obligationem solum habet creditor contra scribentem actionem propter Chirographum: exactionem tamen non habet, quia scribens potest se defendere exceptione non numeratæ pecuniæ. Vide Barto. in l. 1. ff. de fideiussoribus, & in d. l. Iulianus uerum debitorem. ff. de condict. indeb.

**CAUSA** itaque civilis obligationis solius, est approbatio Iuris civilis, deficiente consensu debitoris obligati &c.

**EFFECTVS** est regulariter parere actionem, non autem exactionem. Sicut naturalis obligationis solius effectus est parere exactionem, non autem actionem. Licet autem obligatio habeat duas species, naturalem scilicet & civilem, ut audiuimus, Tamen illæ raro à se mutuo sunt diuulsæ. In illis enim casibus tantum, quos indicauimus,



uimus, aut paucis alijs qui colligi possent, sunt separatę, alioquin enim semper sunt coniunctę.

Primum enim sunt coniunctę in omnibus contractibus nominatis Iurisdictionum. Quales sunt contractus qui re & consensu contrahuntur. Secundò sunt coniunctę in contractibus Iurisdictionum innominatis, si rei interuentu sunt uestiti. Vt si dedi tibi rem, ut aliam mihi dares. Tertiò, coniunguntur in contractibus Iurisdictionum ciuilibus, quales sunt stipulatio, literarum obligatio, contractus Emphyteuticus, et sponsalitia largitas. Quia in illis omnibus est consensus, qui de Iure gentium constituit naturalem obligationem. Et ad hoc accedit Ius ciuile, quod illos contractus approbat, unde oritur ciuilibus obligatio. Quartò cõcurrunt in delictis, quia ex precepto Iurisdictionum (Sontes punire) oritur obligatio naturalis. Nam naturalis obligatio duo habet capita, Consensum, ut in omnibus contractibus, Et naturalem equitatem, ut in quasi contractibus & delictis. Ita notanter dicit Barto. in l. 1. in prin. ij. colum. si. de condictio. indebi. Et ex Iure ciuili, quod de delictis singulis disposuit, oritur ciuilibus obligatio. Quintò sunt coniunctę in quasi contractibus, & quasi delictis regulariter.

C A V S A E autem naturalis & ciuilibus obligationis simul, & sic obligationis in genere, sunt primò omnes contractus nominati Iurisdictionum, & Iurisdictionum ciuilibus simpliciter, & contractus innominati, quatenus traditio rei interuenit, uel factum aliquod.

Contractus nominati sunt quadruplices. 1. Quidam contrahuntur re, ut mutuum, indebitum, commodatum, depositum, pignus. 2. Quidam uerbis, ut stipulatio. 3. Quidam literis, ut literarum obligatio. 4. Quidam consensu, ut emptio, uenditio, locatio, conductio, societas, mandatum.

Contractus autem innominati sunt quinque. Permutatio, id est, quãdo datur species pro specie. uide gl. in l. 1. in uerbo, nomen, in fine. ff. de uer. permutatio. & gl. fin. in l. 1. C. eo. titu. & ibi dd. Permutatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Secundò quasi contractus, ut negotiorum gestorum, tutelę &c. De quibus dicetur in titulo, de obligat. quę ex quasi cõtractu nascuntur. Tertiò, delicta, quę sunt duplicia, Priuata & publica. Priuata sunt, furtum, rapina, damnum, & iniuria. Publica sunt crimen lese Maiestatis, parricidium, homicidium etc. De quib. suo loco. Quartò quasi delicta, de quib. in tit. de obligat. quę ex quasi del. nascuntur. Et de his causis tractat usque ad titulum de actionibus.

Naturalis autem & ciuilibus obligationis simul effectus est, parere actionem cum effectu exactionis. Quãprimũ enim quis alicui naturaliter



turaliter & ciuilitur obligatus est, parit illa obligatio. Ius persequendi in iudicio cum effectu, quod debetur & c. l. licet. §. Ea obligatio. ff. de procura.

Tollitur autem obligatio. Primùm, per solutionem. Secundò, si res debita, sine culpa debitoris interierit. Tertiò, per acceptilationem. Quarto, per nouationem. De quib. singulis dicemus suo loco.

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITUR obligatio. Tit. XV.



In hoc titulo tractatur prima species contractuum, uide licet contractus qui re contrahuntur, qui inde nomen habent, quòd neq; ciuilis obligatio, neq; etiam actio naturalis oriri potest, nisi ipsa res interueniat.

Contractus qui re cōtrahuntur sunt quinque.	}	1. Mutuum.
		2. Indebitum.
		3. Commodatum.
		4. Depositi.
		5. Pignus.

D E M U T U O.

Mutuum est cum res nostras, quæ pondere, numero, mensurauit consistunt, alteri damus, ut idem genus nobis reddat. l. ij. ff. de reb. cred. Et dicitur mutuum, quasi ex meo fiat tuum, ut hic in textu. Dico in definitione res nostras, quia mutuans debet esse dominus, uel quasi rei mutuatae. d. l. ij. §. In mutui. ff. de reb. credit. Dico numero, pondere & mensura, ad differentiam commodati, in quo non ueniunt eiusmodi res, sed tales quibus utimur, ut illas ipsas species, & non alias eiusdem generis reddamus. Dico alteri damus, ad differentiam commodati, depositi & pignoris, in quibus res ita tradimus, ut non accipientium fiant, & dominium transferatur, sed ad alium finem, ut infra audiemus. In mutuo autem res ita datur accipienti, ut eius fiat, alioquin non posset ea uti. Dare enim significat dominium transferre. Dico ut idem genus nobis reddat, primò ad differentiam commodati & depositi, in quibus redduntur illæ ipsæ species, quæ traditæ sunt, & non aliæ eiusdem generis. Vt si commodauit tibi equum gratis, tenetur mihi reddere illum ipsum equum, & non alium. Similiter si depositi penes te centum aureos, illos & non alios eiusdem generis tenetur restituere.

In mutuo autem non redduntur illæ ipsæ species, sed aliæ eiusdem generis, ut si 100. quis acceperit mutuo, potest illos consumere, & mutuanti alios 100. aureos eiusdem ualoris reddere. Secundò, ad differentiam contractus innominati, do ut des & c. Si enim non illud



genus, sed aliud, ut puta pro siligine triticum reddideris, non erit mutuum, sed contractus innominatus, do ut des.

DIVISIO MUTVI.

Mutuum est duplex, Naturale, et Ciuile. Naturale est cum tibi numero actualiter pecuniam meam, uel aliam rem, quæ numero, pondere, mensuræue consistit, do mutuò actualiter sine stipulatione, uel litterarum obligatione. Ex illa re, id est, numeratione, uel actuali traditione, oritur mutuum naturale, quod parit obligationem, ex qua postea oritur actio, quæ uocatur condictio certi specialis, qua repeto re mutuò datam, ut hic in principio.

Ciuile mutuum subdiuiditur in mutuum, in quo natura cooperatur, & in mutuum merè ciuile, in quo natura non cooperatur. In primo subdistingue: Quoddam enim fit per quandam fictionem Iuris, ut si filius familiæ ex peculio profectio dederit alicui pecuniam mutuò, hoc casu mutuarius patri illius obligaretur, licet ille nihil numerauerit, & oritur mutuum ciuile, quia Ius ciuile introduxit quòd ex contractu filij quæritur obligatio patri, & fingitur hic Ius patrem illam pecuniam numerasse, etsi non numerauerit. Quare respectu patris oritur mutuum ciuile tantum. In hoc autem ciuili mutuo cooperatur natura, in eo quòd pecunia à filio est actualiter numerata. Ideo dicitur mutuum ciuile, in quo cooperatur natura. Item si deposui centum aureos penes Titium, & postea promisi, ut ipse Titius depositarius uteretur illis 100. fit iam ex illo deposito mutuum, Licet non ut mutuum, sed ut depositum numerauerim. Ius tamen fingit numerationem denuò intercessisse, quare oritur mutuum ciuile, in quo cooperatur natura. l. Certi condictio. §. fin. ff. de reb. cred. Et ex hoc mutuo quoq; competit actio, quæ uocatur certi condictio specialis. Quoddam uerò mutuum ciuile, cui natura cooperatur, dicitur quãdo quis per stipulationem promittit alicui mutuò dare 100. aureos. Et illam stipulationem in continenti sequitur, uel precedit numeratio, oritur mutuum ciuile per stipulationem, cui natura per numerationem cooperatur. Inde tamen non oritur actio ex mutuo, sed ex stipulatione impleta propter mutuum. l. Si ita stipulatus. §. Chrylogonus, uers. superest. ff. de uerb. obligat.

Mutuum uerò merè ciuile, in quo natura non cooperatur, est, si quis non animo donandi, sed spe futuræ numerationis dat chirographum suum alicui, in quo confitetur, se centum aureos mutuò accepisse, quos tamen non accepit. Ex illa scriptura oritur mutuum ciuile tantum, quia actualis numeratio non accessit, & sic natura non potest cooperari, nihilominus tamen ex illo mutuo ciuili, oritur ciuilis obligatio post biennium, nisi mutuarius probet pecuniam numeratam



meratam non fuisse. Et hoc casu quoque non oritur Actio ex mutuo, sed ex contractu literarum propter mutuum. Si autem quis animo donandi dedisset Chirographum, statim esset natum huiusmodi mutuum civile, & obligatio. Vide Bart. in l. ij. §. In mutui datione, ff. de reb. cred.

**CAUSA** mutui, est res consistens in numero, ut pecunia: pondere, ut cera: & mensura, ut uinum, oleum, frumentum &c. mediante datione, ut idem genus reddatur.

**EFFECTVS** est, parere obligationem, unde oritur Actio, quæ uocatur Condictio certi specialis, qua scilicet repetimus quod alicui mutuo dedimus. Quia autem hic fit mentio Actionis, quæ condictio certi uocatur. Dic conductionem esse Actionem, qua certam speciem uel quantitatem petimus. Tunc autem dicitur certum quiddam, quando apparet quid, quale, quantumue sit, quod debetur, ut uini Rhenensis quatuor amphoras. l. Vbi autem non apparet. ff. de uerbo. obligat.

Condictio certi specialis.  
Condictio quid.

Condictio est duplex: Condictio certi generalis, & condictio certi specialis.

Condictio certi generalis, est quæ datur ex omnibus obligationibus puris, ex quibus quid certi debetur, excepta causa mutui. l. Certi Condictio. in prin. ff. de reb. cred.

Condictio certi specialis, est quæ datur in mutuo.

Condictio autem Triticaria habet locum in omni specie & quantitate, nisi sit debita ex causa mutui. Item in re incorporali, ut seruitute. Item pro possessione, quæ quis obligatus est mihi dare. Vide Azo. in summa sua. C. si cert. petatur.

### QVAE IN CONTRACTIBVS CONSIDERARI SOLEANT.

In contractibus solent quinque considerari.

#### DE CASU FORTUITO.

Primum est casus fortuitus, quem nulla hominum prouidentia caueere aut prouidere potest.

#### DE DOLO.

Secundum est dolus. Est autem dolus machinatio alicuius decipiendi causa, cum aliud agitur, & aliud simulatur. l. ij. §. i. ff. de dolo.

#### DE LATA CVLPA.

Tertium est lata culpa, quæ proprie est minima negligentia, scilicet non intelligere, quod omnes intelligunt. Estque duplex. Lata culpa uersutiae, & lata culpa socordiae.

Lata culpa uersutiae est, quum quis est satis diligens in rebus suis, in alienis autem negligens.



## ENARRATIONES IN INSTITVT.

Lata culpa socordia, est magna & suprema negligentia, quæ etiã nimia securitas appellatur, non intelligere quod omnes intelligunt.

### DE LEVI CVLPA.

Quartum est leuis culpa, scilicet non adhibere eam diligentiam & custodiam rebus alienis, quam diligens paterfamilias adhibet in reb. suis. l. Ea igitur. ff. de pignorat. actio.

### DE LEVISSIMA CVLPA.

Quintum est leuissima culpa, non scilicet adhibere tantam diligentiam in rebus alienis, quam adhibet diligentissimus quisq; paterfamilias in rebus suis. & Item is cui. Vers. At is qui. hic titulo nostro. In mutuo ista omnia præstatur. Siue enim pecunia mutuata casu, dolo, lata, leui, uel leuiss. culpa mutuatarij amissa fuerit, nihilominus mutuatarius tenetur reddere, quia factus est dominus rei mutuatae.

Nota, hæc  
quinq; in mutuo  
suo considera-  
ri.

### DE INDEBITO.

Secundus contractus, qui scilicet re contrahitur, est indebitum. Dicitur autem indebitum, quando quis soluit per errorem, quod non debet. Dico soluit, quia is contractus non oritur, nisi actualis solutio accedat. Dico per errorem, quia si quis sciens soluit indebitum, uidetur donare, nec potest repetere. l. Cuius per errorem. ff. de reg. Iuris.

### DIVISIO INDEBITI.

Indebitum est quadruplex. Primò, Naturaliter & Ciuilitèr indebitum, ut si id soluatur, quod nullo iure debeatur. Secundò, Naturaliter indebitum, & Ciuilitèr debitum, ut si quis soluat, quod confessus est se debere in Chirographo dato, spe futuræ numerationis. Et in his duobus casibus habet locum condictio indebiti. Tertiò, est indebitum ciuilitèr, & debitum naturaliter, ut inter patrem & filium, dominum & seruum. Item legatum relictum in testamento minus solenni. Et hoc casu si quis soluerit errore iuris uel facti non probabilis, repetere nõ potest. Hoc fallit in muliere & minore, quos ignorantia excusat. Quartò, est indebitum, ope exceptionis, circa quod dic, quod exceptiones hoc modo sunt quadruplices.

Prima est Dilatoria, siue temporalis, ut si quis promisit alicui 100. in diem, ante euentum illius diei nihil debet, quia habet exceptionem. Tamen si illud indebitum ante euentum illius diei soluerit, non repetit per condictionem indebiti, quia certum est debitum iri.

Secunda Exceptio est perpetua. Circa quam distingue: Aut est fauorabilis, ut si mulier fideiuberet pro aliquo, ex illa fideiussione nihil debet, quia habet exceptionem Senatusconsulti Velleiani. Si autem indebitè, uel errore iuris uel facti soluerit, potest repetere per condictionem



ditionem indebiti. Aut est odiosa exceptio, ut si filius familiæ acciperit ab aliquo pecuniã mutuò, non tenetur reddere, quia habet exceptionem Senatusconsulti Macedoniani. Si tamen indebitè soluerit per errorem iuris, non potest repetere per conductionem indebiti, quia illa exceptio est odiosa.

Tertia Exceptio est dubia, ut si quis promittat sub cõditione, hoc modo: Titi promittis mihi 100, si hoc anno celebrabitur Concilium: ante conditionis illius euētum nihil debet promissor, habet enim exceptionem. Si tamē indebitè per errorem soluerit, potest repetere per conductionem indebiti, quia dubium est an sit futurum debitum nec ne.

Quarta Exceptio, quæ fuit inducta rigoris iuris conseruãdi causa.

Ut sunt, } Exceptio litis pendentia, contra uerum debitorem.  
 } Exceptio fori.  
 } Exceptio epistolæ Diui Adriani, &c.

#### E X E M P L V M.

Si sunt plures fideiussores alicuius, qui omnes sunt soluendo, quilibet tenetur tantum pro sua parte, nec potest conueniri in solidum, quia habet exceptionem epistolæ Diui Adriani. Si tamen in solidum soluerit, & sic indebitè, non potest repetere per conductionem indebiti à creditore, confideiussores tamen propterea conuenire potest. Vide Bart. in l. i. ff. de condict. indeb. & Ioan. de Plat. hic.

E F F E C T V S Indebiti est, parere Actionem, quæ uocatur condictio indebiti, qua quis repetit id, quod indebitè solutum est. Et datur ei qui indebitè soluit, aut cuius mādato solutum est, & hæredibus eius. Et datur contra eum cui solutum est indebitum, & contra hæredes eius.

Cessat autem illa Actio primò, quando quis sciens soluit indebitum, quia uidetur donare. Secundò, si per sententiã damnatus est soluere, quod non debet, & sententia transit in rem iudicatam. Et is cui quid indebitè solutum est, tenetur omnia præstare, quæ præstantur in mutuo, id est, siue pecunia casu, siue dolo, siue qualicunq; culpa perierit, reddere tenetur. Et hic cõtractus improprie dicitur cõtractus, est enim potius distractus, & improprie dicitur contractus.

#### D E C O M M O D A T O.

Tertius contractus, qui re contrahitur, est commodatum. Est autē commodatum alicuius rei ad certum usum gratuita facta concessio, ut eadem species, & non alia eiusdem generis nobis reddatur. Et dicitur commodatum, quasi commodo utentis datum. Primò dico in de



ENARRATIONES IN INSTITVT.

finitione alicuius rei, quia hic contractus non oritur, nisi res interueniat. Secundo dico ad certum usum, ad differentiam precarii, quia precarium conceditur indefinitè, & sine certi usus præfinitione, Ideoq; potest reuocari quandocunq; placuerit concedenti, & præstatur in eo solùm dolus & lata culpa. l. Quæsitum. §. Eum quoq;. & l. Cum precario. ff. de precario. l. Lucius. ff. de donatio. In commodato autem est tantùm certus usus præfinitus, quem si quis transgreditur, & re commodata aliter utitur, furtum committit. §. Furtum autè, infr. de obligat. quæ ex delicto nascuntur. Ideoq; commodans rem commodatam reuocare non potest, nisi usu finito. Tertiò dico usum, ad differentiam pignoris & depositi. Quia si creditor pignore, uel depositarius re deposita usi fuerint, furtum committunt. d. §. Furtum autem, infr. de obligat. quæ ex delicto nascuntur. Quartò dico gratuita, ad differentiam locationis & conductionis. Quamprimùm enim datur merces pro usu rei, transit in aliam speciem contractus, & fit locatio. Commodatum enim de sui natura debet esse gratuitum, alioquin non esset commodatum. Quintò dico concessio, & non translatio, quia commodans retinet dominium & possessionem rei commodatæ. l. Rei commodatæ. ff. eod. Postremò dico ut eadem species reddatur, ad differentiam mutui, in quo non redditur eadem species, sed idem genus, ut supra diximus.

Commodatum  
gratuitum esse  
debet.

Consistit autem commodatum in rebus mobilibus & immobilibus: Corporalibus, & incorporalibus, puta habitatione. l. i. §. Inter commodatum. ff. eod. In illis autem quæ usu consumuntur, ut pecunia, oleo, &c. non cõsistit commodatum, nisi fiat ad pompam & ostentationem, ut si quis accipiat pecuniam commodato, ut diues appareat. l. iij. §. fin. ff. eod.

QVAE ACTIONES EX HOC CONTRACTU ORIANTUR.

Oriuntur ex isto contractu duæ actiones: Actio commodati directa, & Actio contraria.

Directa actio  
commodati.

Directa datur commodanti & eius hæredibus, contra commodatarium, & eius hæredes, qua petit restitutionem rei commodatæ, quæ si non restituitur, iuratur contra contumacem in litem.

Contraria.

Contraria datur commodatario, eiusq; hæredibus cõtra commodantem, & eius hæredes. Primùm, ut impediatur eum uti re commodata. Secundò, ad ægritudines & impensas maiores, in re commodata factas. Tertiò, si quis sciens commodauit uasa uitiosa, in quibus uinum uel oleum infusum, corrumperetur, teneretur hac actione. l. In rebus. §. possunt, cum §. sequenti. ff. eod.

Sunt tamen casus, in quibus directa actio non potest competere commo-



commodanti, ut si quis commodaret alicui equam, quam comitaretur pullus, pro repetendo pullo nō potest dari directā actio commodati, quia non fuit in commodato. Datur itaq; utilis actio ex mente contrahentium, l. 5 § usq; ff. eodem. Item si ego propria autoritate acciperem utendum equum amici mei, & putarem eum ratum habiturum, hic quoq; competeret tantum utilis actio ad repetendum.

Casus in quibus non competit directā actio.

### AD QVEM PERTINEAT PERICVLVM si res commodata perit.

Quando aut queritur, ad quem pertineat periculum, si res comodata perit, distingue: Aut est comodata gratia commodantis tantum, ueluti si sponsus comodat sponse ornamenta, ut honestius ad eum duceretur, & prestat tantum dolus si fuerint amissa. l. si ut certō § Interdum, ff. eod. Aut est comodata gratia utriusq;. Ut si Titius et Gaius pararent simul conuiuium in edibus Titij, & Gaius comodaret Titio pocula, hoc casu prestat dolus, lata & leuis culpa. l. In rebus, in princ. ff. eo. Aut commodatur tantum gratia commodatarij, tunc prestat dolus, lata & leuis culpa, non autem casus fortuitus. Sunt aut tres casus in quib. commodatarius etiam tenetur, si res commodata casu perit. Primus est, si commodatarij culpa perit, puta quia remisit rem comodatam, per minus idoneam personam, uel equum forte comodatam, ut Lysiam proficisceretur, & profectus est in bellum. Secundus, si expressē pacti sunt inter se de prestando casu fortuito. Tertius, si commodatarius interpellatus, ut rem restitueret, nec restituit, Hoc casu propter moram tenetur de casu fortuito. c. Vnico, extrā de commodato. l. 5 § Sed interdum, ff. eod.

Nota tamen si res commodata perit culpa nunciij illam deferentis, perit periculo comodantis, si non potest imputari culpa remittenti in eligendo talem nuncium. l. Argentum, ff. eodem.

### DE DEPOSITO.

Quartus contractus, qui re contrahitur, est Depositum. Est autem Depositum, quod ad custodiendum alicui datum est. Dicitur ex eo, quod ponitur, quasi seorsum positum. Præpositio enim de, auget, ut ostendat totum fidei eius commissum, quod ad custodiam rei pertinet. l. 1. in princ. ff. depositi. Dico ad custodiendum, ad differētiā aliorum contractuum, quia depositarius tantum custodit, nec potest re deposita uti. Vtendo enim furtum comittit. d. § furtum autem. infra de oblig. quæ ex delicto nascuntur.

### DIVISIO DEPOSITI.

Depositum est triplex. Depositum sequestrarium, depositum



quod fit causa impediendarum usurarum, & depositum quod simpliciter fit gratia custodiae.

## DE DEPOSITO SEQUESTRARIO.

Depositum sequestrarium est, quando res aliqua litigiosa sub hac conditione traditur sequestro, ut retineat, donec ex causae cognitione constet cui debeatur. Et hoc casu deponentes amittunt possessionem rei depositae. In sequestrum enim transfertur possessio. l. licet rei. ff. depositi. Nisi aliter expressè sit actum. l. Interesse. ff. de acquir. poss. Et in hoc deposito, sequester officium suum deponere non potest, nisi subsit iustissima causa. l. ei. §. fina. ff. eod. Et de hoc deposito hic non loquimur.

Secundum depositum est, quando debitor offert creditori suo pecuniam debitam, quam creditor recipere recusat, & ad evitandum cursum usurarum, consignat eam, & deponit in publicum, uel sacram aedem. l. acceptam, cum glos. C. de usuris. Et neq; de hoc deposito hic loquimur.

Tertium depositum est, quando quis apud amicum rem suam tantum custodiae causa deponit, ita ut dominium & possessio penes deponentem maneat. Et potest quandoq; uoluerit reuocari. c. Bona fides, extra de deposito. Et de hoc deposito loquimur hic. Consistit autem tantum in rebus mobilibus, non autem in immobilibus. Dantur autem in hoc contractu quoq; duae actiones, directa & contraria. Directa datur deponenti, eiusq; heredibus contra depositarium, eiusq; heredes, si depositarius dolo uersatus est in deposito, uel heredes inde facti sunt locupletiores. Agit itaq; deponens, primo, ad restitutionem rei non deterioratae cum omnibus accessionibus. l. §. quae depositis, ff. eod. Secundo, si haeres nesciens rem penes testatorem depositam fuisse, alienauerit eam, nec poterit redimere, agitur ad precium rei. d. l. §. si. cum l. 2. & 3, ff. eod. Tertio, si quis rem incendij, naufragij, tumultus uel ruinae causa deposuit, & depositarius inficiatus fuerit, agitur contra eum ad duplum. In duplum, infra de actio. Et in hac actione iuratur in litem, si depositarius non uult restituere. d. l. §. Si rem depositam, ff. eod. Et haec actio est bonae fidei, personalis, ciuilis, & famosa.

Contraria uero actio datur depositario, eiusq; haeredi contra deponentem, eiusq; haerem, in qua uenit quod utiliter est impensum à depositario in rem depositam. Item uenit interesse, ut si quis sciens deponeret seruum, qui fur esset. Et in hac non iuratur in litem, neq; etiam est famosa, quia contrariae actiones non infamant. Ex quibusdam. infra de poena temerè litig.

Est



Contraria uero actio datur depositario, eiusque hæredi contra deponentem, eiusque hæredem, in qua uenit quod utiliter est impensum à depositario in rem depositam. Item uenit interesse, ut si quis sciens deponeret seruum, qui fur esset. Et in hac non iuratur in litem, neque etiam est famosa, quia contrariæ actiones nõ infamant. Ex quibusdam, infr. de pœna temerè litig.

Est autem Depositum priuilegiatum, quòd contra ipsum non admittitur compensatio regulariter. In bonæ fidei. uers. Excepta, infrà de actio.

#### AD QVEM SPECTET PERICVLVM

interitus rei depositæ.

Periculum autem interitus rei depositæ non spectat ad depositarium, nisi dolo uel lata culpa uersutia res eius perit. l. 1. § si quis, & l. quòd Nerua. ff. depositi. De leui enim & leuissima culpa non tenetur depositarius. Quia imputet sibi deponens, quòd rem suam apud negligentem amicum deposuerit. Si tamen depositarius obtulit se deposito, præstatur quoque leuissima culpa. d. l. 1. § sed et si se quis. ff. eod. Casum autem fortuitum præstat depositarius. Primò, si expressè actum est, quia contractus ex partium conventionem legem accipiunt. d. l. 1. § Si conueniat, & § sæpe. ff. eod. Secundò, propter moram depositarii, ut quia post litem contestatam, potuit rem reddere, nec reddidit, ita quòd perijt. l. si in Asia. § fina. ff. eod. Et uide glos. in d. l. 1. § Sæpe. ff. eodem.

#### DE PIGNORE.

Quintus contractus qui re contrahitur, est pignus. Dicitur autè pignus propriè res mobilis, quæ pignori est obligata, & tradita creditori, ut sit saluum debitum suum, dictum pignus à pugno, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. l. plebs. § pignus. ff. de uerb. sign. Dico in definitione propriè, quia alioqui etiam pignus nomen generis est, comprehendens sub se pignus in specie & hypothecam. Secundò, quia impropriè etiam capitur pro re immobili, ut gloss. in d. l. plebs. ff. de uerb. sig. Dico res mobilis, ad differentiam hypothecæ, quia hypotheca indifferenter constituitur tam in re mobili quàm immobili, Pignus autem tantum in re mobili. Dico tradita, iterum ad differentiam hypothecæ, quia hypotheca constituitur tantum per nudam conventionem sine actuali traditione, Pignus autem non nisi cù traditione. Et ea est propriissima differentia, qua pignus seernitur ab hypotheca.

Requiruntur enim in pignore duo copulatiuè. Primùm, quòd sit res mobilis. Secundò, quòd tradatur, quæ ambo possunt abesse in hypotheca. § Inter pignus, cum glos. infrà de actio.

Est



Est autem pignus triplex, Conuentionale, Prætorium, & Iudicia-  
le.

Pignus conuentionale dicitur, quod contrahitur ex conuentione  
partium. l. 1. ff. de pignora. actio.

Pignus Prætorium est, quando Iudex uel Magistratus mittit quæ  
in possessionem alicuius. l. Non est mirum. ff. de pigno. actio. Hoc ta-  
men intellige, si fiat missio in possessionem, ut caueatur pro legatis,  
uel de damno infecto, uel de nouo opere demoliendo.

Iudiciale est, quando iudex iubet mitti in possessionem ex officio  
suo, ut sententia definitiua mandetur executioni. Et hoc casu capiun-  
tur primò mobilia. Secundò immobilia. Tertiò peruenitur ad debi-  
ta. l. A diuo. §. In uenditione. ff. de re iud.

Conuentionale pignus fit bifariam, expressè & tacitè. Expressè,  
quando partes expressis uerbis conueniunt de oppignerando. Tacitè,  
quando fit ex ui & potestate legis, sine hominum expressa conuen-  
tione, licet hoc quoque posset dici hypotheca, quia non semper tra-  
ditur.

#### PONAMVS QVAEDAM EXEMPLA.

Primò omnia bona promittentis dotem nomine uxoris alicuius  
sunt tacitè oppignerata ipsi marito, & econtrà. Dote soluta omnia  
bona mariti sunt tacitè oppignerata uxori pro dote. l. 1. §. Et ut pleni-  
us. C. de rei ux. actio. Secundò, locatori fundi, sunt omnes fructus ex  
eo percepti, tacitè oppignerati. Item omnia inuecta & illata pro pen-  
sione. l. certi. C. de locato. Reliquos casus, in quibus est tacitum pi-  
gnus, Vide apud Azo. in tit. In quib. caus. pig. taci. contra.

Possunt autem oppignerari res, in quibus quis habet dominium,  
uel quasi. l. Si inter. §. si debitor. ff. de pignorib. Nec refert siue præsen-  
tes sint res, siue futuræ, ut sunt fructus pendentes. Item partus peco-  
rum. l. Et quæ nondum. ff. de pigno. Item res corporales & incorpo-  
rales, ut cautiones, instrumenta, nomina debitorum. Et hoc casu ce-  
duntur utiles actiones. l. cum cõuenit. ff. de pigno. Item seruitutes per-  
sonales oppignerari possunt, ut usus, usufructus. l. si is. §. usufru-  
ctus. ff. eod.

Et potest fieri oppigneratio in singulis quoq; rebus, & quoq; uni-  
uersis. Si tamen in uniuersis fit, intelliguntur quædam debitori exce-  
pta, de quibus non est uerisimile, quòd specialiter obligasset, puta  
supellex, uel uestis aliqua. Oppignerari autem regulariter non pos-  
sunt, Primò, res religiosæ, & sacræ. l. 3. C. quæ res pig. oblig. poss. l.  
Sancimus neminem. C. de sacrosanct. eccl. Secundò, liberi homines.  
Adeo quòd pater filium pignori non potest dare. l. Qui filios. C. que  
res pig. oblig. non poss. Tertiò, res quarum rustici opus habent in  
cultura



cultura agrorum. l. pignorum, cum Authentica sequenti. C. quæres pig oblig. non poss. Quartò, seruitutes urbanorum prædiorum, ne deformaretur urbis aspectus. l. si is. §. fina. ff. de pigno.

Quando autē et quib. modis creditor possit alienare pignus, uide quæ dixi in §. Contrà autem, suprà quib. aliena. licet uel non.

Datur autē in hoc contractu actio pignoratitia directè, debitori, qua repetit pignus si pecuniam soluerit, uel alia ratione creditori satisfecerit. l. si rem §. omnis. ff. de pig. actio. Actio autem pignoratitia contraria datur creditori ad sumptus, si quos fecit in pignore. De hac actiōe & actione hypothecaria dicemus in §. Item Seruiana, infrà de actio. Præstatur autē in hoc contractu dolus, lata & leuis culpa. Casus autem fortuitus & leuissima culpa non præstantur. l. si cū uenderet §. Venit. ff. de pignorat. actio.

### DE VERBORVM OBLIGATIONIBUS. Tit. XVI.

**N**ON tantūm re contrahitur obligatio, sed etiam uerbis, qui contractus propriè stipulatio dicitur. Est autē *stipulatio quid* stipulatio conceptio uerborum, quib. is qui interrogatur, daturum, facturū uel se id, de quo interrogatus est, in continenti spondet uel promittit. l. §. stipulatio autem. ff. eod. Et habet nomen à stipulo, quod apud ueteres firmum significabat, fortè à stipite descendens, ut hic in principio tituli nostri. Est enim stipulatio firmissimus contractus, quo reliqui solent colligari. Dico in definitione, conceptio uerborū, quia hic contractus non oritur, nisi uerborum solennitas interueniat. Dico daturum, facturū uel, quia stipulatio propriè cōtrahitur per uerba futuri temporis, & per uerba præsentis temporis contracta, (ut, promittis quòd des mihi 100.) regulariter non ualet. Dico in continenti, quia responsio debet sequi interrogationem in continenti, nullo actu extraneo interueniente. d. l. 1. §. qui præsens. ff. eod. Dico quòd interrogatus spondet &c. Quia in hoc contractu requiritur quod præcedat interrogatio, & sequatur responsio, alioqui stipulatio non esset. Inde sequitur quòd neque surdus, neque mutus, neque absens, stipulari possunt. Exaudire enim se inuicem debent, nec stipulatio esset, si promissor annueret capite, cū neque naturaliter, neque ciuilitè obligetur. d. l. 1. in prin. & §. si quis ita. ff. eodem.

### IN QVIBVS DIFFERAT STIPVLATIO à conuentione &c.

Differt autē stipulatio primūm à conuentione, quia Conuentionio est nomen ualde generale ad omnem contractū & distractū, siue



## ENARRATIONES IN INSTITVT.

siue re, uerbis, literis, siue consensu, siue per nunciū, uel p epistolam, siue expressè, siue tacitè fiat. l. 1. §. conuentionis, cū simil. ff. de pac. Et sic differt cōuentio à stipulatione, sicuti species à genere.

### SECUNDO DIFFERT STIPV-

latio à promissione.

Secundò differt à promissione, quia promissio etiam generalius quiddam est quàm stipulatio. Adaptatur enim ad pactum, pollicitationem & stipulationem, angustior tamen est quàm cōuentio. l. Sciendum. §. Dictum. ff. de ædil. edicto.

### TERTIO DIFFERT STIPVLA-

tio à nudo pacto.

Tertiò differt à nudo pacto. Quia nudum pactum propriè fit, quando quis non interrogatus promittit, ita tamen ut is cui fit promissio, consentiat, licet promittentem non interrogauerit. Ideoque contrahitur per nudū consensus ministerium, sine uerborum solennitate, nec parit actionem. l. Jurisgentium. §. sed cum nulla, cum ibi nota. ff. de pact.

### QUARTO DIFFERT STIPVLA-

tio à pollicitatione.

Quartò differt à pollicitatione, que est quādo unus promittit, & alter nec tacitè, nec expressè consentit promissioni. l. pactū. ff. de pollicitatio. Et fit communiter inter absentes p literas, uel per nunciū. Vides ergo in quib. differant stipulatio, nudū pactū, & pollicitatio, q̄ scilicet in stipulatione requirunt interrogatio & responsio. Itē consensus utriusq̄. In nudo pacto satis est promissio sine interrogatione, modò tamē uterq̄ cōsentiat. In pollicitatione quoq̄ satis est nuda promissio cum consensu unius tantū, promittentis scilicet. Vide Do. Ias. super Rub. ff. de uerb. oblig.

### DIVISIO STIPVLATIONIS.

Est autem stipulatio triplex, pura, in diem, & conditionalis.

#### DE STIPVLATIONE PVRA.

Stipulatio pura est, in qua nulla dies siue conditio apponitur, & illa statim cōmittitur quando est contracta, cessat enim & uenit dies. l. cedere diem. ff. de uerb. signifi. Debet tamen tantum temporis præterire, quòd traditio fieri possit, nisi tacitè insit tēpus. Vt si quis purè promitteret dare centum Francofordiæ, hic dies tacitè inest, quo scilicet possit uenire Francofordiam.

#### DE STIPVLATIONE IN DIEM.

Stipulatio in diem est, quādo dies apponitur certa uel incerta, dum tamē certū sit, quòd sit uentura Vt promitto 100. post mortem meam. Et hæc stipulatio non committit, id est, promissum peti non



ti non potest priusquam ueniat dies. Ante euentū enim diei peti non potest, licet promissor statim sit obligatus. Ideoq; in hac stipulatione dicitur dies celsisse, non autē uenisse. Id est, obligatio est quidem statim contracta, cōmissa tamē ante diei euentū non est. Imò etsi dies uenisset, eodē tamen die peti non potest, q̄a totus is dies arbitrio soluentis tribuitur. & omnis stipulatio, hic tit. nostro.

#### DE STIPVLATIONE CONDITIONALI.

Stipulatio conditionalis est, quando apponitur conditio de futuro, quæ habet se ad esse & non esse, ut si ita stipulor: Promittis mihi 100, si Cæsar uicerit Turcam. l. Itaq; ff. si certum petatur. Et hæc stipulatio non obligat ante euentum conditionis, nec etiam quid peti potest. Quia quod est in conditione, non est in obligatione, l. si quis sub cōditione. ff. si quis ommissa causa test. Hinc est quod dicitur in stipulatione pura, celsit & uenit dies, id est, promissor statim est obligatus, ita quod peti potest. In stipulatione autem in diem celsit quidem dies, id est, promissor est quidē obligatus, nondum tamen uenit, id est, ante euentum diei peti non potest. In stipulatione conditionali neq; celsit, neq; uenit dies, id est, promissor non est obligatus, nec etiam ab eo quicquam peti potest ante euentum conditionis.

#### SECUNDA STIPVLATIONVM DIVISIO.

Secunda stipulationum diuisio est, quòd quædam consistunt in dando, quædam in faciendo. In stipulationibus dandi promissor simpliciter ad dandum tenetur. l. ubi autem & si, ff. de uer. obligat. Et natura istius stipulationis est, quòd diuidi potest, id est, quòd pars debiti potest solui, & promissor eiusq; hæredes tantum in reliqua parte conueniuntur. Et hoc est uerum, si promissa est quantitas aliqua, ut 100, aurei. Secus si aliqd corpus, ut homo, uel equus &c, uel aliud quoddam indiuiduum promittatur. Tum enim pars regulariter non potest solui. l. ij. Et harum, & l. stipulationes non diuiduntur. in principio. ff. eod.

In stipulationibus autem quæ in faciendo consistunt, ut si quis promittat ædificare domū, scribere librū, si id non fit, potest agi ad interesse, quanti scilicet stipulatoris intersit, rē promissam factam non esse. Et hoc uerū, si non est adiecta pœna, ut hoc modo: Promittis mihi fodere uineā, & si non feceris, promittis nomine pœnæ 10. &c. Et utilius est adijcere pœnam, cum interesse non facile possit probari, l. si, ff. de prætorijs stip. & si, hic tit. nost.

Stipulationum quædam sunt Iudiciales, quædam Prætorix, quædam conuentionales, & quædam communes, scilicet tam Prætorix quàm Iudiciales.



DE STIPVLATIONIBVS IVDICIALIB.

Iudiciales stipulationes sunt, quæ à legib. Iurisconsultorum uel Imperatorum sunt adinuentæ, & per officium Iudicis uiuentis, siue principaliter, siue incidenter accedatur, ubicunque ei æquū uisum fuerit, exercent, ut est cautio de dolo, uel simile quiddam, quod legibus ciuilibus & non prætorijs introductum est. Et hæc stipulationes non sunt numeratæ, nec etiam comprehenduntur sub certis titulis, sed sunt sparsæ per uniuersum Ius ciuile.

DE PRAETORIIS STIPVLATIONIBVS.

Prætorix stipulationes sunt, quæ non à lege Iurisconsultorum et Imperatorum, sed tantum à Iure Prætorio introductæ sunt, & à Iudice uiuo exercent. Et sunt triplices, Iudiciales, Cautionales, & Cōmunes .i. i. in principio, ff. de prætorijs stipulat.

DE PRAETORIIS STIPVLATIO-  
nibus Iudicialibus.

Prætorix stipulationes Iudiciales sunt, quæ interponuntur propter sententiam, ut consequatur effectum, quales sunt Iudicatum solui, quod continet tres clausulas. Prima de re iudicata soluenda, Secunda, de causa defendenda, Tertia, de dolo malo ab futuro. .i. Iudicatum solui, ff. iud. solui. Item continet rē ratam haberi, qua cōmuniter cauet Procurator, si non habet mandatum, uidelicet, dominum suum rem ratam habiturum &c. de quo suo loco. Item de nouo opere demoliendo, quatenus per sententiam apparebit iniuste ædificatum.

DE PRAETORIIS STIPVLATIO-  
nibus Cautionalibus.

*Prætorix stipulationes cautionales.* Prætorix stipulationes Cautionales sunt, non quibus stipulamur, ut sententiæ pareatur, sed instar actionum habentur. Agimus enim per eas, ut quid nobis detur, uel fiat, inducaturq; nouatio, quod fit quatuor modis. Primò per stipulationem legati. Secundo, per stipulationem de tutela. Tertio, per stipulationem rem ratam haberi. Quarto, per stipulationem damni infecti.

*Nouatio per stipulationem legati.* Nouatio per stipulationē legati fit hoc modo; Si qs mihi in testamento legaret 10. in diem, ante euentū illius diei, actione ex testamento ab hærede testatoris petere non possum. Si aut stipulor ab hærede illos decem purè, nouatur Actio ex testamento, p illā stipulationē prætoriam, quæ dicitur legati stipulatio, et possum statim petere Actioe ex stipulatu. .i. Si Stichus legata, ff. de nouat.

Secundò fit nouatio per stipulationē Prætoriam Cautionalē de tutela, hoc modo: Tutor finita tutela cōuenit Actione tutelæ. Si aut inposita fuerit stipulatio prætoriam cautionalis, quæ dicitur rem



rem pupilli saluam fore, potest tutor conueniri Actione ex stipulatu, quia Actio tutelæ est nouata siue transfusa in Actionem ex stipulatu, propter stipulationem interpositam. l. Si pupillus. ff. de nouat.

Tertia stipulatio prætorialis est, rem ratam haberi, et inducitur per eam nouatio. Exemplum. Ut si procurator ad negocia alieuius exegerit pecuniam indebitam, si non promisit de rato, sed est, dominum suum ratum habiturum, conuenitur per cōditionem indebiti à soluente pecuniam. Si autem promisit de rato, nouatur illa conditio indebiti, & datur Actio ex stipulatione illa prætorialis, qua promisit rem ratam haberi. l. si sine, in prin. ff. rem ratam haberi. Differt autē hæc cautio de rato à superiori cautione de rato, quod superior fit per procuratorem ad litem propter effectum sententiæ. Hæc autem per procuratorem ad negocia, ut nouetur conditio indebiti.

Quarta cautionalis stipulatio, quæ inducit nouationem damni infecti, hoc modo fit: Si uicinus meus ui uel clam extruit opus, quod possit mihi nocere, competit mihi contra eum interdictum, quod ui aut clam. Si autē stipulor ab eo de damno infecto, illa stipulatio prætorialis nouat prius interdictum, quod ui aut clam. Vide l. i. §. Iudiciales, cum gl. & Bart. ff. de prætorijs stipulat.

#### DE STIPULATIONIBVS PRAETORIALIBVS COMMUNIBVS.

Stipulationes prætoriales communes sunt, quæ fiunt Iudicij sistendi causa, & partim respiciunt processum Iudicij, partim uerò effectum sententiæ, qualis est illa: Promittis sistere in iudicio illo uel illo die. Idem promittis defendere causam &c.

EFFECTVS prætoriarum stipulationū est, quod stipulator per eas redditur securior & cautior. Ideoq; omnes cautionales dici possent. d. l. i. §. communes. ff. de prætorijs stipulat.

Differunt autem stipulationes prætoriales à Iudicialibus stipulationibus, quod in Iudicialibus stipulationibus non requiruntur fideiussores & pignora, sed satis est simplex cautio siue repromissio, ut patet in cautione de dolo, nisi aliter à partibus actū sit. In prætorijs autē stipulationibus non est satis nuda promissio, sed requiritur satisfactio per fideiussores & pignora. Exceptis tribus.

*Differunt stipulationes prætoriales à Iudicialibus.*

Prima est stipulatio ex noui operis nunciatione, in qua distinguitur Aut quis facit nouum opus in solo priuato, & tenetur satisfacere pignoribus, uel fideiussoribus, de non nocendo uel demoliendo. Aut ædificatur in publico, & satis est nuda repromissio.

Secunda est stipulatio de damno infecto, in qua quoq; distinguitur Aut sit opus in flumine publico, quod minatur damnum, & requiritur satisfactio per fideiussores & pignora. Aut sunt ædes in solo pri-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

uatorum, quæ minantur ruinam, & satis est nuda promissio. Hæc tamen distinctio procedit, si quis cauet nomine proprio. Si enim alieno nomine caueret, ut procurator, indistinctè teneretur satisfacere per fideiussores & pignora, nec satis esset promissio.

Tertia est stipulatio dupli in euictionib. ubi satis est repromissio, nisi expressè actū sit de satisfactione. In reliquis stipulationibus omnibus Prætorij requiritur satisfactio uel per pignora, uel per fideiussores, d. l. 1. §. Stipulationum. ff. de prætorij stipula.

Secundò differunt, quòd stipulationes Iudiciales etiam pœnales sunt perpetuæ, id est, durant 30. annis, ut infrà, de perpetuo. & tempo. acti. Vt si quis stipuletur hoc modo: Promittis de dolo abfuturo, & si dolum commiseris, promittis nomine pœnæ 100. Si promissor ante lapsum 30. annorum dolum cõmitteret, incideret in pœnam, quia hæc stipulatio Iudicialis est perpetua. Prætorix autem pœnales sunt temporales, annum tantum durantes. Vt si quis hoc modo stipulatur: Promittis de nō iniuriando uerbis, & si iniuriam mihi feceris, promittis nomine pœnæ centum. Hoc casu si promissor elapso uno anno, cõuitia dixerit, non incidit in pœnam, quia hæc stipulatio est tantum annalis, l. in honorarijs. ff. de acti. & obligat.

Tertiò differunt, quòd stipulationes prætorix ferè omnes cõprehenduntur sub certis titulis, ut sub titulis, de Aedilitio edicto, de noui operis nunciatione, de damno infecto, prætorij stipulationib. rem pupilli saluam fore, iudicatum solui, rem ratam haberi &c.

Iudiciales non comprehenduntur sub certis titulis, sed sunt sparſe per uniuersum Ius ciuile &c. Et tantum de prætorij & Iudicialibus stipulationibus. De quib. omnibus uide tex. in l. 5. & ibi Barto. & Iaf. ff. de uerb. oblig. text. cum gl. & Bart. in l. 1. ff. de prætorij stipu.

DE CONVENTIONALIBVS STIPVLATIONIB.

Conuentionales stipulationes sunt, quæ neq. iussu Iudicis uiui, neq. per edicta prætoris mortui, sed ex partium conuentione concipiuntur, quarum totidem sunt genera, quot possunt esse contractus. §. Cõuentionales. infr. de diuisi. stipu.

DE STIPVLATIONE COMMVNI.

Stipulationes communes sunt, quæ interdum sunt Iudiciales, interdum uerò Prætorix. §. Cõmunes. infr. de diuisi. stip. Quales sunt: rem pupilli saluam fore, stipulatio duplæ, stipulatio de rato &c.

Stipulatio enim, rem pupilli saluam fore, prætorica est, quando is, cui decernitur tutela, pupillo cauet, res suas saluas fore.

DE STIPVLATIONE IVDICIALI.

Iudicialis uerò est, quando onus tutorum iussu Iudicis uiui, non ipsi pupillo, sed alijs contutoribus cauet rem pupilli saluam fore, pro  
pte



pter sedandam discordiam, l. iij. in fine. ff. de administr. tuto. Sic stipulatio duplæ in euictionibus tum demum prætoriam est, quando uenditur seruus, uel animal aliquod. Iudicialis uerò est, quando uenditur aliqua alia res preciosior: sic quoq; stipulatio de rato est prætoriam, quando interponitur à procuratore Actoris. Iudicialis uerò est, quando interponitur à procuratore Rei, ut Ioan. de Plat. infra in tit. de diuis. stip. Hæ ergo tres stipulationes dicuntur communes, quia interdum sunt Iudiciales, interdum uerò Prætoriam. Vide Barto. in l. 5. in prin. ff. de uerb. oblig. Et tantum de diuisione stipulationum.

Acquirimus autem obligationem nō tantum ex nostra stipulatione, sed etiam ex stipulatione illorum, quos in potestate habemus, puta per liberos nostros, puta in peculio profectitio, quo ad plenā proprietatem, & in peculio aduentitio, quo ad usufructum. Item acquirimus per seruos &c. De quibus suo loco.

**C A U S A** stipulationis est sollemnitas uerborum, præcedente scilicet interrogatione, & sequente responsione, cum consensu & presentia utriusq; tam stipulatoris, quam promissoris. d. l. 1. in princ. ff. de uerb. obliga. Et hic cōtractus est à Iure civili introductus, non autem à Iure gentium.

**E F F E C T U S** sunt, primò, quòd stipulatio tanquam uinculum quoddam firmat omnes contractus, super quibus interponitur. Secundo parit obligationem ad dandum, faciendum, uel præstandum, & per consequens Actionem.

Dantur autem ex stipulatione duæ Actiones. Condictio certi generalis, & Actio ex stipulatu, ut hic in principio tit. nostri. Condictio certi generalis habet locum, quando certum quid deductum est in stipulationem, puta quod cōtinet quid, quale, quantum: ut quādo quis stipulatur uini Rhenensis decem urnas: Actio autem ex stipulatu datur, quando incertum est, quid sit promissum: ut si quis promittit equum in genere.

Redditur autem stipulatio inutilis multis modis. Primò, propter impossibilitatem naturæ. Secundò, propter impossibilitatem Iuris. Tertio, quando quis alteri, cuius iuri subiectus non est, stipulatur. Quarto, propter diuersitatem in qualitate & quantitate. Quintò, ratione personæ stipulantis, uel promittentis. Sextò, impossibilis conditio. Septimò, circumstantia loci. Octauò, error in re promissa. Nonò, turpitudò. De quibus omnibus habetis tit. de inutilibus stipula.

#### ENARRATIO TEXTVS.

*Si incerta sit.* Hoc fallit in dote, pro qua datur Actio ex stipulatu, licet incerta sit, & stipulatio non sit interposita. Fingitur enim inter-



posita fauore dotis. l. 1. in princip. C. de rei uxor. actio. Regula est, quòd incertitudo uiriat stipulationem, l. Ita stipulatus, ff. de uerbo. oblig. Tu breuibus dic: Aut promittitur quid in genere generalissimo, ut si promitto animal, inutilis est stipulatio, & nulla datur Actio, quia stipulator dando muscā liberaretur. Aut promittitur quid in genere subalterno, quod Dialectici uocant speciem, certisq; finibus continetur, ut homo, equus. Et debetur nec optimus, nec pessimus, sed mediocris. l. legato generaliter. cum glo. ff. de lega. 1. Vide copiosiss. Doct. in d. l. Ita stipulatus, ff. de uerb. obliga.

*Confestim.*) Confestim intellige cum quodam temporis moderamento, fortè decem dierum, quòd scilicet stipulator non statim pulset fores promissoris. l. Quid dicimus, ff. de solutio.

§. *At si ita.*

*Quia ad tempus quid non potest deberi.*) Tempus non est modus tollendæ obligationis, sicut nec inducendæ, quia tempus, neque delictum, neq; contractus, neq; quasi delictum, neque quasi contractus est. Ergo nō inducit obligationem, quia omnis obligatio ex istis quatuor oritur. Sic quoq; obligationem non tollit tempus, quia non numeratur inter illos modos, qui obligationem tollunt. De quibus infra. Quare sequitur, quòd in hac obligatione, qua quis promisit alicui decem aureos annuos, quo ad uiuit promissor, etiam hæredi stipulatoris obligatus sit. Hæres tamen petendo illos aureos, repellitur à promissore per exceptionem pacti conuenti. Quia inter stipulatorem & promissorem conuentum erat, quòd illi aurei tantum in uita stipulatoris peterentur. l. obligationum ferè. §. placet, ff. de actio. & obligat.

§. *Loca etiam.*

*Tempus adiectum.*) Committitur autem id tempus arbitrio Iudicis, qui æstimat quanto tempore diligēs paterfamilias in locum solutioni destinatum peruenire possit, ut neq; diplomate, id est, diebus et noctibus, & tempestate contempta hæc continuare cogatur. Neq; tam delicatè progredi debet, ut reprehensione dignus appareat. Sed ratione habita temporis, ætatis, sexus, ualetudinis, &c. proficiscatur promittens ut eo tempore perueniat, quo pleriq; eiusdem conditionis solent proficisci. l. continuus. §. cum ita stipulatus, ff. de uerb. oblig.

§. *Conditiones.*

Conditio est triplex, de præsentis, de præterito, & conditio de futuro. Conditiones de præsentis, & conditiones de præterito improprie sunt conditiones, nec suspendunt obligationem. Ut cum dico: promittis mihi 100. si iam est conuentus principum Augustæ: si illi principes sunt Augustæ, statim obligatio est commissa, Si uerò non sunt



sunt Auguste, statim est nulla, nec suspenditur. Conditio autem de futuro propriè est conditio, ut cum dico: promittis mihi 100. si Cæsar uicerit Turcam. Hæc obligatio suspenditur usq; ad euentum conditionis.

*Ne quantitas stipulationis.*) Si enim non est adiecta pœna in stipulatione facti, cogitur stipulator agere quanti sua interest rem promissam factam non esse, & sic teneretur probare interesse, quod tamen est difficile probatu, ut l. fin. ff. de prætor. stipulat.

VERS. *Sed si quædam fieri.*

Id est, si quis stipuletur factum affirmatiuum, & factum negatiuum simul, ut hoc modo: Promittis mihi ædificare domum, & postea non impedire, quo minus inhabitem.

## DE DVOBVS REIS PROMITTENDI, ET stipulandi. Tit. XVII.

**D**VO rei promittendi propriè dicuntur, qui unam & eandem quantitatem, simul & semel æquè principaliter promittunt, ut hoc modo: Titi promittis mihi decem aureos. Et Semproni promittis mihi eosdem decem aureos &c. Sunt duo rei promittendi, & quilibet tenetur in solidum.

Duo autem rei stipulandi dicuntur, quando duo uel plures unam & eandem quantitatem simul & semel æquè principaliter ab uno stipulantur, & tenetur promissor cuilibet stipulantium in solidum.

Differunt autem duo rei promittendi & stipulandi ab eo qui in defectum promittit, quod adiectus in defectum non tenetur ad certam quantitatem, sed ad id tantum, quod creditor à debitore suo consequi non potest. l. Decem, cum ibi not. ff. de uerb. oblig.

Differunt quoq; Correi à fideiussoribus, quod fideiussores accedunt obligationi alterius, nec possunt conueniri in solidum, nisi Reo principali excusso. Correi autem sunt æquè principaliter obligati pro se &c. De quibus dicemus in tit. de fideiussorib. Hodie tamen duo rei promittendi & stipulandi non constituntur, nisi expressè agatur, Autentica. Hoc. C. de duob. reis promitt.

§. *Ex duobus reis.*

Vt si quis ita stipulatur: Titi promittis mihi 10. aureos, si celebrabitur concilium. Et Semproni promittis mihi eosdem, purè constituntur duo rei promittendi.

## DE STIPVLATIONE SERVORVM. Tit. XVIII.

VERS. *Sed et si hæreditas in plerisque.*



**D**ICIT notanter, in plerisq; quia hæreditas nõ indistincte sustinet uicem defuncti. Si enim defuncto quid fuerit ablatum, dicitur furtum commissum. Hæreditati autem regulariter furtum fieri non potest. Sed si quid amouetur, dicitur crimen expilatæ hæreditatis. Vide glo. hic in uerbo, plerisq;

VERS. *Idem iuris est.*

In hoc differt stipulatio filiorum familiæ à stipulatione seruorum, quòd filij familiæ in duobus casibus sibi ipsis stipulando acquirunt obligationem, & non patri, ut si stipulantur ex causa castrensi, uel quasi castrensi. Secus si ex causa aduentitia, uel profectitia, quia illa obligatio acquiritur patri.

¶ *Sed cum factum.*

Stipulatio seruorum est duplex, quædam consistit in dando, quædam in faciendo. Quæ in dando consistit, acquiritur domino. Et in hoc casu loquitur principium istius tituli. Quæ uerò in faciendo consistit, acquiritur ipsi seruo, commoditas tamen ad dominum pertinet. Et in hoc casu loquitur ¶ *sed cum factum.*

DE DIVISIONE STIPVLATIONVM.

Tit. XIX.

VERS. *Iudiciales sunt.*

**E**XEMPLA Iudicialis, uide in glos. in uerbo, de dolo, & in uerbo, de persequendo.

*Prætorie sunt.* ) Damni infecti, ut hoc modo: Aedes uicini mei minantur ruinam. Ego stipulor ab eo de damno futuro, ut caueat de resarciendo, si quid inde damni acciderit.

*Si aliter.* ) Nam & Prætor tum demum iubet res pupilli saluas fore cauere, quando constituitur tutor. Et fit hæc cautio ipsi pupillo. Quando autem unus ex tutoribus iussu iudicis non ipsi pupillo, sed alijs contutoribus, cauet rem pupilli saluam fore, propter sedandam discordiam, iudicialis res est.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS.

Tit. XX.

VERS. *Nec inpendenti.*

**N**OTA hic regulã, quando stipulatio à principio est nulla, ut est stipulatio liberi hominis, licet postea deueniat ad casum, à q; possit incipere, ut puta si liber homo promissus, factus fuerit seruus, nõ tamẽ recõualescit stipulatio. Et sic ecõtrã, si stipulatio ab initio ualuit, ut si qs stipulet seruũ, qui deueniat ad casum, à q; nõ posset incipere stipulatio, puta quòd sine facto promissoris mitteretur,



mitteretur, uitiareturq; stipulatio, quæ ab initio ualuerit.

VERS. *Nam infans.*

Infans propriè dicitur, qui nõdum adimpleuit septimum annum. Infantiæ proximus, qui nondum adimpleuit decimum annum. Pubes uerò, qui adimpleuit 14. Et pubertati proximus, qui adimpleuit decimum annum.

§ *Si scriptum.*

Solennitas stipulationis hæc est, quòd præcedat interrogatio, & sequatur responsio. Et est duplex. Solennitas extrinseca, & intrinseca. Extrinseca est, quando in instrumento tã de interrogatione, quàm de responsione cauetur. Intrinseca est, quando tantum in instrumento fit mentio promissionis, tum ius præsumit interrogationem accessisse, nisi contrarium probetur.

§ *Quotiens.*

Neq; enim necesse est in respondendo omnia repeti, quæ stipulator expresserat. § præterea, supra eodem.

*Adiecit poenam.*) Vt hoc modo: promittis Sempronio dare 50. et si non dederis, promittis nomine poenæ centum.

VERS. *Et si creditori.*

Vt si creditor meus, cui fundum oppigneravi, promisit alicui poenam, quam si teneretur præstare, fortè cogeretur uendere fundum meum oppigneratum. Ego itaq; stipulor ab illo cui debetur poena, ut creditori meo poenam remittat. Hoc casu ualeat stipulatio, licet alteri fiat, quia mea interest fundum meum quem oppigneravi, propter poenæ commisionem non distrahi.

§ *Versa uice.*

Sicuti stipulatio facti alieni sine poenæ adiectione non ualeat, Ita quoq; promissio alieni facti non ualeat, ut hoc modo: Promitto tibi quòd Titius scribat tibi librum.

§ *Item nemo rem suam.*

Vt hoc modo: Promittis mihi uuas in uinea mea nascituras, non ualeat, quia quòd prius meum est, amplius meum fieri non potest.

§ *Quod turpi ex causa.*

Sicut enim de natura impossibile est, quem digito coelum attingere, Ita quoq; de iure impossibile est, quem posse homicidium, uel sacri legium committere.

## DE FIDEIVSSORIBVS. Tit. XXI.

**D**ICTVM est supra de obligationibus, quibus quis principaliter & pro seipso obligatur. Sequitur nunc quib. modis quis pro alio, & sic accessoriè obligatur. Sunt autem personarum species, quæ

• pro alijs



pro alijs intercedunt, quinq; Mandator, Sponsor, Constitutus, Expromissor, & Fideiussor.

*Mandator.* Mandator est qui consentit de præstando officio gratuito, & cōstituitur tantum ante obligationem principalis, excepto uno casu, ut cum mando creditori alicuius, ne urgeat debitorem suum periculo meo, l. Si uerò non remunerandi, §. si post, Vers. plane. ff. mandati.

*Sponsor.* Sponsor est qui sua sponte & sine rogamine intercedit pro alio principali debitore præsentente.

*Constitutus.* Constitutus est, qui promittit nudo pacto soluere, quod ipse uel alius antè debebat, & is tantum post obligationem principalis accedit.

*Expromissor.* Expromissor est, qui promittit pro nō obligato, ut si dominus uellet manumittere seruum, qui ei deberet decē, & aliquis accederet promittens domino illos decem pro seruo, diceretur is expromissor, quia promittit pro seruo qui obligatus non est saltem ciuilitè, l. Et eleganter, §. seruus pactionis. ff. de dolo.

*Fideiussor.* Fideiussor uerò est, qui per stipulationem obligatur pro alio principali ad illud idem, ut sit creditori diligentius cautum. Et si plures sunt dati fideiussores uni creditori, tenentur omnes in solidum ipso iure, nisi creditor diuidat petitionem suam. l. reos. C. de fideiussoribus.

*Beneficia fideiussorum.*

Habent tamen fideiussores duo beneficia quæ obijcere possunt. Primum est beneficium epistolæ diui Adriani, quo creditor cogitur diuidere obligationem, & à singulis suam partem petere, si modò soluendo sunt. Si uerò quidam fideiussorum soluendo non sunt, ceteri onerantur, §. si plures, hic titulo nostro. Hoc tamen uerum est, si huic beneficio expressè non renunciauerunt. Secundum beneficium fideiussorum est disposito Autenticæ præsentis, C. de fideiussoribus, qua cauetur quòd creditor fideiussorem conuenire non potest, nisi prius excusso principali debitore, qui si fuerit absens, uel non soluendo, conuenitur fideiussor. Possunt autem fideiubere omnes, qui alioqui obligari possunt. Excipiuntur tamen milites. l. Milites, C. locati. Secundo clerici. Tertio mulieres. Ut C. per totum tit. Ad S. C. Velleia. Et potest fideiussio fieri pro omnibus personis, quæ ciuilitè & naturaliter obligari possunt. Item potest accedere fideiussor tantum in ciuili obligatione, ut pro eo qui dedit chirographum alicui spe futuræ numerationis, in quò confitetur se pecuniam mutuò accepisse, quam tamen non accepit. Et hoc casu habet fideiussor exceptionem cōtra creditorem, non numeratæ pecuniæ. Similiter potest accedere fideiussor in sola naturali obligatione, ut si detur pro seruo tantum naturaliter



raliter obligato. Prædicta tamen omnia intellige in civilibus causis, quia in criminalibus fideiussio non admittitur.

CAUSA finalis est, ut creditori diligentius sit cautum. Sunt enim duæ cautiones quæ dicuntur plenæ, per fideiussores scilicet, & pignora. Si autem fideiussor pro reo soluit, repetit ab eo per actionem mandati.

§. Finalis) Id est, fideiussio debet fieri per stipulationem, & stipulatio fit per interrogationem & responsionem, & sic solenniter. Si autem nunc in instrumento esset scriptum quem fideiussisse, nec tamē fieret mentio stipulationis, nihilominus præsumitur quod stipulatio intercesserit, & sic quod omnia sint solenniter acta, quia huiusmodi solennitates intrinsecæ præsumuntur. l. sciendum, ff. de uerbo, obligat.

## DE LITERARVM OBLIGATIONE.

Tit. XXII.

**S**EQVITVR tertia species contractuum, ex qua oritur obligatio, contractus literarum scilicet. Est autem obligatio literarum, quando debitor spe futuræ numerationis dat chirographum, in quo confitetur se certam pecuniæ summam mutuò accepisse. Dico spe futuræ numerationis, quia si ex causa de præterito cōfiteor me debere, ut quia emi rem aliquam à creditore, & tunc non attenditur numeratio, sed tantum an præcedens causa fuerit sufficiens. Et hoc casu non habet locum materia tituli nostri l. Aduersus. C. de non nume. pecu. Debet enim hæc obligatio fieri de presenti, non autem de præterito. Dico, dat chirographum etc. quia si debitor confitetur sine scriptura, non est obligatio literarum, ut Sali. in l. generaliter. C. de non num. pecu. Dico, in quo confitetur se mutuò accepisse, quia si confiteretur pecuniam sibi esse numeratam, non esset contractus literarum, sed contractus qui re cōtrahitur, mutuum scilicet. Dico certam summam, quia hic contractus regulariter habet locum in reb. quæ numero, pondere, & mensura consistunt. Si autem ex alia causa quàm mutui confessio fiat, statim præiudicat sibi confitens. l. generaliter. C. de nō nume. pecu. Est enim speciale in mutuo.

Causam efficientem istius obligationis uides esse confessionem in literis factam. Et est hic contractus à iure civili introductus. Reliqui enim ferè omnes sunt Iuris gentium.

EFFECTVS est, quod confessio in literis facta parit civilem obligationem tantum ante biennium, non autem naturalem, quia deficit consensus debitoris, uoluit enim tacitè se nolle obligari, si numeratio



ratio pecuniæ non sequeretur. Post biennium accedit quoq; naturalis obligatio ad ciuilem. Præsumitur enim quòd pecunia sit numerata, ex quo debitor infra biennium chirographum à debitore non repetijt. Oritur autem ex illa obligatione actio ex stipulatu, si stipulatio intercessit. Si uerò non intercessit, oritur actio quæ uocatur condictio ex lege. l. in contractib. C. de non nu. pec. Et si creditor infra biennium actione ex stipulatu egerit, potest repelli per actionem in factum. Si uerò cōdictio ex lege à creditore proposita fuerit infra biennium, eliditur per exceptionem non numeratæ pecuniæ. Et transferatur onus probandi in creditorem, ut probet scilicet pecuniam, de qua in chirographo mētio fit, numeratam esse, si uerò post biennium agit creditor, probatur actio per confessionem chirographariam. Non enim præsumitur debitorem fuisse tam negligentem, quòd infra biennium chirographum suum non repetierit, si pecunia numerata non fuisset. Et sic est præsumptio pro scriptura, quæ transfert onus probandi in debitorem, ut probet scilicet pecuniam numeratam non fuisse. Et hoc speciale in hoc contractu. Idem tamen est in sponso, qui cōfiteatur se accepisse centum aureos in dotem à socero, iuxta l. in contractibus, in fin. C. de non nume. pecu. In quibus casibus cessat exceptio non numeratæ pecuniæ. Vide Ioan. de Plat. hic. Hæc tamen exceptio non numeratæ pecuniæ cessat in quinque casibus. Primus, quando quis confitetur se recepisse depositum. Secundus, quando procurator fisci confitetur se recepisse solutiones tributorum, & collectarum. Tertius, quando maritus post dotalia instrumenta confitetur se dotem recepisse. Quartus, quando procurator fisci uendens rem, confitetur sibi precium esse solutum. Quintus, quando mulier in instrumento fideiussionis confitetur se precium recepisse pro fideiussione, Vide Ioan. de Plat.

*Post multum temporis.*

Non potest se defendere per exceptionem non numeratæ pecuniæ, nisi paratus esset probare pecuniam numeratam non esse.

DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSU. Tit. XXIII.



EQVITVR quarta contractuum species, cōtractus scilicet qui consensu contrahuntur. Dicuntur autem illi cōtractus consensu contrahi, propterea quòd in eis nudus consensus parit obligationem & actionem, quod non est in alijs contractibus. Ideoque differunt ab alijs contractibus. Et primò differunt ab illis qui re contrahuntur, quales sunt mutuum, indebitum, commodatum, depositum, pignus, de quorum substantia



tia est quod res interueniat, alioqui nihil operantur. Secundò differunt à stipulatione, de cuius substantia est, quod partes sint præsentès, & consensum uerbis exprimant. Tertiò differunt à literarum obligatione, in qua necessariò requiritur scriptura. Quartò differunt à contractibus innominatis, qui quoq; consensu contrahuntur. Sed tamen in eis solus consensus nihil operatur, requiritur enim rei interuentus. Consensus tamen est de substantia omnium contractuum. Sed consensus solus per hoc sine alio adminiculo nusquam parit obligationem & actionē, quàm in emptione, locatione, societate & mandato.

Præterea differunt ab omnibus contractibus, supra nominatis, quod in superioribus principaliter obligatur tantum unus, ut in mutuo mutuarius, in stipulatione promissor. In his autem contractibus obligatur uterq; ut in emptione obligatur emptor ad precium, uenditor uerò ad tradendam rem uenditam.

Postremò differunt à stipulatione, quod in ea nihil uenit, nisi de quo expressè actum est. In illis autem contractibus officio iudicis ex bono & æquo multa præstantur, de quibus actum non est. *Vt si quis ignorans uenderet equum uitiolum, teneretur emptori de uicio, ut cuncq; de eo nihil sit actum. Item si quis simpliciter conduceret domum, cuius parietes rumberentur &cæ, teneretur conductor de ruptis & cæsis officio iudicis ex bono & æquo, licet de eis nihil sit actum.*

*Vitium est à natura.  
Morbus uerò per accidens.*

*Per epistolam.)* Inde sequitur quod etiam surdus & mutus hoc modo possunt contrahere.

*Promittat.)* Et quod uerbis omissum est, habetur pro omissio, neq; aliquid præstatur ex æquo & bono.

## DE EMPTIONE ET VENDITIONE. Tit. XXIII.

**P**RIMVS contractus qui consensu contrahitur, est emptio. Cœpit autem emptio primùm à permutatione. Olim enim cùm nummus non esset, neq; merx, neque precium constituebatur, Sed unusquisq; secundum tēporum ac rerum necessitatem utilibus inutilia permutauit, quia autem nō semper, nec facilè cōcurrerat, ut tu haberes quod ego desiderarem, & econuerso, ego haberē, quod tu accipere uelles, inde electa materia est, cuius publica & perpetua æstimatio difficultatibus permutationū æqualitate quantitatis subueniret, eaq; materia forma publica percussa, nūmus dicebatur, precium à merce distinguēs, ac emptionē cōstituens. uide l. 1. ff. de cōtrah. empt.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
QVOMODO CONTRAHITVR EMPTIO  
& uenditio primo.

Contrahitur autem emptio & uenditio solo consensu, postquam inter emptorem & uenditorem de precio conuentum est uerè & nō simulatè. Dico solo consensu, quia non requiritur interuentus rei, utcunque enim merx tradita non est, nec precium numeratum, tamen si conuentum est, utrinq; orta est obligatio, quòd scilicet uenditor tenetur ad tradendam rem, & emptor ad precium numerandum. Deinde quoque non requiritur partium præsentia, quia inter absentes, ut per nuncium, uel epistolam emptio fieri potest. Dico uerè & non simulatè, quia si de precio conuentum est animo donandi, emptio non est. Contrahitur autem emptio & uenditio bifariam. Aut per uerba præsentis temporis, ut quia uenditor dicit: uendo tibi illam uel illam rem. Aut per uerba futuri temporis, ut quia uenditor promittit uendere & tradere. Primo casu distingue: Aut facta est uera traditio rei uenditæ, & emptor non habet actionem ex empto ad perfectionem contractus, quia per traditionem iam perfectus est, habet tamen alias actiones. Prima, si res empti fuerit euicta, potest emptor agere de euictione contra uenditorem. l. Ex empto, in principio. ff. de act. empti. Secunda, si res uitiosa (intellige de uitio latenti) est uendita, habet emptor actionem redhibitoriam contra uenditorem, ut contractus dissoluatur. d. l. Ex empto. §. Redhibitionem. ff. de act. empt.

Tertia, si uenditor pacta adiecta emptori nō seruauerit, habet emptor contra eum actionem præscriptis uerbis &c. ad impletionem pactorum. l. 2. C. de pact. int. empt. & uend.

Aut est facta quasi traditio, puta quia uenditor confitetur se rem uēditam precario tenere ab emptore, quo casu, quia translata est naturalis possessio, per quasi traditionem competit emptori ad consequendam ciuilem possessionem, actio ex empto. Ita colligitur ex gl. in l. Iulianus. §. possessionē, ff. de actio. emp. Aut res uēditā omnino non est tradita. Et tunc, aut emptor precium non numerauit, uel numerauit, sed tantum partem precij, & non potest agere contra uenditorem actione ex empto, ut res tradatur (nisi aliter conuentum sit) quia uenditor rem ipsam pro pignore retinere potest, nisi precium soluat. d. l. Iulianus. §. offerri. ff. de actio. empti. Aut emptor numerauit precium, & tunc, aut uenditor habet rem uenditam, & competit actori actio ex empto, ad rem tradendam. Aut uenditor non habet rem, & agit emptor contra eum ad interesse, quanti scilicet sua interest, quòd res tradita non est. l. i. in prin. ff. de actio. empt.

Secundo casu, quando scilicet emptio & uenditio celebratur per uerba



uerba futuri temporis. Distingue: Aut est à contrahentibus aliquid datum nomine arrarum, & tunc si cōmuni consensu ab emptione disceditur, arra non amittitur. Si uerò altero nolente disceditur, & tunc si emptor discedit, amittit quod nomine arrę dedit. Si uerò uenditor discedit, restituit duplū arrę. In his autē. hic tit. nostro. Aut nihil est datum nomine arrarum, & impunè disceditur. argum. l. ij. C. quando liceat ab emptio, discedere.

Secundò contrahitur emptio & uenditio, aut in scriptis, aut sine scriptis.

In scriptis fit, quando conuentum est, quòd non aliter ualeat, quàm si desuper facta sit scriptura, quo casu contractus dicitur perfectus, postquam scriptura redacta est in mundum. In his autem. hic tit. nostro. Et ante illam absolutionem scripturę uterq; potest pœnitere. Si tamen ab initio simpliciter contrahitur, & postea fit scriptura tantum ad probationem contractus, quo casu contractus etiã sine scriptura ualeat. l. Contrahitur. ff. de pignor.

Si uerò sine scriptis celebratur emptio, statim est perfecta, & ad obligationem, nec etiã est locus pœnitentię, utcunq; merx tradita non sit, nec precium solutū, nisi data sit arra. Tum enim locus est pœnitentię. Ita tamen quòd si emptor à contractu recedit, arram amittat. Si uerò uenditor, restituat duplicatam.

Tertiò contrahitur emptio uel purè, uel in diem, uel sub conditione. Purè fit, quando neq; dies, neq; conditio adijcitur, sed simpliciter contrahitur. In diem uerò, cum adiecto die, quo emptio perfici debet, contrahitur. Sub conditione, cum in aliquem casum differtur emptio. De quibus uide. §. Omnis stipulatio, cū sequen. sup. de uer. oblig. Dicitur autem & illa Conditionalis emptio, quando exprimitur, quòd si quis meliorem conditionem adiecerit, res sit inempta, ut ff. per tot. De in diem addictio.

Quartò contrahitur emptio. Aut simpliciter, aut adiectis pactis. Simpliciter contrahitur, quādo uenditor tenetur tantum ad tradendam rem, emptor uerò ad numerandum precium. Adiectis pactis contrahit, quando ultra traditionem rei et precij numerationem, alia q; requirunt, ut hoc modo: Vendo tibi domū meā sub illo pacto, ut si tu posthac uedere uolueris, mihi uendas. Vel hoc modo: Vendo tibi sub hoc pacto, ut quādocunq; libuerit a te redimere possem. De quib. C. per to. ti. de pac. int. emp. et uen.

CAUSA efficiens contractus istius, est consensus contrahentium. l. i. in fin. ff. de contrah. empt.

CAUSA materialis est precium in pecunia numerata, & merx siue res quę uenditur. d. l. Ex empto. in prin. ff. de actio. empti.



## ENARRATIONES IN INSTITVT.

**EFFECTVS** est parere obligationem ad tradendam rem uenditam, & precium numerandum, quæ obligatio parit duas actiones. Actionem ex empto, & Actionem ex uendito.

### DE ACTIONE EX EMPTO.

Actio ex empto datur emptori, qua agit contra uenditorē, ut rem uenditam tradat. Et hæc complectitur tres alias Actiones. Primò, Actionem de euictione, qua agit emptor cōtra uenditorem, si nō fuerit dominus rei uenditæ, & res euincatur. Secundò, Actionem redhibitoriam, qua agit infra sex menses ad rescindendum contractum, si uendita est res, habens uitium latens. Tertiò, Actionem præscriptis uerbis, Si uenditor placitis non steterit, d. l. Ex empto. ff. de Actio. empti.

### DE ACTIONE EX VENDITO.

Actio ex uendito competit uenditori ad ea consequenda, quæ ei emptor præstare tenetur. In qua actione ueniunt primùm, precium, quanti scilicet ea res uendita est. Secundò, usuræ precij post diem traditionis. Nam cum emptor re fruatur, æquissimum est eum usuras precij soluere. l. Iulianus. §. Ex uendito. ff. de Actio. empti.

Hic contractus celebratur inter omnes personas non prohibitas. Prohibetur autem in illis, quæ habent aliquam potestatem in persona emptoris uel uenditoris. Hinc sequitur patrem non posse emere à filio, & econtrà. Nisi in Castrensi & quasi castrensi peculio. l. ij. ff. de contrah. empt. Item tutorem à pupillo, curatorem ab adulto, & econtrà, nisi alterius tutoris autoritas accedat. Idem dic de procuratoribus, negotiorum gestore, œconomo ecclesiarum. l. Si in emptione. §. fin. ff. de contrah. empt.

### QVAE RES VENDI NON POSSINT.

Vendi uerò non possunt res sacrae, sanctae, religiosae, publicae, uenenum malum, frumentum quod pro exercitu principis, uel ad usum Reipublicae comparatum sit. Item liquores, arma, & similia, Barbari, Spadones seu Eunuchi uiolenter facti, liberi à parentibus, perpetua hæreditas uiuentis &c. ut colligitur ex tit. C. quæ res uendi non possint.

### AD QVEM SPECTET COMMODVM & periculum rei uenditæ.

Quando autem quæritur, ad quem spectet commodum & periculum rei uenditæ. Distingue: Aut uenditio est facta alternatiuè, ut uendo tibi Stichum aut Pamphilum. Et tunc interitus prioris spectat ad uenditorem, periculum uerò posterioris ad emptorem. l. Si in emptione. §. Si emptio. ff. de contrah. empt. Aut est facta uenditio super una



una re certa. Et tunc, Aut expressè conuentū est, ad quem periculum pertinere debeat, & pertinet ad illum, qui in se suscepit. l. Si in uenditione, in prin. ff. de per. & cōmo. rei uend. Aut nihil est conuentum. Et subdistingue: Aut uenditio est conditionalis, & tunc pendente conditione, spectat periculū ad uenditorē. l. Necessario §. Quòd si pendentē. ff. de per. & com. rei uendi. Aut est pura uenditio, uel per cōditionis euentū purificata. Et subdistingue: Aut res uendita est uerè tradita, aut omnino nōn est tradita, aut est tantū quasi tradita. Primo casu subdistingue: Aut tempore traditionis, res est sine uitio, et periculū supueniens spectat ad emptorē. l. i. C. de pericu. & com. rei uend. Aut tempore traditionis res erat uitiosa. Et distingue: Aut loquimur de uitijs naturalib. siue accidentalib. rerū animatarū, utputa de morbis animalium, siue corruptis moribus seruorum. Et tunc, Aut est uitium patens, & spectat periculū ad emptorem, Aut est uitium latens, ut quia uenditur seruus, qui est fur. Et tunc si ex illo uitio perit res uendita, periculū uenditoris est. l. si. C. de per. & com. rei uendi. Aut non loquimur de uitijs naturalibus rerum animatarum, sed de uitijs quarumcunq; rerum, quę fortè rei uenditæ ex facto emptoris, uel uenditoris insunt, ut quia uenditor uendit rem alienam, quę potest euinci. Et distingue: Aut causa euictionis præcedebat contractū, id est, ante emptionem potuisset res euinci, & pertinet periculum ad uenditorē. Aut causa euictionis sequuta est emptionem, ut quia emptor post cōtractam emptionem fortè obligauit rem emptam, ita quòd ab eo possit euinci, & periculū emptoris est. d. l. i. §. Auctor. C. de pericu. & com. rei uendi.

Secundo casu, quando scilicet res uendita perit ante traditionem. Distingue: Aut perit per uenditorē, quia eius culpa, mora uel calliditate factum est, quo minus res traderetur, et periculum pertinet ad uenditorē. l. Quòd si neq;. ff. de pericu. & com. rei uend. Aut stetit per Emptorem, quo minus traditio fieret. Et periculū spectat ad emptorem. l. Lectos. ff. de pericul. & commod. rei uend. Aut uterq; tam emptor, quàm uēditor, fuit in mora uel culpa, quo minus traditio fieret. Et tunc ad eum spectat periculum, cuius culpa uel mora nouissima traditionem impediuit. l. Illud. ff. de pericul. & commo. rei uendi. Aut neuter erat in mora, uel culpa, et tunc si res uendita perit, periculum emptoris est. l. final. C. de pericul. & com. rei uenditæ.

Tertio casu, quādo scilicet res uendita nō est uerè tradita, sed quasi tradita, puta q̄a liquores per emptorem gustati sunt, grana mensurata, animalia signata. Et distingue: Aut uēditę res sunt p



modum certarū specierum, uel certa corpora, ut quia quis emit uniuersum, quod in horreis positum erat, uel emit illā & illam amphoram uini, expressè designatam, & spectat periculum ad emptorem. Aut uendite sunt quedam res è multis eiusdem generis ad mensurā tantū, ut si quis simpliciter emeret in cella uinaria decem urnas uini mensurādas ex numero uasorum illic existentium. Et tunc si perit uinū antequam mensuretur, pertinet periculum ad uenditorem. l. ij. C. de per. & com. rei uend. Et quę de periculo dicta sunt, tu quę refer ad cōmodū, Ad quem enim spectat commodū, ad eundem spectat quoque periculum. Quando autem Res aliena uel alteri obligata uenditur, & postea ab emptore euincitur, queritur, quibus modis emptori subueniatur. Et distingue: Aut expressè conuentum est de re euicta, uenditorem nulla actione teneri, Aut conuentum est re euicta, uenditorem actione de euictione tantū non teneri. Aut conuentum est re euicta uenditorem de certo modo tantū teneri. Aut omnino nihil conuentum est. Primo casu distingue: Aut uenditor uendit bona fide, nesciens scilicet rem alienam, uel alteri obligatam. Et tunc si euincitur, non tenet, neque de precio restituendo, neque ad interesse. Aut uenditor uendens sciuit rem esse alienam, & sic fuit in dolo. Et tunc re euicta, tenetur emptori ad precium, non obstante illa remissione. Non enim debet simplicitas emptori obesse, & uenditori dolus prodesse. l. Tenetur. §. final. ff. de act. empt.

Secundo casu, quando scilicet conuentum est uenditorem actione de euictione tantū non teneri. Distingue: Aut queritur de precio restituendo. Et tunc subdistingue, Aut emptor sciens emit rem alienam uel obligatam, & ea euicta, non potest repetere precium. l. Si fundum. C. de Euictio. Aut nesciuit rem alienā, & tenetur uenditor restituere precium. Aut queritur de interesse præstando, & non tenetur uenditor. Per remissionem enim euictionis uidetur quoque remissum interesse. l. Emptorem. §. Qui autem. ff. de actio. empti.

Tertio casu, quando scilicet conuentum est de re euicta, Uenditorem de certo modo tantū teneri. Et tunc seruatur quod est conuentum. Pactum enim est regulatum secundum uoluntatem contrahentium, modò absit dolus.

Quarto casu, quando scilicet omnino nihil actum est de euictione. Distingue: Aut euincit possessio, aut proprietas rei uenditæ. Si possessio, tunc non competit actio emptori cōtra uenditorem ad precium restituendū, quia res pro non tradita habetur. Sed potest emptor agere ad rem tradendā, uel secundum quosdam, ad



ad interesse, l. Ratio possessionis, in principio, iunct. glo. ff. de actio. empt. Si uero proprietates euincitur, tunc aut euincitur de facto, et uenditor non tenetur, nisi promiserit emptori stare de euictione facti. l. 2. in principio. ff. de hæred. uel actio. uend. Aut euincitur de iure, et sic causa cognita, & subdistingue: Aut sententia, per quam euincitur, fuit iniquè lata per errorem, & non tenetur uenditor. l. si per imprudenti am. ff. de euictio. Aut sententia fuit iusta. Et subdistingue: Aut fuit uendita res euicta cum uniuersitate, puta quia uendita fuit tota hæreditas, in qua erat prædium alienum, quod euinci poterat, & tunc si nominatim fuit actum de illo prædio, & tenetur uenditor. Si uero nominatim de eo actum non erat, non tenetur uenditor, per l. 1. C. de euict. Aut res euicta fuit uendita singulariter, nec est facta mentio euictionis. Et tunc si emptor in tempore, ante sententiam scilicet denunciauerit uenditori de euictione, & tenetur uenditor de euictione, l. si rem quam. §. fina. ff. de euictio.

## DE RESCINDENDA VENDITIONE.

Postremo de rescindenda uenditione dicemus, quo casu distingue: Aut uenditio est ab initio nulla, aut ex post facto annullanda. Primo casu, aut est nulla ratione rei, ut si scienter emptæ est res sacra, sancta, religiosa, publica, liber homo &c. & non opus est rescissione. Aut est nulla propter defectum substantialium contractus. Et subdistingue: Aut loquimur de substantialibus extrinsecis emptionis, qualia sunt merx & precium. Et tunc quia uitia sunt apparentia quoque, non opus est rescissione, sed contractus ab initio non ualuit. §. precium autem hic tit. nostro. Aut loquimur de defectu substantialium intrinsecarum, qualis est consensus. Et tunc, aut deficit consensus propter dolum qui dedit causam contractui, & quoque non opus est rescissione, sed emptio fuit ab initio nulla. l. Et eleganter, in principio. ff. de dolo. Aut defuit consensus propter metum, qui potuit cadere in constantem uirum. Et rescinditur emptio per actionem, quod metus causa, ut C. & ff. per totum titulum, de eo quod met. caus. Secundo casu, quando scilicet emptio ab initio ualet, sed ex post facto annullatur, subdistingue: Aut respicimus personas contrahentium, ut si minor contraxit & læsus est, & rescinditur emptio per restitutionem in integrum, ut C. per totum, si aduersus uendit. Aut non respicimus personas contrahentium, sed ad ipsum contractum, Et tunc aut uendita est res habens uitium latens, & rescinditur uenditio infra sex menses per actionem redhibitoriam. l. Ex empto §. redhibitionem, cum similibus. ff. de actio. empti. Aut res uendita non est uitiosa, & tunc, si quis deceptus est ultra dimidiū iusti precij, agit uel ad supplementum precij, uel ad rescissionem contractus. l. 2. C. de rescind. uend. c. cum causa, extra de empt. et uend.



*Arrarum nomine.*) Arra datur duobus modis. Primò, ut sit argumētum emptionis, quo casu potest uterq; recedere ab emptione cum amissione arrarum. Secundò datur pro parte precij, quo casu neuter à contractu altero nolente recedere potest.

§. *Diuersæ scholæ.*) Conuentio erat utrum etiam esset emptio & uenditio, si species solueretur pro specie, & quidā, ut Sabinus & Cassius, tenuerunt, quòd sic. Et probauerunt ex uersib. Homericis, quos habes hic in textu. Sed contrariam opinionem, scilicet quòd nō esset emptio, sed permutatio, tenuit Proculus. Primò ex illa ratione, quòd in emptione requirantur duo, merx scilicet, & precium. Sed quando datur species pro specie, ut uinum pro frumento, non potest constare, quòdnam ex his sit merx, & quòd sit precium. Præterea habet & ipse pro se uersus Homericos, in sexto Iliados.

*Iuppiter eripuit mirè huic præcordia Glauco,*

*Qui cum Tityde demens crepitantia mutat*

*Arma subæratīs auro uisenda corusco.*

*Proque nouem centum, pro ferro tradidit aurum.*

Quia autem Proculus habet pro se rationes firmiores, & quoque uersus Homericos, meritò eius sententia præualet, quia ubi super uariæ sunt opiniones, statur illi quæ habet plures uel fortiores rationes.

VERS. *Vtiq; tamen.*) Quando res uendita est surrepta, & constat ubi sit, dantur tres actiones. Primò rei uendicatio. Secundò cōdictio, qua scilicet agitur contra personam illius qui surripuit. Tertiò, actio furti. Hæ autem actiones dantur dominis tantum. Quia autem emptor ante traditionem rei non est dominus, quæritur ergo si res empta surrepta fuerit, quibus actionibus possit repeti. Et dic uenditori tanquam domino competere prædictas actiones, quas cedit emptori, & emptor uirtute illius cessionis, illis uti potest.

## DE LOCATIONE ET CONDV.

ctione. Tit. XXV.



**S**ECVNDVS contractus qui consensu contrahitur, est locatio & conductio, quæ est duplex. Quædam enim est temporalis, quæ scilicet fit ad certum tempus, & illa retinet nomen locationis. Quædam uerò est perpetua, & illa aliud nomen sortita est, & dicitur Emphiteosis. Primùm, de locatione temporali dicemus: Est autem locatio & conductio personæ uel rei pro mercede in pecunia numerata, uel conuenta ad usum facta concessio. Dico pro mercede, ad differentiam commodati, quòd quoque est concessio, sed gratuita. In pecunia numerata dico, quia si conueniatur,



conueniatur, ut una res detur usui pro alia, ueluti si usui darem tibi equos hodie ad opus faciendum, ut tu mihi cras alios equos utendos dares, non esset locatio, sed contractus innominatus, factio, ut facias. & preterea, hic tit. nostro. Dico ad usum, ad differentiam emptionis & uenditionis, in qua res non conceditur ad usum tantum, sed dominium transferri si uendens & tradens est dominus.

Est autem duplex locatio temporalis, Expressa, et Tacita. Expressa est, quando uerbis expressis conueniunt de re aliqua constituta, certa mercede locanda. Tacita, quando conductor finito tempore locationis retinet rem locatam sine aliqua alia & noua conuentione. Vtriusque tamen eadem est natura. Nam in tacita censetur repetitum id, de quo in expressa locatione conuentum erat.

CAUSA efficiens istius locationis est consensus, quamprimum enim de mercede pro re usui danda conuentum est, efficit ille consensus contractum, qui locatio dicitur.

CAUSA materialis est merx, & res quae locatur.

EFFECTVS est parere obligationem, quae obligatio parit duas actiones. Actionem ex locato, & actionem ex conducto.

Actio ex locato datur locatori, qua petit mercedem promissam, quam si conductor non soluit, potest expelli. Item expellitur, si dominus rem conductam proprijs usib. necessariam probauerit.

Tertio, si domum reficere uoluerit. Quarto, si conductor male in re locata uersetur. Extra illos casus conductor expelli non potest. l. Aedem. C. eodem.

Pro mercede autem sunt locatori omnia illata & inuecta tacite obligata. l. certi. C. eod. Secundo agit locator hac actione ad restitutionem rei locatae, in qua consequitur quoque restitutionem destructorum. l. cum conductorem. C. eod.

### QVID PRAESTETVR IN ACTIONE locati.

In hac actione praestatur dolus, lata & leuis culpa. Ideo si res conducta dolo uel culpa conductoris periret, periculum conductoris esset. l. In iudicio. C. eod. Sub culpa comprehenduntur primo imperitia, Secundo, error, ut si fulloni uestes poliendae datae essent, quas mutaret. Tertio negligentia &c.

### DE ACTIONE EX CONDUCTO.

Actio ex conducto datur conductori alicuius corporis uel rei ex his ferè causis, ut puta si re non liceat uti quam conduxit, quia possessio totius agri, uel partis eius non praestatur conductori, aut domus non reficitur &c. Et potest agere conductor ad remissionem mercedis. In quo tamen distingue: Aut conductor impeditur



ENARRATIONES IN INSTITVT.

impeditur uti re locata, impedimēto locatoris, & tenetur locator ad interesse, quanti scilicet conductoris interfuit re conducta uti nō potuisse. Aut impeditur impedimento tertij cuiusdam, Et subdistingue: Aut locator potuit prohibere ne impediatur conductor, nec prohibuit. Et iterum tenetur ad interesse, si non prohibuit. Aut non potuit prohibere, & remittitur pensio, seruata iusta proportione. Item agit conductor pro remissione pensionis propter sterilitatem, ubi scilicet recompensari non potest cum ubertate residui temporis. l. licet, cum similibus. C. eodem.

Remittitur quoque conductori pensio propter uim fluminū, graculorum, sturnorum, aut hostium, uel si uredo fructum corruperit, aut solis feruore non assueto id acciderit, uel ager terremotu ita corruerit, ut nusquam sit, uel domus sine culpa conductoris incendio perierit. Et breuiter, propter omnem uim, cui resisti non potest, agit conductor ad remissionem mercedis, siue pensionis. l. Ex conducto. ff. eod. Item agit cōductor hac actione contra locatorem, si seruum furem, uel uitiosum &c. uel uasa uitiosa scienter siue ignoranter locauerit. l. sed addes. §. i. ff. eod. Qui autem possint locare & conducere, Item quæ res locentur, Vide supra de empt. Et tantum de locatione temporali. Nunc de perpetua, quæ emphyteosis dicitur, dicemus.

DE EMPHITEOSI.

Emphyteosis est contractus, per quem dominus retento dominio directo, & ciuili possessione, transfert in Emphyteotam utile dominium, & naturalem possessionem rei immobilis, ad hoc ut singulis annis ipse, uel hæredes eius, domino suisq; hæredibus, annuam pensionem soluant. Et habet nomen à græco ἐμψυτῶσις, quod implantare significat. Fitq; communiter in scriptis, Nisi consuetudo regionis aliter teneat. l. i. & ibi Bart. C. de Iur. Emphyteo. Dico in definitione, dominum directum transferre utile dominium in emphyteotam &c. ad differentiam emptionis, in qua transfertur per traditionem tam utile, quàm directum dominium, modò tradens fuerit dominus. In emphyteosi autem directum dominium non transfertur, sed tantum utile. Secundo ad differentiam locationis temporalis, in qua neq; possessio, neque dominium transfertur. Sunt & aliæ differentiae inter locationem & emphyteosim, quòd locatio semper fit ad certum tempus, Emphyteosis autem communiter in perpetuum. Item quòd conductor rem locatam alteri locare potest, locatore etiam irrequisito. l. nemo. C. eod. Emphyteota uerò Emphyteosim alienare non potest, nisi dominum requisierit, an ipse uelit emere, & si dominus directus usque ad tres menses distulerit, tum potest emphyteota uendere cui uult,



vult, modò detur domino directo, quinquagesima pars (Der abzug) l. fi. C. de Iure Emphiteo. Dico in definitione rei immobilis, quia Emphiteosis in rebus mobilibus constitui non potest, sicut nec feudum. Et sic iterum differt à locatione, quæ tã in rebus mobilibus, quàm immobilibus fieri potest. Dico, ut singulis annis pensionem soluant, ad differentiam feudi, propter quod vassallus nullam soluit pensionem domino directo, sed cum suis fideliter seruit.

Est & alia differentia inter emphiteosim, & feudum, quòd emphiteota emphiteosim etiam domino inuito, seruato modo, de quo supra diximus, alienare potest. Vassallus autem sine consensu domini feudum alienare non potest. ut per totum titu. de prohi. feu. alie. per Frid. & Lothar. Dico, uel hæredes eius, ad differentiam usufructus, qui non transit ad hæredes, sed unà cum persona usufructuarij desinit. Emphiteosis etiam ad hæredes Emphiteotæ transit, modò soluat annuum Canonem. Est autem Emphiteosis duplex, Ecclesiastica, & Priuata. Emphiteosis ecclesiastica constituitur, quando cœconomis uidetur congruum esse, quædam bona, quæ fortè alioqui non sunt satis culta, in Emphiteosim dari. Et hæc amittitur, si emphiteota intra biennium Canonem non soluerit. c. potuit, extra de locato. Priuata Emphiteosis est, quando aliquis priuatus uel secularis transfert utile dominium alicuius rei in Emphiteotam. Et hæc Emphiteosis amittitur, si emphiteota intra triennium, annuum Canonem non soluerit. l. 2. C. de Iure emphi. Constituitur autem utraq; Emphiteosis, aut in perpetuum, ut scilicet neq; emphiteotæ, neq; hæredib. eius auferatur, quàm diu pensio præstetur. Aut constituitur inter certas personas, id est, usq; ad tertium uel quartum gradum &c. Aut ad certum tempus, quod tamen rarò fit.

Emphiteosis duplex.

**C A V S** A efficiens propinqua istius contractus, est consensus contrahentium.

**C A V S** A autem remota est ius ciuile. Nam omnes alij contractus à Iure gentium sunt introducti, Exceptis quatuor, stipulatio, literarum obligatio, donatio propter nuptias, & contractus emphiteoticus. Illi enim à Iure ciuili iutroducti sunt, ut glos. in §. Ius autem gentium, in uerbo, penè, supra de Iure nat. genti. & ciuili. Primum enim tantum steriles fundi concedebantur in emphiteosim, ut maiori fide & diligentia colerentur. Postea ex constitutione diui Zenonis, quæ est pars Iuris ciuilis, dispositum est. Idem seruandum est in fertilibus fundis, ut scilicet pro annua pensione concederentur & adeò, hic titulo nostro.

Contractus Iuris ciuilis.

**E F F E C T V S** est parere obligationem, ex qua deinde nascitur actio, quæ uocatur conductio ex lege, scilicet diui Zenonis, quæ illud contractum

contractum



contractum introduxit, quo petitur Canon ab eo cui res in Emphiteosim data est, & agitur ad alia obseruanda, de quibus actum est in glos. in uerbo, propriam. §. Adeo, hic tit. nostro.

Quando autem quæritur ad quem pertineat periculum, si res Emphiteotica perit, distingue: Aut est conuentum ad quem spectare debeat, & spectat ad eum qui in se suscepit, Aut nihil est conuentum. Et tunc, aut perit tota res, & periculum est domini directi. Aut pars rei perit etiam maxima, & spectat ad Emphiteotam, adeò quòd nihilominus tenetur ad pensionem.

## ENARRATIO TEXTVS.

*Si alieno arbitrio.*) Vt si inter locatorem & conductorem ita conuenerit. Quanti Titius æstimauerit, tanti sit res locata, ualet locatio. Si modò Titius arbitrator iustam mercedem æstimauerit.

## §. Locatio &amp; conductio.

Sicut enim emptio & uenditio consensu contrahuntur, ita quoque locatio, & sicut in emptione substantialia contractus sunt precium & merx, ita quoque in locatione substantialia contractus sunt, merces, & res quæ locatur.

Præterea sicut in emptione precium arbitrio tertij committi potest, ita quoque in locatione merces. Postremò sicut in emptione precium debet esse in numerata pecunia, alioqui esset permutatio, ita quoque in locatione merces, alioqui esset contractus innominatus, facio ut facias.

*Sedeo nomine.*) Quia sicut in emptione precium debet esse certum, uel ex alterius definitione certificandum: Ita quoque merces in locatione debet esse certa, uel certificanda.

*Ac si naturalis esset contractus.*) Omnes alij contractus ex Iuris dispositione habent quædam substantialia, quæ ommissa uitiant contractus. Emphiteosis autem constat ex sola priuata conuentione contrahentium.

*§. Item quæritur.*) Si materia est artificis, tunc sine controuersia contracturitur emptio. Si uerò materia est conductoris, locatio est. Quia tunc conducit tantum operam artificis.

VERS. *Conductor autem.*) In locatione primum seruantur illa, de quibus expressè actum est. Deinde autem, quia locatio est contractus bonæ fidei, multa ueniunt præstanda ex æquo & bono, de quibus etiam expressè conuentum non est, Qualia sunt, quòd locator potest petere interesse, si merces non soluatur. Item tenetur locator reficere fenestras, ostia, tecta, & parietes domus, si sine culpa conductoris perierint.



## DE SOCIETATE. Tit. XXVI.

**T**ERTIVS contractus qui consensu contrahitur, est societas. Dicitur autem societas duorum pluriūmve conventio, honestè contracta, ad uberiorem quæstum, & cōmodiorem usum. Dico pluriūm, qui contra naturam istius contractus est, quòd unus tantūm contrahat. Dico honestè contracta, quia malorum nulla est societas. Itaque si duo conuenerint de lucro communicando ex prohibita causa, ut furto uel simili maleficio, societas non esset. l. Si à Reo. §. fina. cum similibus. ff. de fideiussoribus. Dico ad uberiorem quæstum, ad differentiam eorum, qui simul habitant in eadem habitatione, qui licet largè loquendo pro socijs haberi possint, re ipsa tamen socij non sunt. Ideoq; non competit directa actio pro socio, sed utilis tantūm, ut Spec. in tit. de lud. §. generalia. Vers. Hoc etiam.

Contrahitur autem societas bifariam, Expressè & tacitè.

Expressè contrahitur, quando duo uel plures consultò & deliberatè, de rerum earum communicatione cōueniunt. Et illa fit quatuor modis. Primò de omnibus bonis, in qua ueniunt ipso iure omnes res corporales, quo ad dominium & possessionem. Deinde hæreditates, legata, donationes causa mortis. Nomina (geltschuld) tamen non ueniunt ipso iure, sed alter alteri cedit actiones. l. 1. 2. & 3. ff. eodem. Non tamen ueniunt in hac societate, quæ ex prohibitis causis, furto uel alio maleficio accesserunt. Delictorum enim scæda & turpis communitio est. l. Si fratres §. fina. cum ll. sequentibus. ff. eod. Secundò, simpliciter sine mentione omnium bonorum. Et tunc ueniunt solum illa, quæ ex quæstu, id est, opera personali quærentur. Ut si quod lucrum ex emptione, uenditione, locatione, cōductione &c. descendit, non autem hæreditates, legata, & donationes mortis causa &c. Quia illa non ex quæstu, nec opera, sed ob meritum quoddam accedunt. l. Coiri, cum sequentibus. ff. pro socio. Tertio fit societas aliquius certæ negotiationis, ut uini, frumenti, olei &c. Et tunc ueniunt solum ex illa negotiatione quæsitæ, & nihil præterea, ut hic in principio tituli nostri. Quarto contrahitur societas in una aliqua re, & tunc ultra rem illam societas non extenditur, ut in equo, uel alia re emenda. l. 5. ff. pro socio.

Tacitè contrahitur societas, ut si duo fratres maiores 25. annis negotiati fuerint, & posuerint quid in commune, uidetur tacitè societas contracta in his scilicet negotijs, in quibus est communitio. Secus tamen in hæreditate paterna communi, quia societas non est, nec competit actio pro socio, sed communi diuidendo, uel familiæ her.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

ciscundæ. Vt Barto. in l. cum duob. §. Papinianus. ff. pro socio.

Potest autem societas contrahi, uel ad certum tempus, uel usq; ad mortem alicuius ex socijs. Item purè, uel sub conditione. l. 1. ff. eod. In æternum autem societas nullo modo cõtrahitur. l. Nulla. ff. eod. Est autem de natura istius contractus, quòd seruetur id, de quo expressè partes conuenerunt. Si autem nihil conuentum est, seruetur æqualitas damni & lucri, secundum proportionem Geometricam, hoc est, si Titius & Seius contraxissent societatem, & Titius posuisset ducentos aureos, Seius uerò 100. tunc spectarent ad Titium duæ partes lucri, uel damni, ad Seium uerò una.

**C A U S A** efficiens societatis, est consensus cõtrahentium. Quàm primum enim placuit de ineunda societate, perfecta est societas, licet in commune nihil sit collatum. l. Qui admittitur. ff. eodem.

**E F F E C T V S** est parere obligationem, ex qua nascitur actio post societatem finitam, quæ uocatur actio pro socio. In societate tamen uectigalium, in qua propter uarios alios contractus, neutri prodest à societate recedere, datur actio pro socio, etiam societate durante. l. 6. Actione. §. Nonnunquam. ff. eodem.

Agitur autem hac actione ad collationem rei, lucri, damni, faciendam iuxta distinctionem suprâ traditam, ut si sit in omnibus bonis, agitur ad collationem omnium bonorum, & sic deinceps. Et datur hæc actio socio & hæredibus eius contra socium, & eius hæredes, estq; directâ, id est, communis, **einer hat den andern vorzume** **men**/ ab utraq; parte. §. Ex quibusdam. infrâ de pœna teme. litigant. In hoc autem contractu præstatur tantum dolus, lata & leuis culpa, hoc est, quòd in re communi socius tenetur tantam diligentiam adhibere, quantam adhibet in rebus proprijs. Leuissima tamen culpa non præstatur. Imputet enim sibi qui negligentem socium elegerit. l. cum duobus. §. Venit. ff. eod. §. fina. hic titulo nostro, Soluitur autem societas. Primò, morte naturali unius ex socijs, adeò, quòd si plures sint in societate, & unus moriatur, tota societas soluitur, nisi nouo consensu reintegrauerint, uel conuentum esset inter eos, societatem etiam post mortem alicuius ex socijs durare. l. Actione. §. Morte. ff. eod. §. soluitur, hic tit. nostro. Secundò, morte ciuili, ut maxima capitis diminutione, ueluti si quis ex socijs esset deportatus, uel in seruitutem redactus. l. Verum. §. societas. ff. eod. Tertiò, publicatione omnium bonorum. d. l. Actione. §. publicatione. ff. eodem. Quartò, morte naturali rerum quæ sunt in societate. Quintò, morte ciuili rerum in societatem collatarũ, ueluti, si conditionem mutauerint, & ex prophanis sacrae, uel religiosæ factæ fuerint. d. l. Verum. §. fina. ff. eod. Sextò, renunciatione tempestiua. d. l. uerum. §. fina.




finā. ff. eodem. Septimò contrario consensu §. Manet, hic titulo nostro. Octauò, cessione bonorum §. Item si quis, hic titulo nostro. Nonò, finito negotio.

§. De illa sanè.

Ita intellige hunc §. Titius & Seius conuenerunt, ut duæ partes lucri pertineant ad Titium, & damni tantum tertia pars, et e contra ad Seium duæ partes damni, lucri uerò tertia, ualet conuentio, & tunc computatione facta si omnibus expensis deductis supererit, Titio cederent duæ partes lucri, & Seio tertia. Si autem nihil lucrati sunt, sed sunt in damno, tunc una pars dani spectat ad Titium, & duæ partes ad Seium. Ratio hic est in textu. Quia sæpe tam in preciosa alicuius opera, ut ex industria sua omne lucrum societati accedat.

DE MANDATO Tit. XXVII.

 VARTVS contractus, qui cōsensu contrahitur, est mādum. Dicitur autem Mandatum contractus, quo quis honestum officium & lege permissum gratuito, tacitè uel expressè expediendum suscepit. Et dicitur mandatum, quasi manu datum. Contrahitur enim per hæc uerba plerunq;: Rogo, uolo, peto, committo &c. l. i. ff. Mandati. Dico in definitione officium, quia hic contractus propriè est beneuolentia, quam reddit amicus amico, & ab amicitia primò sumpsit originem. Honestum dico. Quia in rebus turpibus & inhonestis, non est obligatorium mandatum, ut si quis mandaret committere furtum, uel adulterium §. Illud quoq; hic tit. nostro. Dico lege permissum, quia utcunque mandatū sit honestum, tamen si est contra leges, quoque non est obligatoriū, ueluti si quis mādaret filiofamiliars dari pecuniam mutuò, non ualere mandatū, esset enim contra Senatusconsultum Macedonianum. l. i. cum similibus. C. ad Senatusconsultum Macedonianum. Dico gratuito, quia si merces interuenit, mandatum non est, sed locatio operarum §. fina. hic titu. nostro. Remunerandi tamen causa potest mandator mandatori aliquid dare, & manet nihilominus mandatum. l. Si remunerandi. ff. Mandati. Tacitè dico, quia quando me præsentem patior quem gerere negotia mea, mandare uideor. d. l. Si remunerandi §. Si passus. ff. Mandati. Dico, expediendum suscepit, Quia si quis administrat negotium in absentia alicuius sua sponte sine mandato suscepto, mandatum non est, sed quasi contractus. Ideoque non oritur actio mandati, sed actio negotiorum gestorum §. Igitur, infra, tit. proximo.

Contrahitur autem mandatum sex modis. Primò, mea tantū



ENARRATIONES IN INSTITVT.

gratia, ueluti si mandem ut negotia mea geras, uel pro me fideiubeas. Secundò, alieni tantum gratia, ueluti si mando tibi, ut Titij negotia geras. Tertiò, gratia mea & aliena, puta, ut mea & Titij negotia geras. Quartò, gratia tua & mea, ueluti si mandem, ut credas procuratori meo pecuniam sub usuris. Quintò, tua & aliena gratia, ueluti si mado, ut Titio sub usuris pecuniam credas. Si autem mandarem, ut ei crederes pecuniam sine usuris, esset mandatum tantum gratia aliena. Sextò, gratia mea, tua, & aliena, ueluti ut pecuniam mihi & Titio sub usuris credas. Si autem tua tantum gratia fit mandatū, ut hoc modo: Titio rogo te, ut des pecuniam sub usuris, mandatum non est, sed consilium, nec oritur Actio mandati.

Potest autem mandatum contrahi inter praesentes, & absentes, per nuncium uel epistolam. Item pure, in diem, à die uel sub condicione.

**CAUSA** efficiens istius contractus est consensus.

**EFFECTVS** est, si mandatum à mandatario est susceptū, quod parit obligationem. Si autem ab eo susceptum non est, nihil parit. Est enim ab initio liberum mandatum suscipere, uel non suscipere. Susceptum tamen obligat suscipientem, iuxta regulam: Contractus nominati ab initio sunt uoluntatis, ex postfacto autem necessitatis, sicut Cide actio, & obligatio. Obligatio autem illa parit duas Actiones, Actionem mandati directam, & Actionem mandati contrariam. Actio mandati directa datur mandanti, qua petit rem ex mandato suo emptam, unà cum fructibus. Vel si mandatum expeditum non est, agit ad interesse. Veluti si Titio mandassem, ut Lypsæ in nundinis mea negotia gereret, quia acceptasset mandatum, nec tamen gessisset, competeret mihi Actio mandati directa contra eum, in quantum mea interest, negotia gesta non esse. Si autem nihil interest, nulla datur Actio, etiam si mandatum susceptum expeditum non est. *l. Si procurator.* §. Mandati actio. ff. mandati. Actio mandati contraria datur mandatario, eiusque hæredibus, contra mandantem, eiusque hæredes, postquam mandatum impleuit, qua petit, quod mandantis nomine expendit, in qua ueniunt quoque Usuræ. Veluti si mandatarius empturus nomine mandantis, acciperet ad hoc pecuniam mutuò sub usuris, agit quoque hac Actione ad usuras contra mandantem. Item datur hæc Actio procuratoribus & fideiussoribus. §. Si quid autem. supra, de fideiussoribus. Item datur ei, qui pro alio promittit animo nouandi.

**QVID PRAESTETVR IN MANDATO.**

Quando autem quaeritur, quid praestetur in Mandato. Distingue: Aut est tale mandatum, in quo requiritur exactissima diligentia, ut in causis



causis forensibus, quæ mandantur procuratori, & tenetur procurator præstare leuissimam culpam, l. à procuratore, C. Mandati. Aut est tale mandatum, in quo requiritur exacta diligentia, ut soluere pecuniam, ædificare domum &c. Et tenetur mandatarius præstare leuem culpam, l. In re mandata, C. Mandati. Idem dic de illis quæ requirunt modicam diligētiam, ut portare literas, uel simile quiddam, nisi mandatarius in se receperit custodiam uel mercedem, tunc enim teneretur etiam de periculo rei, quod nota contra uectores & nuncios, l. Eum qui, §. si epistolam, ff. de furtis. De casu autem fortuito nō tenetur.

Finitur autem mandatum. Primò, si re integra mandatarius reuocauit. Dicitur autem re integra, si eo tempore renunciaret is, quo mandati integrum ius explicandi eandem rem per se uel per alium reseruatum sit. Si tamen mandatarius post negotium susceptum aduersam ualerudinem, capitales inimicitias, aut similes causas prætendere possit, tunc quoque renunciatio habet locum, l. Si mandauero, §. fin. cum in j. ll. sequentib. ff. Mandati. Secundò, morte mandatarij re integra. Tertiò, morte mandantis re integra. Si tamen post mortem mandantis, mandatarius mandatum fuerit executus, & ignorauerit mandantem mortuum, subueniretur ei ex æquitate, §. Rectè, hic titulo nostro.

## EXPOSITIO TEXTVS.

*Aut si uolente.* Id est, Si Titius fideiussisset pro Sempronio, creditor autem, qui eum fideiussorem accepisset, egit cum eo ex fideiussoria causa. Titius autem mandat, ut cum Sempronio reo principali agat suo periculo, mandatum dicitur contractum gratia tua, & mandantis.

*Stipuleris.* Exemplum. Gaius dedit Seio centum aureos, & uult alium delegare qui pro eo promittat, ita ut fiat nouatio. Seius autem creditor recusat, ideoque Gaius principalis debitor mandat Seio creditori suscipere promissionem à delegato suo periculo, hoc mandatum utique fit mandantis & mandatarij gratia.

*§. Tua tantum gratia.* Mandatum inutile est duplex, Consilium, & turpe mandatum. Mandatum tua tantum gratia, est consilium. Ideoque non obligatorium, quum ex consilio nemo teneatur. In hoc tamen distingue: Aut loquimur in contractibus. Et tunc si consilium sit bona fide, & non tenetur consulens, modò mandatarius alioqui fuisset factururus, etiamsi non fuisset consultum. Si autem non fuisset alioqui factururus, & tenetur consulens, l. Si remunerandi, §. Planè, ff. Mandati. Aut est consilium fraudulentum, ut puta, quia consulens sciebat quem breui cessurum bonis, & mandauit, ut quis illi daret pe-



cuniam mutuò, certè consulens hoc casu tenetur Actione de dolo. l. Quòd si cùm scires. ff. de dolo. Aut loquimur in delictis. Et tunc aut delictum est sequutum, & tenetur consulens illi, in cuius perniciè consuluit. Eius enim ope factum esse intelligitur. l. Qui seruo. ff. de furtis. Aut delictum non est secutum, & tunc aut loquimur de grauioribus delictis, qualia sunt: Magna furta, item cædes, & similia, & punitur consulens extraordinariè, id est, non est certa poena in Iure expressa, quæ debet imponi illi, qui consuluit ut quis delinqueret, sed punitur arbitrio Iudicis. Et est ratio. Quia in leuioribus spectatur exitus, non uoluntas. Secus autem in grauioribus. l. In eum. ff. de extraor. crimin. Aut loquimur de leuibus, ut de iniuria uerbali, & c. & non tenetur consulens. l. Item apud Labeonem. § si curauerit. ff. de Iniurijs.

*Non tamen ullam.*) Consulens tamen tenetur illi, in cuius perniciè consuluit. d. l. qui seruo. ff. de furtis.

§. *Is qui exequitur mandatum.*

Regula est, fines mandati diligenter custodiri debere, nec ab eis recedi. In hac distingue: Aut mandatum est generale, nec habet determinatam & certam formam, ut: mando alicui, ut emat mihi librũ, nec tamen exprimo precium, & ualet emptio, pro quocunq; precio res empta sit. l. Præterea. ff. Mandati. Aut mandatum habet specificã & determinatam formam, puta quia mando tibi, ut domum meam uendas pro centum aureis, & tunc si mandatarius maioris uendiderit, ualet uenditio, quia maiori summæ inest minor. Si uerò minoris, non ualet, & possum domum meam, non obstante uenditione, uendicare, nisi emptor sit paratus reliquum quod deest summæ, addere. l. diligenter. ff. eodem. Sic quoq; si mando, ut emas mihi rem pro centum aureis, maioris emere non licet, Minoris uerò sic, Quia maiori summæ inest minor.

*Integra res sit.*) Res dicitur integra multis modis, In procuratore ad litem dicitur integra ante litem contestatã, ut colligitur ex l. Nulla. C. de procurat. In procuratore autem ad negotia integra res est, si nondum fecit præparamenta necessaria. Exemplum. Si tibi mandassem, ut ædifices mihi domum, quamdiu lapides & ligna parata non sunt, res integra est, & potest mandatum reuocari à parte mandantis & c.

§. *Mandatum non suscipere.*

Regulariter omnes contractus nominati ab initio sunt uoluntatis, ex post facto autem necessitatis. l. sicut. C. de acti. & obligat. In mandato tamẽ est speciale, quia mandatarius etiam mandato suscepto re integra poenitere potest, & renunciare. Ratio istius specialitatis hæc est,



est, quod ex mandato tum demum datur Actio directa, postquam cepit interesse mandantis. Sed integra mandatis nihil interest. Ergo nulla competit Actio. Et per consequens habet locum reuocatio, quæ ratio cessat in alijs contractibus.

*Nulla mercede constituta.* Si enim incerta fuerit constituta merces, fit contractus innominatus, do ut facias, & competit actio præscriptis uerbis.

## DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX

quasi contractu nascuntur.

Tit. XXVIII.

**D**IXIMVS supra causam Actionis personalis esse obligationem. Obligationis autem causas, contractus, quasi contractus, delicta, quasi delicta. De contractibus huc usque dictum est, Nunc de quasi contractibus dicemus. Dicitur Quasi contractus, quando quis obligatur ignorans. Dico, Ignorans, ad differentiam uerorum contractuum, in quibus consensus est de substantia. Sed in quasi contractibus licet utrinque non sit consensus, leges tamen interim consentiunt nomine ignorantis, præsumentes neminem tam stultum, quin uelit conditionem suam etiã absens meliorem fieri. § Igitur, hic tit. nostro.

Oriuntur autem ex obligatione quasi contractuum sex actiones.

Negotiorum gesto.

Tutelæ.

Actio Communi diuidundo.

Familiæ herciscundæ.

Ex testamento.

Condictio indebiti.

## DE ACTIONE NEGOTIORVM

gestorum.

Actio negotiorum gestorum oritur, quando quis sua sponte aliena negotia necessaria in alicuius absentia utiliter gerit. Dico sua sponte, si enim alterius gerit negotia rogatus, non datur Actio negotiorum gestorum, sed actio mandati. Secundò, ad differentiam tutelæ, in qua tutores quoque gerunt aliena negotia, non tamen sua sponte, sed ex necessitate. Ideoq; specialis Actio ad hoc est prodita, scilicet Actio tutelæ. Dico Aliena, ad differentiam priorum negotiorum, ex quorum gestione nulla datur actio. Dico Necessaria, Quia si quis tantum utiliter gerit sine necessitate, hæc actio non datur, sed permittitur expensarum ablatio, si sine læsione prioris



status auferri possunt. l. Sed an ultrò. §. Is autem. & l. Ex duob. ff. de neg. gest. Dico, In alicuius absentia, Nam si gero alterius negotia, in eius præsentia, uideor ab eo habere mandatum. Ideoque hæc Actio non competit, sed Actio mandati. l. Remunerandi, §. Si passus. ff. Mandati. Dico, Utiliter gerit, utcumq; enim effectus non sequatur, tamen si quis utiliter gerit, datur hæc Actio. Exemplum. Si medicus curaret absentis cuiusdam filium, nec posset restituere pristinae sanitati, ita quòd filius moreretur, teneretur nihilominus pater medico, Actione negotiorum gestorum. Et habet hæc Actio quoque locum, si tantum unum negotium gestum sit, secundum gloss. hic in uerbo, Negotiorum. Est autem Actio negotiorum gestorum duplex, Directa & Contraria.

Directa datur ei, cuius negotium gestum est, eiusq; hæredi contra gestorem, ut reddat rationem administrationis, & reficiat si quid male administravit.

Contraria datur ipsi gestori, eiusq; hæredi, qua repetit si quid impedit de suo.

Cessat tamen hæc Actio contraria in multis casibus. Primò, ratione affectionis, ut si uiricus ex paterna affectione præstitisset priuigno alimenta, uel maritus uxorem agram ex maritali affectione curasset &c. l. si paterno. C. de nego. gest. Secundò, si quis prohibuisset quem eius negotia gerere. l. fina. ff. de nego. gest. Vide Ioan. de Plat. hic.

Quando autem quæritur, ad quid teneatur negotiorum gestor, distingue: Aut loquimur de gestis. Et tunc si nullus adfuit qui potuit commodius gerere, regulariter tenetur de dolo, lata & leui culpa. l. Tutori. C. de nego. gest. Si autem adfuit diligentior qui potuisset commodius gerere, tenetur gestor de leuissima culpa. §. Sicut. hic titu. nostro. Interdum tamen tantum tenetur de dolo, ut si aliquis uideret mea bona distrahi, coactus affectione, meis negotijs gerendis se obtulit. l. iij. §. Interdum. ff. de negotijs gest. Aut loquimur de neglectis negotijs: Et tunc, aut accessit, ut gesturus omnia, & indistinctè tenetur de neglectis. Aut accessit, ut gesturus aliqua, & tunc aut diligentior aderat qui uolebat omnia gerere, & quoq; tenetur negligēs de omnibus. Aut nemo aderat, & tenetur tantum de susceptis, non autem neglectis. Vide Angel. hic.

#### DE ACTIONE TUTELAE.

Secunda est actio tutelæ, quæ ideo dicitur ex quasi contractu orta, quia inter tutorem & pupillum oritur obligatio, pupillo etiam ignorante & non consentiente, imò inuito. Quia autem nihil inter se contraxerunt, neq; ex delicto, aut quasi delicto obligati sunt, dicitur hæc



hæc actio ex quasi contractu procedere, & oritur hæc actio, tutela finita. Est autem duplex, Directa & Contraria.

Directa datur pupillo contra tutorem finita tutela, ut reddat rationem suæ administrationis.

Contraria uerò datur tutori contra pupillum, qua repetit si quid in rem pupilli impendit, uel pro eo fuerit obligatus. Idem dic de actione tutelæ, quæ datur contra eum, qui gessit tutelam nomine alterius tutoris &c. Quid autem & quotuplex sit tutela, supra dictum est. Præstat autem tutor regulariter dolum, latam culpam, & leuem culpam. l. Quicquid. C. Arbitrium tutelæ.

#### DE ACTIONE COMMUNI

diuidundo,

Tertia est actio communi diuidundo, quæ competit pro rebus singularibus diuidendis, uel pro his quæ in re communi expensa sunt, uel si quis solus ex re communi fructus perceperit. Veluti si duobus fundus esset legatus, & unus solus ex eo fructus percepisset, certè obligatus esset alteri. Quia autem neq; contraxit, neq; deliquit, neq; quasi deliquit, ex quasi contractu obligatio orta est. Est autem duplex hæc actio, Directa & utilis.

Directa datur ijs, qui habent rerum dominium in re communi.

Utilis uerò illis, qui habent quasi dominium, ueluti his qui emerunt rem communem bona fide à non domino. De hac actione infra dicemus, de actionibus mixtis.

#### DE ACTIONE FAMILIÆ

Herciscundæ.

Quarta est actio familiæ herciscundæ, quæ competit pro uniuersitate, ueluti pro hæreditate diuidenda. Quia uerò hæredes inter se nihil contraxerunt, ex quasi cōtractu uidentur obligati, ut diuidant. Differt autem hæc actio à superiori, quòd illa datur pro rebus singularibus diuidendis, hæc autem pro uniuersitate. Et est quoq; duplex, Directa, & Utilis.

Directa datur hæredibus, siue ex testamento, siue ab intestato sint hæredes. Utilis uerò est, quæ datur bonorum possessoribus, quia de iure ciuili hæredes non sunt. Et de hac infra dicemus.

#### DE ACTIONE EX TESTAMENTO.

stamento.

Quinta est actio ex testamento, quæ competit legatarijs, eorumq; hæredibus pro legatis, contra hæredes grauatos. Licet enim legatarij cum hæredibus nihil cōtraxerint, tamen hæredes a deundo hæreditatem, cum omnibus legatarijs et creditoribus, quasi contrahere uidentur.



ENARRATIONES IN INSTITVT.  
DE CONDICTIONE INDEBITI.

Sexta est conditio indebiti, quæ ideo dicitur oriri ex quasi contractu, quia quando quis soluit quod non debet, putans tamen se debere, potius distrahere quàm contrahere uidetur. Ideoq; ex quasi cōtractu obligat accipientem, quod postea reddere tenetur. Quid autem sit indebitum, & quando habeat locum cōditio indebiti, supra dictum est de indebito.

§. *Ex quibusdam.*

Sunt quedam actiones quæ dantur in confitentem, in simplum. In negantem autem in duplum, quia inficiando lis crescit, quales sunt, Actio damni, Iniuriæ, ex l. Aquilia, Actio depositi ex quatuor causis, incendio, naufragio, ruina &c. & Actio ex testamento, quæ competit pro legatis ad pias causas. §. Furti, infra, de actio. In illis Actionibus dicit textus hic. Si quid indebitè solvatur, non potest repeti per conditionem indebiti. Exempli causa. Si quis ageret contra me, quòd penes me deposuerit centum aureos in incendio, licet depositum nō sit penes me, sed penes alium. Ego autem uereor, si negem depositum, et ipse me uicerit, quòd condemnatio fiat contra me in duplū propter inficiationem. Ideoq; ante condemnationem soluo depositum. Iam quæritur, si postea constiterit Actorem nihil penes me, sed penes alium deposuisse, utrum ego illud simplum, quod indebitè solui, per cōditionem indebiti repetere possim, & deciditur quòd non. Videor enim tacitè transegisse cum deponente, & potuit fieri si litigassem, & fuisset damnatus in duplo. Quare debeo contentus esse, quòd solutio simpli me liberauit.

VERS. *Ex l. Aquilia.*) Ut si quis alterius seruum me præsentè interfecisset, & ego accuser licet non fecerim, tamen quia uereor, quòd condemnatio fiat in duplum, si negarem, do illi simplum, postea ut cunq; constiterit me non fecisse, tamen illud simplum indebitè solutū repeti non potest. Quia ex quibus causis lis inficiando crescit, ex iisdem indebitè solutum non repetitur.

VERS. *Quæ certa constituta.*) Erant enim olim quatuor genera legatorum, per uendicationem, per damnationem, per sinendi modum, & per præceptionem. Sed illa hodie sunt sublata. Vide quæ dixi supra in §. Sed olim, de legatis,

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ACQUIRITUR. Tit. XXIX.

**HIC** Titulus differt à superiori, per quas personas res nobis acquiruntur, quòd ille loquitur de acquirēdo rerum dominio, hic autem de acquirenda obligatione.

Peculium



Peculium filiorum familiæ est quadruplex, scilicet profectitium, Aduentitium, Castrense, & quasi castrense. In profectitio habet pater proprietatem & usumfructum. In aduentitio habet filius dominium, & pater usumfructum. In castrensi uel quasi castrensi pater nihil habet. Ideoq; si filius ex peculio castrensi uel quasi castrensi contraxerit obligationem, sibi acquirit. Si autem ex peculio aduentitio contraxerit, proprietatem obligationis pertinet ad filium, exercitium uero actionis ad patrem. In peculio profectitio omnis obligatio indistinctè quæritur patri.

### QVIBVS MODIS TOLLITVR

obligatio. Tit. XXX.



Vibus modis obligationes ex contractibus & quasi contractibus constituuntur, ex superioribus colligi potest. Nunc autem dicendum erit, qua ratione obligationes ex illis duabus causis contractæ, tolli possint.

Obligationes enim ex delicto uel quasi delicto ortæ, non tolluntur simili modo, ut infra dicemus. Tolluntur autem illæ obligationes duobus modis, Aut ope exceptionis, aut ipso iure.

Ope exceptionis dicuntur tolli, quando naturalis obligatio tantum sublata est, civili remanente, ex qua adhuc competit Actio, quæ tamen per exceptionem eliditur. Fit autem hoc multis modis, uidelicet per omnes exceptiones peremptorias iuris, ut primo ratione pacti, ut si creditor facit debitori suo pactum de non petendo, liberat eum à naturali obligatione. Quia autem civilis obligatio per hoc nudum pactum tolli non potuit, competit creditori adhuc Actio contra debitorem, quam debitor per exceptionem pacti de non petendo, elidit. Et sic obligatio ope exceptionis tollitur.

Secundo, ratione doli uel metus, ut si quis dolo uel metu inductus est ad promittendum per stipulationem propter dolum uel metum, naturaliter non obligatur, quia defuit consensus. Propter promissionem tamen adhuc durat civilis obligatio, quæ tribuit stipulatori Actionem. Sed illa eliditur ope exceptionis doli uel metus &c. Idem dic de exceptionibus non numeratæ pecuniæ, Iurisiurandi, & Iuramento uoluntario, & omnibus alijs exceptionibus peremptorijs iuris, quæ elidunt civilem obligationem non ipso iure, sed ope exceptionis.

Tertio rei iudicatæ ratione, ut si quis me conueniret in Iudicio pro centum, & Iudex ferret pro me sententiam absolutoriã, quæ transiret in rem iudicatam, per illam essem liberatus à naturali obligatione, Civilis tamen remaneret, à qua liberarer opponendo exceptionem rei iudicatæ. l. 3. ff. de Exceptio.

Quarto.



Quartò, ratione temporis, ut si emissem bona fide à creditore hypothecam aliquam, posset debitor, cuius est hypotheca, à me uendicare. Tamen si possideo eam triginta annis, liberor, ita q̄ si me cōueniret, exceptione pr̄scriptiōis me defendere possem.

Quintò per Chirographi exceptionem. Nam creditor restituendo debitori Chirographum aut instrumentū, uidetur ei tacitè facere pactiōem de non petendo. l. Labeo ait. ff. de pactis.

Ipsò Iure dicitur tolli obligatio, quādo omnino extinguitur, nec aliquæ reliquæ, neque naturalis, neque ciuiliſ obligationis, durant. Et fit multis modis. Primò, solutione. Secundò, acceptiōne. Tertio, nouatione & delegatione. Quartò, cōtrario cōsensu. Quintò, compensatione. Sextò, confusione. Septimò, oblatiōne, depositione, & consignatione pecuniæ debitæ. Octauò, interitu speciei debitæ sine culpa debitoris. Huc refer omnes exceptiones peremptorias facti siue intentionis, siue litis finitæ. Primum dicemus de solutione.

## DE SOLUTIONE.

Est autem solutio actualis satisfactio per ipsum debitorem, si est habilis persona, uel per aliū eius nomine, creditori idoneo facta. Dico, si est habilis persona, Quia prodigus, furiosus, pupillus, &c. licet debeant, non tamen sine tutorum uel curatorum auctoritate soluere debent. Dico, Vel per alium eius nomine, Quia tutores & curatores, nomine pupillorum & minorum soluunt. Item procuratores & quilibet administratores. Itē quilibet pro alio soluere potest. Dico creditori idoneo, Quia pupillo & similibus non potest fieri solutio, sed tutoribus & curatoribus. De quō uide §. At ex contrario, cū Paragraphis sequen. iuncta gl. in uerbo, soluerit, suprā, quib. alie. licet, uel non. Dico Actualis, propter res incorporales, quæ sicut tradi non possunt, ita nec solui. Dico Satisfactio, quia omnis satisfactio siue fiat pignoribus, siue fideiussoribus, uolente creditore pro solutione habetur. l. Satisfactio. cum gloss. ff. de solutio. Et sic solutione est sublata omnis obligatio, adeò quòd non opus sit soluenti se defendere exceptione. Si tamen exceptionem solutionis obiecerit, non dicitur exceptio Iuris, sed facti, siue intentionis, siue litis finitæ, ut infrā de exceptionibus dicemus.

## DE ACCEPTILATIONE.

Acceptilatio est quidā distractus obligationis, in quō ad similitudinē stipulationis interrogatio debitoris pr̄cedere, et responsio creditoris seq̄ debet, ad hoc ut debitor à naturali & ciuili obligatione liberet. Et habet nomen ab acceptū ferre, quasi creditor



tor dicat, habeo pro recepto, quod mihi debebas, etiam si nulla solutio intercesserit. Dico in definitione distractus, ad differentiam stipulationis, que quoque fit per interrogationem et responsionem, sed ea tendit ad obligandum, haec uero ad liberandum. Dico ad similitudinem stipulationis, ad differentiam nudi pacti de non petendo, per quod tollitur tantum naturalis obligatio, civili remanente integra, a qua tamen ope exceptionis reus quoque liberatur. Dico interrogatio debitoris, & responsio creditoris, quia in hoc distractu debitor interrogat creditorem: Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? Creditor respondet: Habeo acceptum, id est, habeo pro recepto, licet nihil solutum sit. Dico debitorem ab utraque obligatione liberari, quia acceptilatio est proprie imaginaria solutio. Sicuti ergo per ueram & actualement solutionem omnis tollitur obligatio, ita quoque per illam imaginariam solutionem tollitur obligatio uerbis contracta.

Fit autem acceptilatio duobus modis, Per simplicem acceptilationem, & per Aquilianam stipulationem.

Simplex acceptilatio locum habet in sublatione obligationis, que ex stipulatione orta est. Ea enim quia solennibus uerbis est contracta, contrariis solennibus uerbis tolli potest. Quia nihil tam naturale, quam unumquodque eodem genere dissolui, quo colligatum est. l. Nihil tam naturale. ff. de reg. Jur.

Acceptilatio autem que per Aquilianam stipulationem fit, habet locum in alijs obligationibus, quae ex contractibus Iuris gentium sumpserunt originem, illae autem quia aut re, aut consensu contrahuntur, nudis uerbis tolli non possunt. Quodlibet enim eodem genere dissoluitur, quo est colligatum. Transfundantur autem illae obligationes, primum Aquiliana stipulatione, & postea fiat acceptilatio. Aquiliana stipulatio fit hoc modo: Si Titius mihi deberet centum ex causa mutui, & esset quoque obligatus ex causa emptionis, illae obligationes tolli non possunt per acceptilationem, quare & consensu sunt contractae. Si tamen ego ita stipulor a Titio debitore: Titius, promittis mihi ex causa stipulationis omne id, ad quod ex quibuscumque alijs causis mihi obligatus es? Si Titius promittit, iam omnes illae obligationes siue re, siue consensu contractae fuerint, transfuse sunt in stipulationem, adeo quod iam non habeantur pro obligationibus re & consensu contractis, sed uerbis. Iam itaque post illam obligationem transfusam Titius debitor interrogat creditorem: Habesne acceptum, quod hodierno die per Aquilianam stipulationem tibi promisi? Si creditor respondet, Habeo, acceptumque tuli, &c. Titius debitor omnino est liberatus.



Primum enim omnes obligationes sunt transfusæ in Aquilia, nam stipulationem. Obligatio autem ex illa stipulatione contrarijs uerbis per acceptilationem scilicet sublata est.

Tertius modus quo obligatio ipso iure tollitur, est nouatio. Dicitur autem Nouatio prioris obligationis in posteriorẽ transfusio. Et habet nomen à nouando. Est autem duplex: Propria & Impropria.

Propria Nouatio est, quæ obligationem primam simpliciter tollit, & transfundit in secundam. Et ea quoque est duplex: Vera nouatio, & quasi nouatio.

Vera Nouatio est, quãdo quis eandẽ rem, quæ sibi debebatur, ab eodẽ debitore, aliquid addendo uel minuendo, æquẽ principaliter stipulat, ut hoc modo: Titi promittis mihi usumfructũ fundi tui, ipse promittit, postea stipulor: Titi promittis mihi totum fundum tuum, promittit. Iam querit, utrũ prima stipulatio, quæ continet minus, sit transfusa in posteriorem. Circa quod dic, illã stipulationem fieri bifariam. Aut enim expressè agit, quod secunda stipulatio fiat animo nouandi, et tunc transfunditur prima in secundam. Si uerò non agitur expressè de nouando, non fit nouatio, sed agit ex utraq; stipulatione, & hoc uerũ, quando quis stipulatur ab eodem debitore. Si autem noua persona in secunda stipulatione accesserit, ueluti si debitor delegaret aliũ, qui per stipulationem promitteret stipulatori quod ipse debebat, fieret nouatio per delegationẽ, quia accessit noua persona, l. si. C. de Nouatio.

Quasi nouatio est, quæ fit per stipulationem pœnalem, hoc modo: Titi promittis mihi ædificare domum, & si non ædificaueris infra annum, promittis nomine pœnæ centum. Iam queritur, utrum cum ista pœna ædificare domum, adhuc sit in obligatione, uel utrum per stipulationẽ pœnalẽ illa obligatio sit nouata. Et distinguitur: Aut est expressè actũ de utroque soluendo, & utrumque debetur. Aut est tantũ de pœna actum, & prior obligatio est nouata. Aut nihil est actum. Et tunc in dubio quoque debetur solũ pœna. Vide Doct. in l. Ita stipulatus. ff. de uerb. obli.

Impropria nouatio est, quando prima obligatione manente, adijcitur secunda obligatio, quod fit per litis contestationem & sententiam.

Per litis contestationem enim in multis causis hæredes incipiunt esse obligati, qui antè obligati non erant. Sic quoque per sententiam adijcitur noua obligatio priori, quia ultra primam actionem oritur quoque actio ex sententiã, quæ uocatur in factum.

Quarto tollitur obligatio ipso iure per contrariũ consensum, quod



quod habet locum. Primò in obligationibus, quæ consensu contrahuntur, traditione rei, uel solutione precij nõdum secuta, & sic re integra &c. Secundò habet locum in quibusdam maleficijs, ut in iniuria, quæ dissimulatione tollitur, quo ad ius partis. Vide glo. hic in uerbo, quæ consensu.

Quintò tollitur per compensationem, de qua infra in §. Compensationes, de actionibus.

Sextò tollitur confusione, quod fit si debitor sit hæres creditoris, uel creditor hæres debitoris. Tunc enim confunduntur eorum bona, & tolluntur obligationes quæ inter eos contractæ erant. l. debitori. C. de pact. cum similibus, in glo. ibi. allega.

Septimò tollitur oblatione, depositione, cõsignatione, ut hoc modo: Si debitor pecuniam debitam, quam creditor recusat accipere, consignat, & deponit in publico, ipso iure liberatus est ab obligatione sortis & usurarum. l. acceptam, cum glo. C. de usuris.

Octauò tollitur, si species debita sine culpa debitoris interierit. l. si ex legati. ff. de uerb. oblig.

Nonò tollitur transfusione, ut cum debitor deportatur, uel aliud delictum committit, propter quod omnia bona publicantur, tunc transfunduntur obligationes in fiscum, ita ut debitor ipso iure liberetur, & fiscus teneatur creditoribus. ut successor. l. si debitori, in principio. ff. de solut. Vide glo. fin. hic tit. nostro. Et huc refer omnes exceptiones litis finitæ.

#### VERS. *Quicquid te mihi.*

Non opus est creditorem uti omnibus istis uerbis, quæ sunt in textu, sed satis est interrogare de sua obligatione.

#### §. *Quo genere.*

Acceptilatio enim à iure ciuili est introducta. Contractus autem ex consensu & re, sunt iuris gentium, & ius ciuile non potest tollere, quæ sunt iuris gentium. §. fin. supra de legit. agnato. tutel. Ergo &c.

### FINIS LIBRI TERTII INSTITUTIONUM Imperialium.



# CLARISS. VIRI D. MELCHIORIS KLING. I. V. DOCT. IN quartum Imperial. Institutio. Librum dictata.

## DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX delicto nascuntur. Tit. I.



**X** QVATVOR CAVSIS, QVIBVS OB-  
ligationes nascuntur, duæ sunt absolutæ, Contra-  
ctus scilicet, & quasi contractus. Restant poste-  
riores duæ: Delicta, & quasi delicta.

Sunt autem delicta duplicia, Priuata, & Publi-  
ca. Priuata, persequimur ciuilitè & criminaliter.  
Ciuilitè, quando petimus ut pœna nobis adiu-  
dicetur. Criminaliter, quando agimus, ut reus luat pœnam in corpo-  
re, uel præstet quid fisco. Sunt autem quatuor species priuatorum de-  
lictorum. Furtum, Rapina, Damnum, Iniuria. De publicis infra au-  
diemus in tit. fina. De Priuatis autem dicemus ordine, & primum de  
furto.

### DE FVRTO.

Est autem furtum contractatio fraudulosa rei alienæ mobilis, cor-  
poralis, uel etiam usus eius, possessionis uel, quæ fit animo lucrifacien-  
di, inuito domino, quod iure naturali est prohibitum committere.  
Et habet nomen à furuo, id est, nigro, eo quod clam & obscurè fit, &  
plerunq; nocte: uel à fraude, uel à ferendo, id est, auferendo: uel à gre-  
co uerbo, φέρω, quod ferre, siue portare significat, unde etiã ipsi φέρω  
quasi ablatores deduxerunt. l. 1. §. de furtis. §. Furtum, hic tit. nostro.  
Dico in definitione, contractatio, quia sine actuali contractatione,  
furtum non dicitur fieri, licet uoluntas, uel uerba, uel scriptura inter-  
ueniant. Sola enim cogitatio uel scriptura, furem non faciunt. l. 1. ff.  
de furtis. Dico fraudulosa, quia si quis credat aliquem facillè permis-  
surum contractare res suas, contractando non committit furtum.  
Item si quis putat sibi licere clanculum surripere res suas proprias, &  
surripit rem alienam, putans propriam, surripiedo non committit  
furtum. §. quia tamen, infra de ui bo. rapto. Dico rei alienæ, quia in re  
propria quis non potest committere furtum. Secus si habet cum alio  
rem cõmunem, ut l. si socius. ff. de fur. Dico mobilis, quia immobilia  
propter sui immensitatem, contractari nõ possunt. §. quod autem, su-  
prà de usucap. Si tamen quis cretam de fundo alieno abstulerit, furtum  
committit, non quia fodit cretam, sed abstulit. l. si cretæ. ff. de furtis.  
Dico



Dico corporalis, Quia res incorporales sicuti nec tradi, nec possideri possunt, ita nec contrahantur. l. seruus. ff. de acquir. rerū domi. Dico usus, possessionis uē, Quia si creditor utitur pignore, & depositarius deposito, furtum committunt. §. furtum autem, hic titulo nostro. Dico animo lucrificandi, propter eos, qui res alienas contrahant, non tamen animo furandi, Furtum enim non committunt. §. Item si is, supra de usucapio. & præscriptio.

Dico domino inuito, quia quando fit uolente domino, etiā si surripiens putat inuito domino fieri, furtum non est. §. placuit, cum §. sequen. hic titu. nostro. Dico quod iure naturali prohibitum est committere, Quia ius naturale dicit: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Hinc est, quod Scythæ, qui iure scripto carent, nullum delictū grauius puniunt, quàm furtum, ut apud Iustinum.

De furti diuisione, hic nihil dicemus, licet olim in furtum manifestum, & non manifestum diuideretur. Tamen illa diuisio hodie non habet locum, sed eadem ratio est de furto quocunq; modo contracto. Oriuntur autem ex furto duæ actiones, Condictio furtiua, & actio furti.

Condictio furtiua datur domino, eiusq; hæredi, contra furem eiusq; hæredem, si aliquid de furto ad eos peruenit, uel si cum fure cōtestata sit ad persecutionem rei ablatae, siue eius æstimationem, si tamen is cui res surrepta est, dominus non sit, sed habuerit fortè ius in re, puta ius pignoris, datur ei condictio certi &c.

Habent ius in re condictio certi datur.

Venit autem in hac actione res ipsa, etiam impensis & diligentia furis melior facta: uerum, si extat res: si autem non extat, uenit æstimatio rei, quanti plurimi fuerit à tempore furti. Etiam si res sine culpa furis perierit, semper enim fur moram facere uidetur. l. in re. §. si ex causa. ff. de condict. furt. Et hæc actio est ciuilibis.

#### DE ACTIONE FVRTI.

Actio autem furti est criminalis, & datur ad poenā, Olim in quadruplum & duplum. Hodie autem quia illa distinctio sublata est, agitur hæc actio, ut fur luat poenam in corpore.

Datur autem hæc actio omnibus, quorum interest ex honesta, & probabili causa, ut puta domino, quasi domino, &c. de quibus in textu. Mitigatur tamen poena propter minorem ætatem, & competit contra furē, siue pubes siue impubes fuerit, dum tamē sit doli capax. l. Impuberem. ff. de furtis.

Deinde contra eum, qui furi præbuit opem, siue consilium, ad surripiendas res: sed hoc est uerum, si furtum esset secutum, alioqui non datur. l. si is. ff. de furtis.

Et hæc actio non datur contra hæredes furis, quia est poenalis. §.



Non autem. infra de perpet. & tempor. actionibus.

Datur quoq; domino, cui res surrepta est, rei uendicatio, qua uendicat rem suam, à quocunq; fuerit possessa. Item actio ad exhibendū, qua agit contra possidentem, ut detur inspectio rei possessæ.

*Pœna furti de  
lure consuetu-  
dinario,*

Pœna autem furti de iure consuetudinario, est pœna laquei, quæ secundum iura feudorum habet locum, si quis fuerit furatus, ualens quinq; solidos. Si minus furatus fuerit, uirgis castigatur. §. Si quis quinq; solidos, de pace tenen. & eius uiolato.

Impunita furta sunt, quæ fiunt permittente iure, quale fuit furtum Iudæorum in Aegypto. Itē si quis furaretur res Turcarum, siue aliorum Barbarorum. l. Non solum. C. de commer. & merca. Itē si quis surripit res aleatoris. l. i. ff. de aleato. Hæc & similia puniri non possunt. Qui enim facit aliquid lege permittēte, nō peccat. l. Gracchus. C. de adulterijs.

## OBLATVM FVRTVM.

Si fur rem furtiuam dedit alicui custodiendam, Is autem qui custodiam suscepit, timet ne apud eum inueniatur, Ideoq; offert tertio custodiendam, apud quem si concepta fuerit, habet contra afferentem actionem oblatis furti. Hodie suscipiens rem furtiuam scienter, & celans, tenetur actione furti.

*Rem apud se.*) Hodie nō potest quis cogi, ut permittat quem scrutari in domo sua, utrum ibi sint res furtiuae, siue furto subtractæ. Expedit enim patrifamiliās ne secreta patrimonij sui pandantur.

Hoc tamen fallit, quando esset suspicio contra aliquem, & apparent indicia, quod res esset in domo alicuius, quia tunc potest implorare officium iudicis, ut detur familia pro quærendo furto. Ita tamē, ut quærens primū iuret de Calumnia. Vide Ioan. de Plat. hic.

*Praefata actiones.*) Id est, quæ ex requisitione oriebantur, ab usu cōmuni recesserunt. Si uerò furem ipsum suscepit & celauerit, fur nō est, sed receptator, & punitur eadem pœna qua fur. Vide totum titulum. ff. de receptor.

*An neutro.*) Et uidetur quod neutro teneatur, quia delictum est factum cum consensu & uoluntate domini. Furtum autem fit, quando quid contrectatur inuito domino, sed tamen contrarium hic deciditur.

*Contra eum dari.*) Datur enim actio in duplum ad interesse pro seruo corrupto, & quoq; furti actio in duplum.

*Consilium corruptoris.*) Hic uides puniri affectum sine effectu secuto. Punitur enim Titius hic de seruo corrupto, cum tamen corruptus non sit, quod uidetur esse contra regulam.

Cogita.



Cogitationis poenā nemo patitur. l. cogitationis. ff. de poenis. sed dic illum effectum per signa exteriora hic fuisse demonstratū, ideoq; punitur.

§. *Interdum.*) Agit pater contra furem tantum, ut fur puniatur etiam de iure ueteri. Non enim poterat petere duplum, uel quadruplū, quia liberi hominis nulla est æstimatio. Præterea duplum & quadruplum petebat is, qui erat dominus rei ablatae, sed pater nō est dominus filij, cum sit liber homo. l. Cum hæredes. §. fin. ff. de acquiren. possess.

*Non tenetur.*) Id est, si furtum nō est secutum, si uerò secutum est, tenetur, ut supra diximus, de mandato.

§. *Hic qui.*) Quia ex delicto filij contra patrem, & serui contra dominum, non competit actio furti.

*Quia nec ex alia ulla causa.*) Res à filio patri surrepta sit furtiua, & sic uitiōsa. Ideoq; usucapi non potest ab alio possessore, qui emit eam à filio, Pater tamen non potest agere contra filium actione furti, quia est actio famosa, quæ inter patrem & filium non habet locum, sicuti quoq; uxor si furata sit marito, non tenetur actione furti, sed actione rerum amotarum. Itaq; si filius habet castrense uel quasi castrense peculium, unde possit soluere, datur patri contra eum actio in factum. l. si quis uxori. §. 1. & 2. ff. de furt. Quòd hic dicitur dominū non habere actionem furti contra seruum furem, procedit, si sint leuiora furti, tunc enim publicè uindicanda non sunt. Si uerò sint magna furti, agitur contra eos criminaliter. l. respiciendum. §. furti. ff. de poenis.

*Cuius interest.*) Ratione honestæ causæ, uel ratione custodiæ, uel ratione possessionis, uel iuris realis.

*Agere posse.*) Quia eius interest ratione iuris, quod habet in pignore.

*In personam.*) Scilicet debitoris. Hic nota commodius esse agere actione reali, quàm actione personali.

§. *Quæ de fullone.*) Sicuti fullo & sarcinator propter custodiam quam præstant, habent contra furem actionem furti, si sunt soluendo. Ita quoque commodatarius, quia eius interest ratione custodiæ. In hoc tamen differunt, quòd si fullo uel sarcinator soluendo sunt, domino nulla competit actio contra furem. In re commodata autem sublata, habet dominus electionem, uel agere contra commodatarium actione commodati, uel contra furem actione furti, una tamen electa, ad alteram redire non potest. Ratio autem istius differentia est. Quia commodatum fit gratia unius tantum, scilicet commodatarij. Ideoque ex liberalitate domini commodatis,

*Differentia inter fullonem & commodatarium.*



fauemus ipsi domino, ut habeat electionem, contra quem agere uelit. Sed cum fullone & sarcinatoꝛe fit locatio ratione utriusque, quare si fullo custodiam suscepit, & est soluendo, ipse agit actione furti re sublata.

*Commodatam acceperit.*) Id est, semper dominus habet electionem, siue commodatarius sit pro parte soluendo, siue sit in solidum soluendo.

*Pœna criminalis furti.  
Fur famosus.*

*§. Furti actio siue dupli.*) Pœna autem criminalis furti, de iure nouo est, quod fustigetur. Autentic. sed nouo iure. C. de seruis fugitiuis. Hoc fallit si sit fur famosus, qui scilicet sæpius furatus sit, uel alioqui magnum furtum commiserit, ut glos. in d. Authentica, sed nouo iure, & tunc suspenditur. Secundò fallit, quando furando frangit publicam pacem. Tunc enim pro furto quinque solidorum suspenditur. Ita loquitur. §. si quis quinq; solidos. de pace tenenda. in uisibus Feud. Tertio fallit, si per statuta & consuetudines prouinciarum aliter est dispositum.

## DE VI BONORVM RAPTORVM.

Tit. II.

*Rapina.*



**R**APINA est contrectatio rei alienæ mobilis, ui, & dolo malo facta. Explicationem generis & quarundam differentiarum, uide supra de furtis. Dico in definitione rei mobilis, Quia immobiles rapi non possunt, sicuti nec occupari, sed proprie inuadi dicuntur.

Vi dico, ad differentiam furti, quod clam fit. Dico dolo malo, quia si quis rem alienam rapuerit, putans suam esse, errore ductus, hac actione non tenetur, sed aliter punitur, ut audiemus in textu.

Oritur autem ex hoc delicto actio, quæ uocatur ui bonorum raptorum. Et est inducta per edictum prætoris, quod habet tria capita. Primum caput est, quando coactis, id est, coadunatis hominibus est datum damnum. Secundum, cum non coadunati sunt homines, sed simpliciter res aliqua dolo malo per uim rapta est. Et istis duobus capitibus pœna est, quadruplum intra annum utilem, post annum uero, simplum. In quadruplo autem comprehenditur persecutio rei. l. 2. ff. de ui bonorum rapto. Tertium caput est, ubi est damnum datum in turba, ad hoc principaliter non congregata, sed ad rapientis cursum & clamorem aduentitia. Eius pœna est duplum intra annum utilem: post annum, simplum, ut colligitur ex d. l. 2. & l. Prætor ait. §. Erit. ff. eodem.

Datur autem hæc actio ei, cuius interest, res raptas non esse, eiusque hæredibus, de quo interesse, uide quæ supra dixi de furtis.

Et



Et datur contra raptorem, & eum, qui præbuit opem & auxili-  
um.

Illi uerò qui publicas uias obsident & rapiunt, ultimo supplicio af-  
ficiuntur, secundum consuetudines regionum. Vide Bart. in l. capita-  
lium. §. famosos. ff. de pœnis.

Et est intra annum utilem. ) Pro anno utili, intelligite quadrienniū,  
l. superuacuum. C. de tempo. in integ. rest.

VERS. *Quadruplum.*) Vides hic esse duas differentias inter fur-  
tum & rapinam. Prima quòd in duplo, uel in quadruplo furti, nō in-  
est rei persecutio. Sed in quadruplo rapinæ inest rei persecutio. Ita  
quòd pœna rapinæ in effectu tantum triplum est.

Secunda differentia, non distinguitur, utrū sit raptor manifestus,  
uel non manifestus, semper enim in quadruplo punitur.

Quam qui clam amouet. Ratio quòd raptor mitius punitur, quàm  
fur manifestus, hæc est, quòd raptor se exponit periculo mortis inua-  
dendo, fur autem non sic.

Secundò, quòd furtum est frequentius quàm rapina. Debet ita-  
que seuerius puniri propter exemplum. l. Aut facta. §. fina. ff. de  
pœnis.

VERS. *Quod non solum.* Nota hic quòd rapina habet locum  
in rebus mobilibus. Inuasio autem in rebus immobilibus. Si quis  
autem dolose inuadit res immobiles, tenetur eos restituere cum fru-  
ctibus.

### DE LEGE AQVILIA. Tit. III.

**D**A MNVM, de quo hic loquimur, dicitur proprie, quan-  
do quis dolo, culpa, siue iniuria seruum, siue quadrupedē  
alterius occiderit, uulnerauerit, uel alioqui res eius fre-  
gerit, ruperit, aut uerberit. Et habet nomen à demo, quasi  
sit ademptio, siue diminutio patrimonij. l. iij. ff. de dam. infec. Dico do-  
lo siue culpa, Quia si quis seruum alienum, insidiatorem siue quadru-  
pedem ad sui defensionem, uel casu occiderit, hac lege non tenetur.  
Quia quod quis ad corporis siue uitæ suæ defensionem facit, iustè fa-  
cit. l. ut uim. ff. de Iust. & Iure.

Secundò dico dolo & culpa, propter infantes & furiosos, qui cum  
non habeant animi iudicium, non possunt dici damnum dare.

Sub culpa comprehendere imperitiam, siue negligentiam, ut si quis  
foveam lupis fecerit, eo loco quo frequenter homines ire solent: uel  
si quis equos commiserit ei, qui propter imperitiam non potuit gu-  
bernare siue retinere. Item si quis stipulam suam, siue spinam incen-  
dit, & ignis latius euagatus, uicini segetē, siue uineam læsit, quoq; te-  
netur



netur hac actione, nisi subita uis uenti id effecerit. l. qui occidit. §. In hac. ff. ad l. Aquiliam. Dico iniuria, ad differentiam quadrupedū siue animalium irrationabilium, quæ dicuntur pauperiem facere, & non damnum, cum in eis nō sit iniuria. Sensu enim carent, ut infra, si quadrup. paup. fecit. dicatur. Seruum dico, quia si quis liberum hominē occiderit, tenetur l. Cornelia, de sicarijs, & punitur ferro. §. Item lex Cornelia, infr. de publ. Iudi. Dico seruum uel quadrupedem uulnerauerit, iterum ad differentiam liberi hominis. Qui enim liberum hominem uulnerat, tenetur actione iniuriarum, de qua in tit. sequenti. Dico res eius fregerit, &c. Quia omnia damna, quibuscunq; modis fiant in rebus nostris, huc referenda sunt.

Oritur autē actio ex hoc delicto, quæ dicitur damni iniuria, quæ est introducta ab Aquilio Tribuno. Et habet tria capita.

Ex primo capite tenetur is qui alienum seruū, alienam uē quadrupedem, quæ pecudū numero uenit, quales sunt muli, asini, oues, boues &c. iniuria occiderit. In seruo tamen occiso distingue: Aut est occisus casu, & occidens non tenetur. Aut dolo, & tunc occidens tenetur lege Cornelia de sicarijs, & tāquam homicida punitur gladio. Et si lege Aquilia prius actum sit, nihilominus potest etiam agere lege Cornelia de sicarijs. l. inde Neratius. §. si dolo. ff. ad l. Aquil. Aut est occisus culpa, & locum habet actio legis Aquiliæ, & quoq; extraordinariè punitur occidens.

In actione l. Aquiliæ primū uenit æstimatio occisi, quāti plurimū eo anno uendi potuisset. Secundō omne damnum, quod ex illo facto accidit, ueluti si seruus esset hæres institutus, & priusquam iussu domini hæreditatem adiret, occideretur, teneretur occidens, nō tantū de seruo occiso, sed etiā de damno priuatæ hæreditatis. §. Illud, hic in tit. nostro. Secundum caput non est in usu.

Ex tertio capite, competit actio pro omni damno cæterarum rerum, ut puta si quis seruum, uel eam quadrupedem, quæ pecudum numero uenit, uulnerauerit, uel eam quadrupedem quæ pecudum numero non est, ueluti canem, uel feram bestiam occiderit. Præterea, si damnum est datum in alijs omnibus rebus, quæ anima carent, quod fit rumpendo, frangendo, urendo, &c. competit hæc actio.

In hoc tamen distingue: Aut quis dedit damnum suo corpore in aliud corpus, ueluti si sua manu seruum uulnerauerit, & datur directæ Actio legis Aquiliæ. Aut datur damnum à non corpore in corpus, ueluti si quis pecus alienum ita incluserit; ut fame perierit & necaretur. Vel de corpore datur damnum in non corpus, ueluti si quis tibi annulum de manu excusserit, ut in aquā caderet. His duobus casibus, datur utilis Actio. l. Aquiliæ, & quoq; Actio in factum. Aut datur damnum



damnum de non corpore in non corpus, ueluti si quis misericordia ductus debitorem meum incarceratum soluerit, ut liber fieret, & haberet locum Actio in factum subsidiaria. Vide glo. fin. hic.

Obligatur autem is qui damnum dedit ex tertio capite, ad æstimationem rei, quanti ea res triginta diebus proximis fuerit.

*Si aliter periculum effugere non potest.*) Ac sic cum moderamine inculpatae tutelae. Differt hic titulus à titulo sequenti. Quòd in hoc accipitur iniuria pro omni eo, quod est factum non lute, siue per dolū, siue per culpam fiat. In titulo autem sequenti accipitur pro contumelia, in qua uenit tantum dolus, non culpa. Secundò, quòd actio l. Aquiliae datur ad damnum resarciendum regulariter. In hac Actione autem iniuriarum agitur ad uindictam.

**VERS.** *Nam si id.*) Vides itaq; duo requiri ad hoc, ut quæ casus fortuitus in hac Actione excuset. Primò, ludens iaculis sit talis, qui cõsueuit similia facere. Secundò, quòd faciat loco consueto, alioquin nõ excusatur.

*Neque præclamauit.*) Hunc textum nota ad hoc: Si uicinus timeret, ne ex ædibus suis alteri uicino damnū accidat propter ædes eius male emendatas. Vt primò denunciet uicino, ædes esse emendandas, ut damnum euitetur. Quòd si uicinus cõtempserit, & postea ex ædibus denunciantis damnum datum est, non tenetur, quia alter potuit præcauere. Hoc quoq; colligitur ex l. qui foueas. ff. eod. tit.

**VERS.** *Imperitia quoque culpæ.*) Quòd dicit imperitiam culpæ an numerari, procedit in medico & artificibus, qui artem aliquam profitentur. Item in Iudice, qui propter imperitiam malè iudicat, eo enim ipso, quòd se locat pro iudice & assessore, uidetur se asserere peritū, & ideo tenetur de imperitia. l. si iudex. ff. de uarijs & extraord. cog. In alijs enim, si se peritos non asserunt, hoc non procedit.

*Sed quanti id in eo anno.*) Ita tamen quòd æstimatio fiat quanti res cõmuniter ualuerit, non ex singulari affectione.

*Longè aliquando pluri.*) Vt si quis occidisset cæcum, qui ante annū cæcus non fuerit, occidens in plus teneretur, quàm in æstimationem damni. Tenetur enim præstare æstimationem sani hominis, cum mutilatum occiderit.

*Quaratione.*) Hæc actio quoq; alia ratione est pœnalis, quia per inuitationem crescit in duplum. In duplum, infra de actio.

**VERS.** *Ideoq; constat.*) Nisi hæres inde factus sit locupletior, ut puta, quia tu occidisti bouē, & hæres tuus comedit carnes eius, glof. in d. l. Inde Neratius. ff. ad l. Aquil.

*Libera autem est.*) Nota ex hoc textu optimam regulam. Quando ex eodem delicto oriuntur duæ actiones, civilis & criminalis,

lis,



lis, quòd una intentata, altera quoq; potest intentari. Et est liberum a-  
ctori, à qua actione uelit incipere. In hoc tamen distingue: Aut utraq;  
actio tendit ad uindictam, & tunc una peracta altera non competit.  
Exempli causa. Si liber homo iniuria esset occisus, tenetur occidens  
primùm actione iniuriarū, Deinde quoq; de homicidio ex lege Cor-  
nel. de sicarijs. Hæ ambæ actiones tendunt ad uindictam, quare una  
electa, altera non habet locum, debet tamen accusatio primùm eli-  
gi. l. Prætor edixit. §. si dicatur. ff. de iniurijs.

Aut una tendit ad persecutionem rei familiaris, & altera ad uindi-  
ctam, & tunc licet in eodem libello non possunt simul intētari, Iuxta  
l. Interdum. ff. de publ. Iud. Tamen una peracta, altera nihilominus  
durat, ut in terminis nostris. Primùm enim agi potest ciuilitè ad æsti-  
mationem serui occisi, ex l. Aquilia, qua actione finita, potest nihilo-  
minus intentari publica accusatio legis Corneliæ de sicarijs. Idem dic  
de furto, rapina, & similibus.

*Due actiones  
oriuntur ex ra-  
pina.*

Ex rapina enim competūt duæ actiones. Prima est quadruplum,  
in qua inest persecutio rei raptæ. Secunda est criminalis, de qua iam  
diximus, quæ tendit ad uindictam. Ita loquitur text. noster hic. Et l.  
Prætor ait. §. Hoc edicto. ff. de ui bono, rapto. Et l. unica. C. quando  
ciuil. act. cri. præiud.

§. *Cæterum placuit.*) Licet differentia sit inter actionem directam  
& utilem, quantum ad uerba, in effectu tamen nulla est differentia.  
Idem enim consequitur agens actione utili, quod consequitur actio-  
ne directa. Nam utrinque emendatio damni præstatur, ut colligitur  
ex l. antepenult. ff. de neg. gest.

Dicitur autem propriè directa actio, quæ cõpetit ex uerbis & men-  
te legis 12. tab. Utilis uerò dicitur, quando non expressè cõstat ex uer-  
bis leg. 12. tab. Sed Iurisconsulti ex interpretatione introducunt l. pe-  
nult. ff. si quadrup. paup. fecis. dicatur.

Actio in factum subsidiaria legis Aquiliæ est à Præatore in subsidi-  
um l. Aquiliæ introducta, ubi l. 12. tab. expressè non prouidit, nec aliq;  
Iurisconsulti per interpretationem dederunt utilem actionem.

DE INIURIIS, Tit. IIII.



**I**NIURIA, ut hic sumitur, dicitur propriè, quando quis  
dolo malo liberi hominis corpus, dignitatem uel famam  
lædit. Dico dolo malo, Quia si quis ioco, aut certando,  
uel etiam inuitus quem lædit, non tenetur hac actione. l.

Illud relatum. §. 1. & l. si cum seruo. ff. eodem.

Secundò dico dolo, ad differentiã damni legis Aquiliæ. Vbi quo-  
que locum habet leuissima culpa. Hic autem tantùm dolus.

*Liberi*



○ Liberi hominis dico. Si enim quis seruum leserit, habet locū Actio legis Aquilię. Dico leserit. Nam si liber homo occiditur, agitur proprię i. Cor. de sicarijs, & instituitur publicum iudicium.

○ Fit autem iniuria quatuor modis, re, uerbis, literis, & gestu. *Re, Re.* quoties manus inferuntur, quod fit, quando quis se pulsatur, aut uerberatum, uel domum suam ui introitam dicit. Et actio ex hac iniuria descendens, est ciuilis, & non prętoria. Competit enim ex lege Cornelia, ideoq; est perpetua, id est, 30. annis, ut glos. hic in §. sed & lex Cornelia, in uerbo, introduxit. Huc refer si quis domum absentis signat, uel liberum hominem pro seruo fugitiuo capit, uel stuprū etiam in ancillam alicuius committit, uel in inferiorem uicinū aliquid projicit, uel in superiorem uicinum fumum immittit. l. si iniurię. l. si stuprum. l. si inferiorum, cum similibus. ff. eodem.

Et isto casu tenetur actor probare ea esse facta animo iniuriandi. Omnia enim ista sine iniuria fieri possunt.

Verbis fit iniuria, cum alicui conuictum fit, ueluti, si quis fur nominatur. *uerbis.*

○ Huc quoq; refer, si quis fideiussores idoneos reprobat, uel fideiussores in iniuriā debitoris interpellat. l. si creditor. ff. eod. Et in istis duobus casibus quoq; requiritur ea esse facta animo iniuriandi.

Literis fit iniuria, cum quis librum, carmen, uel historiam ad infamiam alicuius pertinētem, scripserit, uel componi curauerit. Nec refert ediderit nomine suo, uel alieno. An adiecto nomine eius in quem scripsit, nec ne. Idem dic de eo, qui talem scripturam curauit emendā, uel uendendā. Et competit pro hac iniuria publica accusatio, imponiturq; pœna capitalis. l. unica. C. de famo. libel. *Literis.*

Gestu fit iniuria, ut si quis utitur ueste lugubri, uel squalida ad iniuriam alicuius, uel barbam, capillosq; demittit, uel alioqui faciē quis mutet, siue linguam in contumeliam alicuius extendat. *Gestu.*

Et in hac quoq; requiritur, quod Actor probet eū animo iniuriandi fecisse. In alijs enim speciebus iniuriarum regulariter probatio imponitur reo, uidelicet, ut probet se non animo iniuriandi fecisse.

Et iniuria quę uerbis & gestu fit, est à Prętore introducta, ideoque annalis, nec post lapsum anni de ea agi potest. l. si non conuicti, cum similibus. C. de iniur. gloss. in d. §. sed & lex Cornel. in uerbo, introduxit, hic titulo nostro. Possunt autem facere iniuriam, & hac actione conueniri omnes, qui iniuriam pati possunt. Hoc tamen fallit in furiosis, & impuberib. qui licet patiantur iniuriam, ipsi tamen iniuriam proprię facere non possunt. Nam iniuria ex affectu facientis consistit.

Oritur autem ex hoc delicto actio, quę uocatur actio iniuriarū,



que tum demum nascitur, si iniuriam passus eam ad animum reuocauerit. Si enim quis aduertit, & non reputat pro iniuria, sed ridet, nec curat, actio iniuriarum non nascitur, uel etiam si esset rata, tamen per dissimulationem aboleretur, nisi corpus læderetur. §. fin. cum ibi nota. hic tit. nostro.

Et datur hæc actio primùm illi, qui per seipsum passus est iniuriam. Secundò datur patri, qui per liberos suos iniuriam passus est, licet filiofamil. pro sua persona quoq; actio iniuriarum competat, iuxta filiusfamilias. ff. de Actio. & oblig. pater tamen habet exercitium Actionis. Tertio datur marito propter iniuriam illatam uxori, non autem e contra. Vxores enim à uiris, non uiri ab uxoribus defendendi sunt. §. patitur. hic tit. nostro. Et pro iniuria illata uxori competunt tres Actiones. Primò, patri uxoris. Secundò, marito eius. Tertio, socero, si maritus adhuc erat in potestate, nec unius actio per alium consumitur. l. i. in fin. ff. eod. Quarto datur hæredibus, si facta est iniuria cadaueri, ossibus, & epitaphio defuncti. Vel si quis famæ defuncti insidietur. l. Ossa. ff. de relig. & sumptib. fu. & d. l. i. §. si forte. ff. eod. Quintò datur domino pro atroci iniuria illata seruo. Vel si atrox non fuerit, in contumeliam domini tamen facta sit, adhuc competit Actio. §. seruis autem. hic titulo nostro. Et datur primò contra eum, qui fecit iniuriam. Secundò, in eum, qui dolo malo curauit ut fieret. Tertio, in eum, qui mandauit alicui ut faceret iniuriam. Quarto, in eum, qui conduxit aliquem ad hoc. Quintò, in eum, qui persuasit alicui aliàs nolenti, ut sibi obediret ad iniuriam faciendam, §. Non solum. hic tit. nostro. l. Non solum. in prin. & §. Si Mandato, cū sequenti. ff. eod. Contra impuberes tamen & furiosos, ut supra diximus, nõ datur, quia hic requiritur dolus, qui non potest esse in furioso & impubere infantia proximo. Et in summa, contra quemcunq; Actio de dolo, ratione personæ, locum habet, contra eundem habet quoq; locum Actio iniuriarum. Hinc sequitur, contra uniuersitatem aliquam, sine senatum, Actionem iniuriarum propriè intentari nõ posse. Quia Uniuersitas de facili dolum non potest committere. l. Sed si ex dolo. §. sed an in municipes. ff. de dolo. Contra hæredes quoq; & hæredibus hæc actio non datur, nisi lis fuerit contestata. l. iniuriarum actio. ff. eod. Condemnatus tamen hac actione infamatur. §. Ex quibusdam, infr. de. pœ. teme. litig. Qui uult uitare infamiam, defendat se per procuratorem. Tunc enim sententia fertur, non contra ipsum principalem, sed contra procuratorem. l. i. C. de sent. & Interl. omni. Iud. De omni iniuria potest quis uel ciuilitè, uel criminaliter agere. Ciuilitè agit, quando petit pœnam sibi adiudicari, & datur actio in tantum, in quantum iniuriam passus ad animum reuocauerit,



Ut cum dicit in libello, se malle tot uel tot aureos amittere, quam tale iniuriarum pati. Licet in tali æstimatione plerunq; iudicis taxatio attendatur. Criminaliter agit, quando petit iniuriantem puniri in corpore, uel ad pœnam pecuniariam fisco applicandam. Et tunc Iudex potest pœnam imponere ex arbitrio, adeo quod suum arbitriũ usq; ad mortem extendere possit, secundum glo. in §. In summa, in uerbo, Extraordinaria, hic tit. nostro. Modò facti qualitatem diligenter perpendat, quod sit, si cõsiderat dignitatem eius qui iniuriam passus est. Ex ea enim augetur siue minuitur pœna, alioqui pœna plerunq; augetur, si iniuria est atrox, quod fit quatuor modis. Primò ex ipso facto, ut si quis fustibus cæsus esset. Secundò ex loco, ut si in foro, uel in conspectu prætoris iniuria facta est. Tertio ex persona, ut si quis magistratum iniuria affecerit. Quartò ex loco uulneris, ut si quis in oculo percussus esset &c. Si tamen ciuiliſ uel criminalis actio electa fuerit, Actor unã contentus esse debet, nec potest redire ad aliam. Vtraque enim tendit ad uindictam. l. Prætor edixit. §. si dicatur, ff. eod. Nisi unã cum iniuria quoq; damnum datum esset. Tum enim etiã post criminalem actionem, posset quis agere ad damnum. Ut glos. & doct. in §. fin. hic tit. nostro.

Excusatur autem quis ab hac actione. Primò ratione officij, ut si quis in magistratu constitutus, quid exequitur, uel paulò durius quæ alloquitur, siue iubeat incarcerari, non uidetur hoc facere causa iniuriæ. Iuris enim executio, non habet iniuriam. l. Iniuriarum actio, ff. eod. Secundò si ueritatem dicit is qui iniuria afficit aliquẽ. Sed in hoc distingue; Aut Reipub. interest hoc scire, Veluti si quis obijceret alicui, eum esse spurium, uel damnatum de homicidio &c. si uera sunt, non tenetur obijciens, Reipub. enim interest eius infamiam notã esse, ne ad testimonia uel dignitates admittatur. Aut Reipub. non interest scire, Veluti si quis obijceret alicui, quod est cæcus, uel claudus &c. & tunc tenetur obijciens. l. Eum qui nocentem, cum ibi nota. per Barto. ff. de iniur. Tertio, si quis facit iniuriam causa uenerandæ Reipub. ut si scutum illius perforaret, qui malè se gessisset in bello, non tenetur, quia fieret ad uindictam maiestatis publicæ. l. quod Reipub. ff. eod. Quarto, ratione artis, ut si quis Astrologus, uel diuinator cõsultus, dicit quem furem, non tenetur actione iniuriarum, sed aliã tanquam illicitam artem exercens, punitur. l. Item apud Labeonem. §. si quis Astrologus, ff. eod.

#### QVIBVS MODIS TOLLATVR

Actio iniuriarum.

Tollitur autem hæc Actio iniuriarum septem modis. Primò, dissimulatione, quod scilicet iniuriã passus, comedit, bibit, risit, & iocose



ENARRATIONES IN INSTITVT.

conuersatus est cum iniuriante. §. fina. cum gloss. hic tit. nostro. Secundo, per pactum. l. si tibi. §. quædam. ff. de pact. Tertio, per transactionem. Quarto, per iusiurandum delatum iniurianti, si iurat, se non fecisse iniuriam, uel fecisse, non tamen animo iniuriandi. l. Non solum. §. uers. proinde. ff. eod. Quinto, per lapsum unius anni. l. Si non cõuitij. C. eod. Sed hoc uerum est, quod tollitur ope exceptionis, nõ tamen ipso iure. Quia sicut tempus non est modus inducendæ obligationis, ita nec tollendæ, ut dixi in §. At si ita stipuleris, supr. de uerbo. obligat. In tribus tamen casibus perpetua est hæc Actio, scilicet quando quis est uerberatus, pulsatus, uel domus sua per uim introita. §. sect & lex Cornelia, cum ibi nota. infr. eod. Sexto, per satisfactionem, ut scilicet non possit amplius ad uindictam agi, licet ad damnum. Et hic nota optimam Cautelam. Quod quando agitur contra aliquẽ actione iniuriarum, & timet de condemnatione, est consultũ ut soluat ante condemnationem id, in quod damnari possit, & sic euitat infamiam. Absoluitur enim per sententiam interlocutoriam ab obseruatione iudicij. Quæ interlocutoria habet uim sententiæ definitiuæ. Vide Bart. in l. Infamem. ff. de pub. iu. Septimò tollitur morte illius, qui passus est iniuriam ante litem contestatam, & morte iniuriantis post litem contestatam. l. si eam, §. qui iniuriarum. ff. si quis Cautio.

Actio iniuriarum perpetua.

Cautela de uitanda infamia.

Differentia inter sententiam iniustam et iniquam.

Cum enim prætor.) Differentia inter sententiam iniustam & iniquam. Iniqua dicitur, quando quis scienter iniquè iudicat, & tum facit litem suam, & tenetur in solidum. Iniusta sententia dicitur, quando ignoranter & per imperitiam iniuste iudicat, & tunc non tenetur in solidum, sed in quantum bono uiro uidetur, nec etiam efficitur infamis. Vide Ioan. de Plat. hic.

Pugno pulsatus.) Differentia inter pulsare & uerberare hæc est. Quia uerberare fit cum dolore & fustibus. Pulsare autem sine dolore, ut pugnare.

§. In summa.) Vel criminaliter uel civiliter, una tamen intentata, nõ potest redire ad aliam, cum utraq; tendat ad uindictam.

Per procuratorem.) In Actione tamen iniuriarum civiliter intentata admittitur procurator, etiam mandatum generale habens. l. Licet. §. Ad Actionem, cum glo. ff. de procurato. l. sed si unius. §. Procurator rem autem. ff. eod.

DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX quasi delicto nascuntur. Tit. V.

DE obligationibus, quæ ex contractibus, quasi contractibus, & delictis, dictum est. De illis autem quæ ex quasi delictis profiscuntur, dicendum erit. Dicitur autem quasi delictum proprie, quando



quando quis neq; ex dolo, neq; lata culpa, sed fortè ex imperitia siue negligentia sua, uel suorum conueniri potest. Eius ponuntur hic in text. tria exempla. Primum est de Iudice, quod is malè iudicando litem suã facit. In quo distingue: Aut is iudex fuit paterfamiliàs, aut filiusfamiliàs. Primo casu subdistingue: Aut sciens, uel ex proposito malè iudicauit. Et tunc, aut loquimur de ciuilibus causis. Et iterum distingue: Aut est Iudici aliquid datum uel promissum, ut malè iudicaret, & damnatur læsæ parti in triplum eius, quod accepit, & in duplum illius, quod promissum est, Authentica, Nouo Iure, C. de pœna iudic. qui malè iudic. Aut neq; datum, neq; promissum quid est, sed alioquidolo, & ex proposito alteram partem læsit. Et datur contra eum actio in factum, siue de dolo ad expensas, & æstimationẽ litis, sitq; infamis. l. fina. C. de pœna. iudic. qui malè iudica. Aut loquimur de criminalibus causis, & cõfiscantur omnia eius bona, quod malè iudicauit, depositoq; cingulo & dignitate, in exilium mittitur. d. Authentica, Nouo Iure. § Si quis autè, in Authentico, ut litig. in exord. lit. Iur. Coll. 9.

Et hoc membrum distinctionis nõ pertinet ad nos. Quia illi Iudices uerè delinquant. Aut malè iudicauit, non tamen ex dolo, sed propter errorem aut imperitiam. Tunc aut pars læsa appellauit à sententia, & nõ tenetur Iudex, si pars succubit in causa appellationis. Quia eius sententia manet firma. Argu. l. A proconsulibus. C. de appellatione. Si uerò læsus in causa appellationis obtinuit, siue non appellauit, punitur Iudex. Pœna autem est in arbitrio Iudicis, qui debet habere rationem sumptuum & damnorum læsæ partis. Dic tamè: Aut Iudex errauit circa facillimas leges, quas scire debebat, qualis est Authentica cessante. C. de legit. hære. & grauius punitur. Aut circa difficillimas leges errauit, ut de intellectu l. Gallus, ff. de liber. & posthu. & mitius punitur, secundum glo. Aut Iudex fuit filiusfamiliàs, & distinctiones suprã traditæ quoq; locum habent. Distingue tamen: Aut is filiusfamili. habitauit in domo patris, & pater conueniri potest de eo, q̄ per imprudentiam iudicauit, quatenus est in peculio filij, secundum quosdam. Aut seorsim habitauit, & ipse filius conuenitur, nõ pater. § Si filiusfamiliàs, cum glo. hic tit. nostro.

Secundum exemplum est, si ex alicuius domo, uel propria ipsius, uel cõducta, uel in qua gratis etiam habitat, quid deiectũ, effusũ uel fuerit, & alicui noceret, & tenetur inhabitans pro deiecto siue effuso à familia sua, ut ab uxore, liberis, & ministris &c. Quo casu distingue: Aut deijciendo uel effundendo damnũ datur in rebus, ut si quis effunderet aquam putridam sub die, & læderet uestes alicuius, teneretur simpliciter ad duplum damni &c. Si de nocte factum fuerit. Distingue: Aut sit in loco, per quem frequenter iter fieri solet, & quoq;



tenetur deſciens ſiue effundens. Aut alio loco, & non tenetur. Aut da-  
 mnum eſt datum perſonæ alicuius liberi hominis. Et ſubdiſtingue:  
 Aut deſciendo uel effundendo eſt uulneratus, et damnatur effundēs  
 ſiue deſciens, in quantum Iudici æquum uidetur, ſcilicet ad expēſas  
 factas in curatione, in mercede medicorū, et in operis quibus caruit,  
 & cariturus erat. Aut liber homo deſciendo eſt occiſus, & pœna quin-  
 quaginta aureorum ſtatuta eſt, non tamen pro æſtimatione occiſi.  
 Quia liberi hominis nulla eſt æſtimatio, ſed ad hoc, ut non impune  
 fiat, hæc pœna ſtatuta eſt, quæ datur Actori. Quia hæc Actio eſt po-  
 pularis. §. Ob hominem liberū, & ibi Ioan. de Plat. hic titulo noſtro.  
 Idem dic de eo quod appenſum eſt. Hoc tamen adde, ſi appenſum no-  
 cere poſſit, licet nondum nocuerit, tamē pœna decem aureorum ſta-  
 tuta eſt in appendentem. Si uerò nocuerit, dic ſecundum diſtinctio-  
 nem proximè traditam. Et licet paterfamiliās hoc caſu teneatur ex fa-  
 cto uxoris, liberorum, et miniſtrorum, tamen ſi filiusfamiliās ſeorſim  
 ab eo habitauerit, & quid ex domo eius deiectum fuerit, effuſumue  
 &c. pater conueniri non poteſt, ſed ipſe filius. d. §. Si filiusfamiliās. hic  
 titulo noſtro.

Tertium Exemplum eſt, Si illi, quos caupones, ſtabularij, ſiue ex er-  
 citatores nauium negotijs ſuis præponunt, in rebus illatis damnum  
 dederint, uel furati fuerint, Ipſi caupones, ſtabularij, ſiue ipſi exercita-  
 tores nauium, ex quaſi maleficio conueniri poſſunt. Et datur Actio  
 cōtra eos in duplum, propterea quòd malorum hominum opera uſi  
 ſunt. Diſtingue tamen: Aut primum conſtat, quiſnam ex ſeruis dede-  
 rit damnum, & poterit damnum paſſus contra eum Actione noxali  
 agere, in qua eſt liberum cauponi, ſtabulario, &c. uel ſeruū dare pro  
 noxa, uel eum retinere, uel noxam alio qui reſarcire, ut infr. per totū  
 tit. de noxalib. Actio. Aut non conſtat quis fecerit, & agit damnum  
 paſſus contra cauponem, nautam, ſtabularium, Actione in factum ad  
 duplum. Vide Azo. ſuper hoc titulo.

Cur detur A-  
 ctio in furtum.

Ex omnibus ergo quaſi maleficijs oritur Actio, quæ uocatur in fa-  
 ctum, & datur regulariter etiam hæredibus, non autem contra hære-  
 des, quia eſt pœnalis. §. ſin. in glo. hic tit. noſtro.

## DE ACTIONIBVS. Tit. VI.



VI Iura docent, ſolent in coniungendis continuationi-  
 bus titulorum & Rubricarum plerunque diligentes eſ-  
 ſe, tum propter faciliorem intellectum materiæ propoſi-  
 tæ, tum quoq; quòd Rubricarum autoritas maxima eſt,  
 & ſæpe pro legibus allegari ſoleat. Niſi ſint Rubricæ Decretorum,  
 quæ cum ſint factæ docendi tantū causa, ab eo qui lus condendile-  
 ges



ges non habuit, pro Autenticis non habentur, nec etiam quicquam probare possunt. Sicuti de istis omnibus copiosissimè Iason, hic in principio scribit.

Nos autem quia principalem titulum istius libri, quàm breuissimè enarrare decreuimus, rationem continuationis quoque non intermitteremus, & ut sequentia facilius intelligant, ducemus continuationem, non à proximo titulo præcedenti, sicuti fieri solet, sed ab initio secundi libri. Primùm itaque scias, ea quæ ab initio secundi libri usque hunc tit. dicta sunt, continere causas Actionum.

Secundus liber cum principio tertij, usque ad titulum de obli. habet causas actionum Realium, eodem ferè ordine, quo hoc titulo tractantur. Certum enim est, quòd primus titulus secundi libri tractat modos, quibus dominia rerum consequimur. Dominium autem tribuit Actionem Realem, quæ uocatur rei uendicatio, & omnium est præcipua, de qua tractatur in §. omnium. Verf. Aut cum eo, hic titulo nostro. Sequentes tituli in secundo libro de seruitutib. de usufructu, de usu & habitatione, tractant res incorporales, ut seruitutes reales & personales. Seruitutes autem tribuunt Actiones, quæ uocantur Negatoria & Confessoria. De quibus habes in §. quæ, hic titulo nostro.

Præterea titulus de usucapionibus tractat de materia quasi dominij, ex quo non oritur rei uendicatio, sed Actio Publiciana, de qua in §. Namque, hic titulo nostro.

Postremò requiritur materia successione, ex qua oritur Actio, quæ uocatur petitio hæreditatis, illa habet duplicem causam. Aut enim oritur ex Testamento, aut ab intestato. Actio ex Testamento est duplex: Vniuersalis & singularis. Actio uniuersalis oritur ex titulis de Testamentis, de hæred. instituen. de substitutionibus, de fideicommissis uniuersalibus. Actio singularis oritur ex titulis de legato, de fideicommissis singulari. Petitio uerò hæreditatis ab intestato oritur ex materia titulorum de hæ. quæ ab intesta. dese. De Senatusconsul. Tertul. De Senatusconsul. Orificiano, de successione cognatorum. Titulus uerò de bonorum possessionibus, pertinet ad interdicta adipiscenda, & tantum de secundo & principio tertij libri. Tertius liber à titulo de obligationibus usque ad hunc ti. continet causam actionum personalem, quæ est obligatio.

Obligationis autem causæ sunt quatuor: Contractus, quasi Contractus, Delicta, quasi Delicta. Contractus fiunt quatuor modis, Re, Verbis, Literis, & Consensu. Ex contractibus qui re contrahuntur, oriuntur actiones: Condictio certi, Condictio

Actio uniuersalis.

Actio singularis.

Petitio hæreditatis.

Bonorum possessio.

Contractus fiunt quatuor modis.



indebiti, actio cōmodati, depositi, & pignoris. De quarum cau-  
sis est titulus: Quibus modis re contrahi. obliga. Et habetur in §  
Item Seruiana. §. Rei persequendę. §. Omnes autem, & §. actionum  
quædam, hic tit. nostro.

Ex contractu uerbali oritur actio ex stipulatu, de cuius mate-  
ria est titulus, de uerb. oblig. & d. §. Omnes autem, hic tit. nost.

Ex literarum obligatione oritur actio de non numerata pecu-  
nia, de quo est ti. de litera. obliga.

Ex consensu oriuntur actiones ex empto, uendito, locato, con-  
ducto, pro socio, mandati. De quibus sunt tit. de empt. locat. soci-  
et. & manda. Et d. §. actionum quædam. hic tit. nostro.

Ex quasi contractu oriuntur actiones negotiorum gestorum,  
tutelæ, communi diuidundo, familię herciscundę, de quibus est  
tit. de obliga. quæ ex quasi cont. nascuntur.

Principium quarti libri tractat de delictis priuatis, & quasi  
delict.

Ex delictis oriuntur quatuor actiones, furti, ui bonorū raptō-  
rum, legis Aquilię, & iniuriarum. De quibus in singulis titulis.

*Sicut auroram  
matutinam plu-  
uia, sic domini-  
um & quasi  
obligationem  
sequitur actio.*

Ex quasi delicto oritur Actio personalis in factum, de quo in  
tit. de quasi delicto. Et sic habes quod omnia suprā dicta, causæ  
Actionum sunt. Sicuti ergo auroram matutinam sequitur plu-  
uia, ita dominium & quasi dominiū et obligationem sequitur a-  
ctio. Et cohæret hic tit. cum superioribus, sicuti cohærent causæ  
& effectus. Quia autem omnes causę absolutę sunt, nunc de effe-  
ctu earum, hoc est, de Actionibus, dicemus.

DEFINITIO ACTIONIS.

Actio est ius persequendi in Iudicio, qd sibi debetur, ut hic in  
prin. ti. nostri. Genus istius definitionis ius est. Dico autem ius,  
ad differentiã rerum corporaliū, quæ in iure consistere non pos-  
sunt, ut supr. de reb. corporalib. diximus. Secundò ad differentiã  
officij Iudicis, qd non est species iuris, sed potius exercitiū quod  
dã, nec potest propriè dici actio. In hoc tamē distingue: Aut con-  
sideramus officiū iudicis, prout personæ iudicis cohæret, & tunc  
nullo modo potest dici actio. Nam actio cōpetit partib. qua ius  
suum consequuntur. Aut consideramus officiū Iudicis, ut à par-  
tib. petitur & implorat in locū deficientis actionis, qualis est pe-  
titio restitutionis in integrū, Itē petitio excusationis à tutela &c.  
Et largè loquendo potest dici actio. Si. n. hoc casu specificū no-  
men non habet, tū appellatur persecutio. l. pecunię, uers. persecu-

*Officium iudi-  
cis largè loque-  
do potest dici  
Actio.*

tionis. ff. de uerb. sig. Persecutio aut quocq; dicitur actio. l. Actio  
nis uerbo, ff. de uer. sig. Ergo tale officiū iudicis largè potest dici  
actio.



actio. Sed strictè & propriè loquendo, omnino differunt actio & officium iudicis. Primò certum est, quòd actio regulariter præsupponit ius aliquod, uel obligationem. l. licet. ff. de procurato. *Actio semper præsupponit aliquod ius.* Officium autem iudicis propriè neq; dominium, neq; obligationem præsupponit. Nā non debetur quod officio iudicis petitur, sed quasi debetur, ut deprehenditur in petitione restitutionis. In integrum & c. *Non debetur quod ex officio iudicis petitur.* l. qui per collusionē. §. precij. ff. de actio. empt. Bart. in l. fin. ff. de iniurijs. glo. in l. si seruum. §. fin. in uerbo, posse. ff. de uerbo. oblig. Hinc est quòd pars læsa simpliciter implorat officium iudicis. Et iudex nō ex debito, sed ex mera gratia & misericordia subuenit, secundū glo. super Rub. ff. de interrogat. actio. Secundò differunt, quòd in his que ueniunt iure Actionis, pars per interpellationem, etiam extra iudiciale, constituitur in mora. l. qui Romę. §. cohæredes, iuncta gl. in uerbo, Testato. ff. de uerb. oblig. Et glo. in l. uinum, in uerbo, cūm petitū esset. ff. si certum petatur.

In his autem quæ officio iudicis ueniunt per interpellationem extra iudiciale, pars non constituitur in mora. l. cūm postulassem, in principio. ff. de dam. inf. & c.

Ratio diuersitatis colligitur ex prima differentia, quòd scilicet officium iudicis nullam præsupponit obligationem. Et ubi nulla est obligatio, ibi quoq; nulla est petitio. Vbi autem nulla est petitio, ibi quis non potest in mora constitui. Ergo & c. l. si pupillus. ff. de uerb. oblig. *Vbi nulla est obligatio, ibi nulla est petitio.* Dico in definitione: Persequendi, ad differentiam exceptionum que dantur reis, non ut persequantur, sed ut se contra Actores defendāt, secundum glo. hic in uerbo, persequendi. Dico autem, in iudicio, ad differentiam eorum, quæ persequimur extra iudicium, quales sunt fures nocturni & diurni, milites deserentes militiā, publici latrones, & malefactores, debitores fugitiui, quando iudicis copia haberi nō potest, dummodò tamen creditor ultra 20. horas eum non retineat: aliàs diceretur habere priuatum carcerem, contra dispositionem Iuris. C. de priuatis carce. per totū. l. 4. ff. ad l. Aquili. C. per totū, quādo licet unicuiq; & c. Et in summa, omnes qui ad perpetuam obedientiam astricti sunt, quales sunt uxores, liberi, serui, extra iudicium propria autoritate capere & persequi possumus, secundum glo. hic et la. *Quos licet at extra iudicium persequi.* so. in uerbo, iudicio.

Dico quod sibi debetur: Primò ad differentiam officij iudicis, per quod non petimus, quod nobis debetur, sed quod quasi debetur, ut suprā diximus. Secundò, ad differentiam accusationum criminalium & publicorum iudiciorum, in quibus non persequimur, quod nobis debetur, sed ad uindictam agimus, ut quis puniatur. Potest quoque positum esse ad differentiam actionum Realium, in quibus

• nihil



nihil debetur, sed petimus id quod prius nostrum est, secundum glo-  
hic, quæ tamen in hac parte reprobatur. Licet enim in Actione Rea-  
li propriè nulla sit obligatio, tamen subest quædam quasi obligatio,  
ut gloss. hic decidit. Sunt autem actiones duplices. Reales & persona-  
les.

*Vendicatoria  
actiones.*

Reales sunt, quibus rem persequimur, contra quemcunq; posses-  
sorem, Et sunt aut præiudiciales, aut non præiudiciales. Non præiu-  
diciales diuiduntur in Vendicatorias & Reuocatorias. Vendicatorie  
sunt, quibus res nostras uendicamus. Et sunt duplices. Quædam dantur  
directè ad res uendicandas, quædam uerò sunt præparatoriæ uen-  
dicationis. Quæ directè dantur, sunt duplices. Aut enim dantur pro  
rebus corporalibus, aut incorporalibus. Pro rebus corporalibus dantur  
duæ, Rei uendicatio, quæ datur domino, et actio Publiciana, quæ  
datur quasi domino. Pro rebus incorporalibus quoq; dantur duæ,  
Confessoria, & actio Negatoria. Præparatoriæ uendicationis sunt  
duæ, Actio ad exhibendum, & Actio rescissoria. Reuocatoriæ actio-  
nes Reales sunt duplices: Quædam enim dicuntur propriè reuoca-  
toriæ, quædam uerò auocatoriæ. Reuocatoriæ dicuntur, quibus tra-  
ditio rei, quæ in fraudem alicuius facta est, reuocatur. Et sunt quinque,  
Pauliana, Fauiana, & quasi Fauiana, Caluisiana, & interdictum Fraudatorium.  
Auocatoriæ sunt, quibus auocantur res, quæ locatoribus,  
uel creditoribus tacitè obligatæ erant, quales sunt: Actio Seruiana,  
& quasi Seruiana, Saluiantum interdictum. Actiones autem Reales præ-  
iudiciales dicuntur, quibus de statu alicuius personæ contenditur.  
Et sunt tres: Prima datur domino & seruo. Secunda patrono & li-  
berty. Tertia parenti & filio. Actiones personales uerò dicuntur, qui-  
bus agimus cõtra eum, qui est nobis obligatus ad faciendum aliquid  
uel dandum, & semper aduersus eundem habent locum. Et illæ oriun-  
tur ex obligatione.

*Actiones perso-  
nales.*

Obligatio uerò actionem personalem pariens, oritur ex quatuor  
causis, Ex delicto, quasi delicto, contractu, & quasi contractu. Quæ  
ex delicto oriuntur, subdiuiduntur: Quædam oriuntur ex delicto  
siue facto proprio cuiusdam, quædam uerò ex facto seruorum, siue  
lasciuiam animalium suorum. Illarum autem quæ ex facto proprio ori-  
untur, quædam sunt pœnæ persecutoriæ tantum, quædam uerò mi-  
xtæ. Pœnæ persecutoriæ tantum dicuntur, quibus pœnam persequi-  
mur debitam ex aliquo delicto priuato, & illæ dantur uel in simpli,  
uel in duplum, uel in quadruplum, uel ex arbitrio Iudicis.

In simplum dantur Actiones pœnales, quarum sunt tres: Prima  
datur aduersus eum, qui quid ex albo Prætoris corrupit. Secunda  
aduersus eum, qui patronum, uel parentem in lus uocauit, cum id  
non



non impetrasset. Tertia aduersus eum, qui ui exemit eum, qui in  
ius uocaretur.

In duplum dantur actio furti non manifesti, & actio serui cor-  
rupti. In quadruplū uerò datur actio furti manifesti, actio quòd  
metus causa, Actio de ea pecunia, quæ ad hoc data est, ut quis ca-  
lumnix causa negotium alicui faciat, Ex arbitrio Iudicis agitur  
actione iniuriarum.

Mixtæ uerò dicuntur, quibus tam rem, quàm pœnam perse-  
quimur simul, Et illæ quoq; dantur, aut in simplū, aut in duplū,  
aut in triplum, aut in quadruplum. In simplum datur actio l. A-  
quilix, de damno dato, si modò reus confitetur se damnum de-  
disse. In duplū dant, primò Actio depositi ex quatuor causis, ut  
si quis deposuerit causa tumultus, ruine, incendiij, uel naufragij.  
In secundo actio ex testamento contra eos, qui relictis sacro-  
sanctis Ecclesijs dare distulerunt.

Tertiò Actio l. Aquilix de dāno dato, Intellige aut̄ illas tres  
Actiones tum demū in duplū dari, si reus negauerit, contra cō-  
fitemem enim dantur in simplum, In triplum datur actio contra  
eos, qui maiorē uerę æstimationis quantitatem inserunt, ut litium  
executores ampliore sportularum summam inde exigere pos-  
sint. In quadruplū uerò datur Actio ui bonorū raptorum. Et in  
istis omnib. Actionib. mixtis, rei persecutio continetur sub ipsa  
pœna. Nec enim datur specialis Actio ad rem persequendā. Et  
tantum de actionibus, quæ oriuntur ex facto proprio cuiusq;.

Actiones uerò quæ ex facto seruorum, siue animalū suorum  
lasciua oriuntur, sunt duæ, Actio noxalis, & Actio, si quadru-  
pes pauperem fecisse dicatur. In istis habet dominus electionē,  
ut det uel seruum, siue quadrupedem pro noxa, uel damnum re-  
sarciat, Et tantum de Actionibus ex delicto.

Ex quasi delicto oritur Actio in factum, de qua supra titulo  
proximo. Quæ ex contractibus oriuntur actiones, subdiuidun-  
tur. Quædam enim dantur non tantum contra ipsum contrahen-  
tem, sed etiam contra eum, qui habet cōtrahentem in potestate,  
patrem scilicet & dominū. Et illarum quædam dantur peculiote  
nus contra patrem & dñm, ut est actio de peculio. Quædam uerò  
dantur contra patrem et dominū ex cōtractu filij, uel serui, in so-  
lidum, cum limitatione tamen, & sunt quinque, Actio quod iussu,  
tributoria, de in rem uerso, Institoria, et exercitoria. Quædam  
uerò Actiones dantur contra ipsum contrahentem tantum, & il-  
larum quædam sunt mixtæ, quædam mere personales.

Mixtæ dicuntur, quæ sunt tã reales, quàm personales, & sunt  
tres.

Actiones oriun-  
tur ex facto ser-  
uorum siue ani-  
malium.

Actio ex quasi  
delicto.

Actiones con-  
tra patrem &  
dominum.

Mixtæ actiões.



*Actiones merè  
personales.*

tres. Familix herciscundæ, communi diuidendo, & finium regū  
dorum. Meræ personales sunt duplices, quædam dantur contra  
Reum nō in solidum, sed in quantum facere potest, & sunt quin  
que: Actio de dote, qua agit mulier contra maritum. Item si quis  
egerit cum parente uel patrono suo. Actio pro socio. Item si quis  
conuenitur ex donatione sua, et quando agunt creditores contra  
eum, qui celsit bonis. Actiones autem quæ dantur in solidum, di  
cuntur, in quibus reus condemnatur ad totum id quod petitur.  
Et sunt duplices. Aut enim bonæ fidei, aut stricti Iuris.

*Actiones bonæ  
fidei.*

Actiones bonæ fidei dicuntur, in quib. ex æquo & bono multa  
ueniunt, de quib. non est actum. Et sunt decem & septem: Ex Em  
pto, Vendito, Locato, Conducto, Negotiorum gestorum, Mā  
dati, Depositi, Tutelæ, Commodati, Pignoratitia, Familix her  
ciscundæ, Cōmuni diuidendo, Præscriptis uerbis, quæ de estima  
to proponitur, quæq; ex permutatione competit, & Petitio here  
ditatis. His adde actionem pro socio, licet non detur in solidum.

*Stricti Iuris  
actiones.*

Stricti Iuris actiones dicuntur, in quibus nihil uenit, nisi de  
quo expressè est actum, ut sunt actio de cōstitutata pecunia. Actio  
in factum, Ex Iureiurando descendens, Actio ex stipulatu, Con  
dictio certi ex mutuo, Depositi. Et breuiter omnes alię actiones  
personales, quæ suprā inter actiones bonæ fidei numeratæ non  
sunt. Et tantum de contractibus.

*Ex quasi con  
tractu actiones*

Ex quasi contractu oriuntur sex actiones, de quib. diximus su  
prā de obligationib. quæ ex quasi contractu nascunt. Nunc ordi  
ne de singulis suo loco dicemus. De Realibus primū dicemus.

## DE ACTIONIBVS REALIBVS.

*Actio realis.*

Dicitur aut actio realis propriè, per quam rem nostrā, quæ ab  
alio possidetur, petimus. Quòd dico in definitione rem nostrā,  
tu primū intellige de domino, qui petit rem suā. Deinde de qua  
si domino, qui petit rem nondū usucaptam. Namq; hic ti. nost.  
Tertiò de eo qui Ius aliquod habet in re quadā, ut seruitutem, &  
id amissit. & quæ, hic ti. nost. Quartò de eo, qui habet ius pignoris  
uel hypothecæ in re alicuius. Item Seruia, hic ti. nost. Quòd dico  
in definitione, ab alio possidetur, fit ad differentiā actionis perso  
nalis quæ non respicit possessores rerum, sed personas ex contra  
ctu, quasi contractu, delicto, uel quasi delicto obligatas. Hæc au  
tem actio propriè inhæret rei, & sequit possessorem qualiscunq;  
etiam fuerit. Quod autem dico Possessor, tu intellige primū q  
naturaliter & ciuilitur possidet. Secūdò de eo q naturaliter tantu  
possidet. Tertiò de eo, q desit dolo malo possidere. Quartò de  
eo, qui quasi possidet res incorporales, et Iura, ut seruitutes, Iuris  
dictiones,

*Possessor.*



ditiones, decimas, & similia. Et breuiter intellige de omnibus qui restituendi habent potestatem, uel dolo desierunt habere potestatem restituendi, & c. l. officium. ff. de rei uendi. Diximus autem Actiones Reales esse duplices. Quasdam dari directè ad res uendicandas, & illas subdiuidi. Aut enim datur pro rebus corporalibus, quales sunt Rei uendicatio, & Actio Publiciana. De rei uendicatione primum dicemus.

### DE REI VENDICATIONE.

Rei uendicatio est Actio Realis, quæ datur domino contra possessorem quemlibet, ad uendicandam rem suam corporalem. Genus istius definitionis est Actio. Dico autem Realis, ad differentiam Actionum personalium. Dico autem domino, ad differentiam Actionis Publicianæ, quæ datur quasi domino ad uendicandam rem suam, quã nondum usucepit. Secundò ad differentiam Actionis confessoria, & negatoria, quæ quoq; non datur dominis, sed illis, qui habent ius in re alterius, puta seruitutem reale. Et sic capitur hic non dominus propriè & strictè. Dico contra possessorem, ad differentiam Actionum personalium. Secundò ad differentiam rerum incorporalium, quæ non possidentur, sed quasi possidentur. Est autem duplex Rei uendicatio: Directa, & Utilis. Directa datur illi, qui habet plenum dominium in re aliqua, uel saltem dominium directum, qualis est dominus feudi siue emphiteosis.

*Rei uendicatio.*

*Duplex rei uendicatio.*

Utilis autem rei uendicatio competit illi qui habet utile dominium alicuius rei, qualis est Vasallus uel Emphiteota. l. 1. §. fin. ff. si ager uectiga. uel Emphit. petatur.

CAUSA istius Actionis est dominium propriè & strictè sumptum. In libello autem rei uendicationis medium concludendi est, quòd Actor est dominus rei petita, & reus est possessor. Tenetur ergo Actor probare illa duo copulatiuè, nempe se esse dominum, & reum esse possessorem. Aliàs rei uendicatio non procedit.

Quibus autem modis illa duo probentur, dicemus. Et primò de probatione dominij, quæ est difficilis, circa quam distingue: Aut loquimur de rebus, ex quarum qualitate constat, quòd ante occupationem siue apprehensionem Actoris, fuerint in bonis nullius, quales sunt ferae bestia, gemmae, lapilli in littore Maris inuenti. Item Insula in mari nata & c. De quibus loquitur §. ferae igitur bestia, cù sequentibus, supra de rerum diuisi. Et dominium illarum rerum probatur directè per probationem occupationis, siue apprehensionis per regulam. Quæ nullius in bonis sunt, occupanti conceduntur. Et hæc probatio est facilima.

*Quomodo probetur dominium.*

*Regula.*

Aut loquimur de rebus, ex quarum qualitate colligi non potest,



quòd antea nullius fuerint. Sed certum est, eos dominum habuisse, quales sunt, fundi, domus, animalia mansueta, pecunia numerata, & omnes species, siue res opera hominum factæ, & in esse productæ. De quibus loquitur l. Adeo. §. cum quis. ff. de acquiren. rerum domi. & §. cum ex aliena, cum multis sequent. supra de rerum diuis. Et in istis distingue: Aut probatur quòd quoq; in nullius bonis aliquan diu fuerint, quòd fit tribus modis. Primò, si prior dominus habuerit illas res pro derelicto, ut ff. per tot. pro derelicto. Et hoc casu probatur dominium per solam apprehensionem siue occupationem. Secundò, si res erat tributaria, & uacauit biennio, præsumitur quoque habita pro derelicto, probaturq; dominium per apprehensionem & possessionem biennalem, l. qui agros, C. de omni agro deser. lib. xi. Tertio, si officio iudicis fiunt proclamata, uel affiguntur publica edicta hoc modo. Si quis uelit dicere illam uel illam rem suam esse, compareat infra certum terminum &c. Et si nemo comparuerit infra illum terminum, censetur quoq; res habita pro derelicto, & occupans eam postea eius dominium per apprehensionem probet, secundum Iaso. hic, qui multa ad hoc allegat. Istis tamen tribus casibus probatur tantum utile dominium, non autem directum. Aut probari non potest, quòd aliquandiu in nullius bonis fuerint. Et dic: Aut quærimus de probatione dominij utilis. Et tunc, si quis dicit & probat se rem immobilem decem annis inter præsentem, & 20. inter absentes cum titulo, & bona fide possedisse, dominium utile probatum est, secundum glos. & doct. in l. traditionibus. C. de pactis. Aut quærimus de probatione dominij directi. Et dic: Aut loquimur de rebus mobilibus, & probatur dominium, si possessio cum titulo & bona fide per triennium continuum probata fuerit, d. l. Traditionibus &c. Aut loquimur simpliciter de quibuscunque rebus, & probatur dominium bifariam. Primò per præscriptionem tanti temporis, cuius initij nõ extat memoria, secundum Bal. & Doct. in d. l. Traditionibus. Secundò per allegationem alicuius tituli, ut si quis dicat rem sibi donatam, uenditam, legatam, item quòd habeat ex successione alicuius, ut hæres &c. Sed hoc casu requiruntur tria copulatiuè. Primum ipse titulus, ut emptio, legatum, donatio. Secundò quòd res fuerit tradita. Tertio, quòd tradens fuerit dominus. l. cum res, iuncta gloss. Et quæ ibi notantur per Doct. C. de probatio. Vide Specula. in titulo de Locato. §. fin. Vers. 56. Nec satis est probare titulum, & traditionem, si non probetur tradentem dominum fuisse. Nemo enim plus iuris in aliũ transferre potest, quàm ipse habet, iuxta uulg. reg. in 6.

Et hæc de probatione dominij à parte Actoris in rei uendicatione



ne dixisse sufficiant. Nunc dicemus quid Actor teneatur probare à parte rei.

Requiritur ergo ad hoc, ut rei uēdicatio locum habeat, ut probet Reum rem petitam possidere, aut dolo desisse possidere.

Probatum autem possessio multis modis. Primò, si Reus insistit in ipsa re. l. i. & iij. cum similib. ff. de acquirend. possessio. Secundò, si fructus illius rei colligit. Tertiò, si ei respondetur de pensionib. secundum Bart. & dd. in l. Qui uniuersas. Quod per colonum. ff. de acquirend. possessio. Quartò, si fecit fundum coli. glos. in l. iij. C. fini. reg. Ne autem Actor decipiatur, primùm

Cautela ex parte Actoris.

debet Reum conuenire, & interrogare, an possideat illam rem, uel an dolo desierit possidere, quia uelit eam uendicare. l. Qui petitorio. ff. de Rei uēdicatione. Et si reus in iudicio fateatur se possidere, uel desisse possidere, iam Actor tutus est, & potest cōtra eum agere, modò tamen probet dominium, nec refert siue Reus possideat, siue non, nihilominus damnatur, dominio probato. Quia per confessionem obtulit se liti. l. Sin autem, in prin. ff. de Rei uēdicatio. Si autem negauerit, dicemus quid iuris.

Primò, quando Reus negat se dolo desisse possidere, Actori probandum est, eum possedisse, & se denunciasse, ne alienaret illam rem, quia uelit eam uendicare, quo probato, probatum est Reum desisse dolo possidere. Bart. in d. l. Qui petitorio. ff. de rei uēdicatio. In hoc bene distingue:

Aut Reus alienauit rem uendicandam post litem contestatam, & conuenitur nihilominus Rei uēdicatione, d. l. Qui petitorio. Aut alienauit ante litem contestatam dolo, & non competit Rei uēdicatio cōtra eum, sed actio in factum ad interesse, ut colligitur ex titul. C. de aliena. iudi. mut. caus. facta. Ita tenet quoque Panor. in c. i. extrà, de alien. iudic. mut. caus. facta. Quidam tamen arguunt, si reus tempore primę citationis possederit, et postea desierit possidere, quòd præsumat in dolo, alleg. ad hoc D. Ias. Bal. in c. fin. extrà de iudic.

Quando possessor præsumat in dolo.

Secundò, quando scilicet Reus post aptū Actoris libellū negat se possidere, Distingue: Aut bona fide negat, id est, nesciēs se possidere, & nihil officit negatio etiā si possideat, secundū Bart. in l. fina. ff. de Rei uēdicatione. Aut mala fide negat, id est, sciens se possidere. Et subdistingue: Aut negat qualitatem possessionis, aut quia dicit se emisit à uero domino, et tunc si actor probat alium Titulum, puta quòd reus possessionē cōsequutus est à furioso, pupillo, uel simili, et puniē Reus in translatione possessionis. Aut negat ipsam possessionē, & tūc, si negat partem possessionis,



& ab actore de mendacio conuincitur, adiudicatur illa pars, quã negauit Actori. Bald. in l. Cogi. C. de pet. hæred. Si uerò negat totam possessionem, & ab actore conuincitur, tenetur Iudex ad petitionem Actoris, eum mittere in possessionem rei tanquam uacantem dominio, etiã nondum ab actore probato. d. l. ff. de Rei uendica. Et huc refer totum titulum suprã, de rerum diuisio. Libellus in Rei uendicatione, quo ad substantialia, potest ita proponi præmissis præmittendis.

**LIBELLVS IN REI VEN-**

**Coram uobis D. Iudex comparet Titius, & proponit Sē pro-**  
nium fundū Tusculanum possidere, uel dolo desisse possidere.

*Mediꝝm con-*  
*cludendi.*

Quia aut̃ is fundus iure dominij directi uel utilis ad Actorẽ spectat, & Reus habet facultatē restituendi: Ideoq; petit Actor, se declarari dominum illius fundi, & Reum ad restitutionē, unã cum fructibus à tanto tempore perceptis, quique à diligenti patrefamiliã usq; ad finem istius controuersie percipi potuissent. Hoc procedit contra possessorem malæ fidei. Bonæ fidei enim possessor non tenetur de fructibus percipiendis, sed tantum de perceptis & extantibus. Vide glos. si quis à non domino, in uerbo, Cogitur restituere, Inst. de rerum diuisio. Quos Actor deductis omnibus impensis ad eius culturam factis, pro tot uel tot au reis taxat, salua tamen Iudicis taxatione condemnari, eumq; condemnatum, ad restitutionem prædictorum compelli & cogi. Et hæc uera sunt, quãdo petitur res unã cum fructibus. Si uerò simplex res peteretur, fieret talis conclusio libelli: Petit itaq; Actor, se declarari dominum rei petite, & Reum ad eius restitutionem condemnari, damnatumq; ad restitutionem cogi & compelli.

**DE ACTIONE PVBLCIANA.**

Secunda actio Realis, quæ pro rebus corporalibus repetendis datur, est Publiciana.

*Actio Publiciana.*

Est autem Actio Publiciana actio Realis, qua petimus id quod nobis ex iusta causa à non domino bona fide traditum est, & nondum usucaptum. l. i. ff. de Pub. in rem actio. Et habet nomen à Publicio prætore, qui eam introduxit.

CAVSA Impulsua hæc erat, quum de iure ciuili nulla actio extaret, qua quis rem amissam, quæ bona fide, & ex iusta causa tradita erat, nec tamen usucapta, uendicaret (Rei enim uendicatio soli domino datur) Publicius equitate motus, hanc Actionem introduxit, ne quis suo iure, id est, quasi dominio temerè priuaretur. Namq; si cui, hic titulo nostro.

*Sed*



Sed dico in definitione Actio Realis, ad differentiam Actionum personalium. Quod autem sit Realis inde patet, quia datur quasi domino, ad petendam rem, sibi ex emptione, donatione, uel alia iusta causa traditam, & nondum usucaptam, contra possessorem quemcunque. Inde patet quoque ex eo, quod Imperator eam connumerat inter Actiones Reales prætorias. Dico ex iusta causa, ad hoc enim, ut hæc Actio locum habeat, requiritur iusta causa, hoc est, quod præcedat aliquis titulus, ad translationem dominij aptus, quales sunt: Tituli emptionis, donationis, dotis, legatorum, &c. l. ij. & iij. ff. de Publicia Actio. Dico à non domino: Quia si à uero domino res tradita esset, & postea amissa, competeret non Publiciana Actio, sed Rei uendicatio. Dico bona fide. Nam qui sciens rem alienam emit, is non facile habet usucapiendi causam. Ideoq; eam rem amissam hac Actione recuperare non potest. Vbi enim usucapio & præscriptio locum non habent, ibi quoq; non oritur Actio Publiciana, & ecõtrà. l. Traditionem, & quæ ibi notantur. ff. de Publicia, in rem Actio. Dico traditum, quia sine traditione, uel quasi traditione regulariter possessio non procedit. Vbi autem nulla est possessio, ibi quoq; nulla oritur usucapio, uel præscriptio, & ubi nulla est usucapio, ibi quoq; nõ habet locum Publiciana. Ergo ubi nulla traditio uel quasi, non est locus Publicianæ, ut Sorites sit perfectus. Dico nondum usucaptum, quia si res mobilis possessa usucapta, uel immobilis præscripta esset, non competeret Actio Publiciana, sed rei uendicatio. Quia per usucapionem rerum mobilium, transfertur directum dominium, et per præscriptionem immobilium transfertur utile dominium. d. l. Traditio. nibus, cum ibi nota. C. de pact. Sed de istis singulis infra latius dicemus.

Vides iam rei uendicationem & Actionem Publicianã in quibusdam conuenire. Primò, sicuti rei uendicatio datur uero domino, ita Publiciana quasi domino.

Secundò, sicuti rei uendicatio datur contra eum, qui possidet uel desijt dolo possidere. Item qui habet restituendi facultatem, ita quoque Publiciana.

Tertiò, sicuti in rei uendicatione possessor tenetur de dolo, culpa seu mora. Item de damnis, fructibus, & expensis restituendis, Ita quoq; in Publiciana. Et breuiter, in omnibus ferè conueniunt, iuxta l. Eum qui. §. in Publiciana. ff. de Publ. in rem Actio.

Differunt tamen quoq; in quibusdam. Primò, rei uendicatio non datur ad res incorporales. l. Vendicatio. ff. de rei uendi. Actio autem Publiciana datur tam ad res corporales, quàm ad incorporales. Si enim seruitus, quæ est res incorporalis, à non domino esset alicui con-



stituta, & priusquam præscriberetur amissa, competeret pro ea recuperanda. Actio publiciana. l. si ego. §. si de usufructu. ff. de Publiciana. in rem Actio.

Et est ratio diuersitatis, secundum Iason. Quia pro rebus incorporalibus constitutis per ueros dominos competunt Actiones speciales, scilicet confessoria & negatoria. Si uero à non dominis constituntur seruitutes, & postea amittuntur, nulla extat specialis Actio. Ideo extenditur ad eas Actio Publiciana. d. l. si ego.

Secundò differunt, quòd rei uendicatio datur etiam contra titulo possidentem. l. officium. ff. de rei uend. Publiciana autem non datur contra titulo possidentem, ut colligitur ex l. siue. §. si duob. iunct. glo. ff. de publ. in rem Actio. Nisi talis titulus esset procuratus in odium agentis, cum enim possessor esset in mala fide, uel nisi possessor haberet titulum à fure, uel ab alio, qui tenuisset rem cum uitio. Istis enim casibus competeret Publiciana etiam contra titulo possidentem, secundum Iaso. & Docto. hic.

Ratio autem, quòd Publiciana non datur regulariter contra titulo possidentem hæc est, quòd possidens cum titulo habet duo. titulum scilicet & possessionem. Agens autem Publiciana contra titulo possidentem habet tantum unum, nempe nudum titulum, quia possessio est amissa. Et sic in possidente cum titulo, sunt duæ rationes. In altero uero tantum una. Vbi autem sunt plures rationes, ibi quoq; debet esse fortius ius. §. si uero, cum ibi nota. supr. de adoptio.

CAUSA istius actionis est quasi dominium. Sicuti enim in rei uendicatione requiritur Actorem esse dominum, ita quoq; in hac Actio. ne requiritur Actorem esse quasi dominum.

Requiruntur autem ad quasi dominium, ut ex superioribus colligi potest, quinque. Primò, traditio rerum mobilium corporalium, uel quasi traditio rerum immobilium, uel incorporalium. l. Traditione. ff. de publ. in rem Actio. l. Seruus. §. Incorporales. ff. de acquirend. rerum dominio.

In titulis tamen pro legato & pro hærede, non est necessaria traditio. Quum etiam sine ea quæratum dominium Apprehensio tamen necessaria est, secundum glo. in l. Celsus, in uerbo, existimarent. ff. de usucapio. Secundò, quòd ex titulo habili ad translationem dominij traditio facta sit, ut ex emptione, donatione, dote &c. ut supra diximus. Tertiò, quòd à non domino acceperit. Quartò, quòd bona si de acceperit ab eo, quem putauit dominum, quiq; habebat facultatem disponendi de rebus suis, ut non pupillus, nec furiosus &c. & creditur per traditionem se dominum factum. l. Eum qui à furioso. §. Prætor. ff. de publ. in rem Actio. Quintò, quòd credat se tempore agendi



agendi dominum non esse, uel dubitet, propterea quod nōdum usuceperit.

Sed tamen hæc quinque omnia de necessitate probanda non sunt, Sed tantum duo. Nempè traditio & titulus. Reliqua tria non item. Primò enim probare non tenetur rem à non domino traditam, secundum Angel. hic. Neque etiam bonam fidem probare tenetur. Illa enim præsumitur, donec contrarium probetur.

Præterea hæc & similia consistunt in intellectu, & relinquuntur alicuius conscientie, nec possunt cadere in sensum testis, secundum glo. hic, in uerbo, dicit.

Et prædicta quinque requiruntur à parte Actoris. Dic autem breuibus, causam Actionis Publicianæ esse duplicem, Propinquam & remotam. Propinqua est quasi dominium.

CAUSAE remotæ sunt causæ quasi dominij, ut traditio, titulus, bona fides &c. Sicuti causa propinqua rei uendicationis est dominium, & causæ remotæ sunt modi acquirendi rerum dominia &c.

Materia istius Actionis tota dependet ex titulo de usucapioni, & præscriptio.

A parte autem Rei requiruntur illa ipsa, quæ supra de rei uendicatione enumerauimus, uidelicet quod Reus possideat, uel dolo deserit possidere. Item quod habeat restituendi facultatem.

Sicuti autem rei uendicationis effectus est, quod Reus testibus, instrumentis, uel propria confessione conuictus, tenetur rem restituere cum omnibus fructibus, damnis & expensis, Ita quoque in Actione Publiciana dicendum est.

Extinguuntur autem prædictæ duæ Actiones per usucapionem & præscriptionem. Nam si res mobilis spacio triennij, & immobilis inter præsentis decennio, & inter absentes uiginti annis, bona fide, iusto titulo possessa fuerit, extinctæ sunt Actiones Reales, quia dominium uel quasi dominium, quæ sunt causæ istarum Actionum, per usucapionem & præscriptionem in possessorem translata sunt.

Quibus modis  
extinguatur  
rei uendicatio  
& Publiciana.

## LIBELLVS IN ACTIONE

### Publiciana.

Licet domus quam Titius possidet, Actori ab eo, quem credidit dominum esse, ex iusta causa, emptionis scilicet, tradita sit, ab eoque aliquandiu possessa, ita quod in causa præscribendi fuerit, tamen cum ipse abesset, illa domus à Titio apprehensa & occupata est, qui eam iam possidet, nec uult restituere, licet restituendi habeat facultatem. Petit ergo Actor per uestram sententiam declarari, eam domum iure quasi dominij ad se pertinere, & Titium possessorem, ad illius restitutio-

Narratio facta  
Medium concludendi.



nem condemnari, condemnatumq; opportunis Iuris remedijs ad restitu-  
tionem compelli & cogi.

Nota hic obiter, Si quis intentauit primò rei uendicationem, et in  
ea succūbit, quia dominium non potuit probare, quod nihilominus  
adhuc potest intentare Publicianam, & e contra, modò soluat aduer-  
sario suo expensas. l. Minor. §. si seruus. ff. de euctio.

Secundò nota, Licet regulariter libellus incertus non ualeat, nec  
etiam admittatur, tamen quando Actor incertus est, an sit dominus  
uel quasi dominus illius rei quam petit, potest alternatiuè concludere,  
re, uidelicet peto me declarari dominum, uel quasi dominum, & ua-  
let libellus secundum Innoc. in c. constitutus. extra de restitut. in in-  
tegrum. Et tantum de Actionibus Realibus, quæ dantur pro rebus  
corporalibus.

Et prædicta procedunt in Iudicio Prætorio, hoc est, quando A-  
ctor petit se declarari dominum uel quasi dominum, & est paratus  
probare dominium uel quasi. Secus si intentaretur iudicium possesso-  
rium, hoc est, si quis diceret se fuisse in possessione alicuius rei, & spo-  
liatum esse, tum intentatur interdictum, unde ui, uel remedium ex  
Canone reintegranda, n. quæstio. iij. Et hoc casu satis est probare pos-  
sessionem & spoliationem. c. In literis, extra de restitut. spol. Et tu-  
tius est intētare possessorium, quam petitorium, propter probatio-  
nes, Multò enim facilius probatur possessio & spoliatio, quam do-  
minium, uel quasi.

DE ACTIONIBVS REALIBVS, QUAE  
dantur pro rebus incorporalibus.

Actiones Reales, quæ dantur pro rebus incorporalibus, hoc est,  
seruitutibus, & alijs Iuribus, sunt duæ, Confessoria & Negatoria.

DE ACTIONE CONFESSORIA.

Confessoria.

Confessoria est Actio Realis, qua agimus contra impediētem  
nos uti Iure siue seruitute competenti nostræ personæ, uel rebus no-  
stris ex re alterius. Et dicitur Confessoria, quia proponitur uerbis  
affirmatiuis. Dico in definitione, Actio Realis. Primò, quia datur  
illi, qui habet affine domini, id est, Ius in re. Secundò, quia rei, hoc  
est, fundo siue domui inhæret, & rem sequitur à quocunq; coeperit  
possideri. l. Via constitui. §. si fundus. ff. de seruitut. Rustico prædior.  
Dico Iure, quia hæc actio non tantum competit pro seruitutibus,  
sed pro quolibet Iure incorporali, secundum Ioan. Fab. hic, & Spe-  
culat. in §. secundo, in titulo de restitutione spol. Hinc est, quòd si  
quis me impediret in receptione decimarum, uel reddituum ex re ali-  
qua, uel impediret me uti Iurisdictione, competeret Actio Confes-  
soria contra impediētem. Dico seruitute, propterea quòd hæc A-  
ctio



**A**ctio pro omnibus seruitutibus, tam realibus, quam personalibus datur. Dico nostræ personæ, propter usumfructum, usum, & habitationem, quæ sunt seruitutes personales, & personis inhaerent, quæque cum personis intercidunt. Dico rebus nostris, propter seruitutem urbanorum & rusticorum prædiorum, quæ non personis, sed reb. hoc est, fundis siue domibus debentur. Dico autem ex re alterius. Primò, quia res alicuius propria ei non seruit. Secundò, quia seruitus est relatio, & uersatur inter duo extrema, Fundamentum scilicet & terminum.

**F**undamentum est res aliena seruiens, nam in ea consistit seruitus. *Fundamentum.*

**T**erminus uerò est res siue persona dominans, quò respicit illa ser. *Terminus.*

**C**onuenit autem hæc Actio cum superioribus, quòd sicuti rei uenditatio datur domino, & Publiciana quasi domino, Ita quoque hæc datur illi qui habet Ius in re, quod est affine dominij.

**D**iffert tamen ab eis, quòd illæ datur pro rebus corporalibus, hæc autem pro rebus incorporalibus. Sicuti autem res corporales possunt peti bifariam, In iudicio petitorio, & iudicio possessorio, ut diximus, Ita quoque res incorporales, de quibus hic loquimur, petuntur bifariam. Aut enim petitur earum proprietates, aut quasi possessio.

**P**roprietas petitur in iudicio petitorio, in quo scilicet Actor petit declarari, illam seruitutem iure ad se pertinere. Et tum propriè locum habet hæc Actio confessoria.

**E**st autem hæc Actio duplex, Directa, & utilis.

**D**irecta datur illis qui habent directum dominium in prædijs siue domibus, quibus debetur seruitus. Et datur contra eum qui est directus dominus illius rei, ex qua seruitus debetur. Utiles uerò datur illi qui habet utile dominium, siue Ius aliquod in illa re, cui debetur seruitus, quales sunt: creditor pignoris, Usufructuarius, Emphiteota, Vassallus, secundum Ioan. de Plat. hic.

**C**AUSA istius actionis est Ius quod in re alterius habemus. Hoc autem Ius probatur per contractus inter uiuos, uel per ultimam uoluntatem, iuncta patientia domini illius rei seruientis, quæ loco traditionis habetur. Item per prescriptionem, modò is qui agit, sit dominus directus, uel utilis fundi illius dominantis. Si enim esset quasi dominus, competeret Actio Publiciana, ut supra diximus.

**E**FFECTVS istius Actionis est, quòd Reus cõuictus ad petitionem Actoris, & implorationem officij Iudicis, cum restitutione Interestis, fructuum & damnorum, ab impedimento abstinere cogitur. **I.** Loci corpus. **¶** In confessoria, cum **¶** sequenti. **& I.** Et si fortè. **¶** fin. ff. si seruit. uend.

Præterea



Præterea tenetur Reus conuictus præstare cautionem, quòd in futurum nec ipse, nec hæres eius, nec successores eius impedituri sint Actorem uti tali seruitute. l. Harum. cum similibus. ff. si seruitus uendi.

Et prædicta uera sunt, quando quis agit Iudicio petitorio, id est, quando dicit, hoc Ius, uel hanc seruitutem in re alterius sibi competere, uirtute alicuius contractus, siue actus, & quasi traditam per patientiam domini. Hoc casu tenetur illa probare. Secus autem si ageret Iudicio possessorio, id est, diceret se in quasi possessione alicuius seruitutis in re alterius fuisse, & de facto eiectum, siue in ea turbatum. Et sic spoliatum se proponit. Et agit ad restitutionem quasi possessionis, quo casu non competit Actio cõfessoria, sed pro spoliatione uti, le interdictum, unde ui, uel utilis Actio in factum, surrogata in locum illius interdicti, uel utilis Actio ex constitutione l. Si quis in tantam. C. Vnde ui. de quibus dicemus infra de interdictis. Et hoc casu tenetur tantum probare, se in quasi possessione fuisse. Et per Reum eiectum. Pro turbatione autem possessionis, quasi istius competet Interdictum, quasi uti possidetis. l. sicuti. §. Aristo. ff. si seruitus uendicetur. Vide Specul. de restitut. spol. in §. Nunc dicemus.

Quibus modis probetur possessio.

Quando autem quæritur, quibus modis probetur hæc possessio Distingue: Aut loquimur de seruitutibus negatiuis, ut est, altius non tollere ædificia, & probatur per unum solum Actum, ut si Actor dicat, se prohibuisse, ne altius tollatur ædificium uicini, & aduersarius acquieuisse probationi Bart. in l. 1. C. de seruitut. & aq. Aut loquimur de seruitutibus affirmatiuis, quales sunt: ire, agere, licere, Item aquam ducere per alterius fundum. Et in istis subdistingue.

Quædam sunt, in quibus potest usus esse per modum facultatis uel amicitia, ut ire per fundum. Cuilibet enim datur facultas per alterius fundum eundi, nisi prohibeatur. l. iij. §. Planè. ff. de acquirend. rerum domi. Et de his non dicitur. Quædam sunt, in quibus usus non potest esse per modum facultatis, ut si quis ducat aquam per fundum tuum, tunc per primum actum inducitur quasi possessio. l. 1. in principi. & §. quod autem. ff. de aqua quo. & æst.

Quibus modis tollitur Actio Confessoria.

Tollitur autem Actio confessoria illis ipsis modis, quibus amittuntur seruitutes, pro quibus competunt, quos uide supra de seruitut. & usufruct.

LIBELLVS IN ACTIONE CONFESSORIA.

Conueni cum Titio, & emi ab eo pro tot aureis Ius, ut per fundum suum Tusculanum, ad fundum meum Seianum, quorum confinia cohærent, aquam ducere liceret. Et ipse post seruitutis istius constitutionem



stitutionem passus est ducere aquam in fundum meum, & ita per suam patientiam hoc mihi ius quasi tradidit. Quumq; aliquandiu in libera & quieta possessione ducendi aquam per fundum suum, fuisset, & id mihi uirtute dicti contractus & quasi traditione liberè licere putassem, familia Titij eius iussu me impediuit, & adhuc impedit, quo minus mihi aquam ducere liceat, propter quod impedimentum tanti mea interest, &c. Peto itaq; per uestram sententiam declarari, eam seruitutem ducendæ aquæ per fundum Tusculanum Titij, fundo meo Seiano competere, Titiumq; condemnari, ut post præstationem Interesse, mediante uestro officio caueat, se, hæredes, & successores suos in futurum non esse impedituros, me uti iure meo constituto, &c.

Hic libellus ita esset formandus, si quis iam fuisset in quasi possessione seruitutis per contractum, & quasi traditione cõstitutæ, & iterum amissæ. Secus autem si seruitus tantum promissa esset, & non quasi tradita. Tum enim ageretur contra promittentem, Actione personali ex stipulatu, præscriptis uerbis, uel ex empto, secundum Iaso. hic.

#### DE ACTIONE NEGATORIA.

Actio Negatoria & Actio Realis, qua agimus res nostras non seruire rebus siue personæ illius, qui contendit sibi ius in eis competere. l. ij. cum ibi notatis. ff. Si seruitus uendic. Et dicitur Negatoria, quia plerunque negatiuè proponitur, licet interdum proponatur uerbis affirmatiuis, effectus tamen semper est negatiuus, ut quum dico: ius mihi esse altius tollendi ædes meas, idem est, ac si dicerem, prohibente uicino, ius ei non esse prohibendi me, ne altius tollam, Ita quoq; licet Confessoria plerunque proponatur uerbis affirmatiuis, tamen interdum quoq; proponitur negatiuis uerbis, ut quum dico, uicinum meum non posse altius tollere ædes suas. Per hæc uerba ago Actione Confessoria, mihi competere ius in ædibus uicini, ne ipse altius tollat. Et sic nota hic obiter, In seruitute altius non tollendi, utramque Actionem locum habere, tam Confessoriam, quam Negatoriam.

Confessoria locum habet, quando ago mihi ius esse in ædibus uicini mei, ne ipse altius tollat.

Negatoria autem, quando contendo aduersarium ius non habere in ædibus meis, quo impediatur ne altius tollam, & sic ago tantum pro libertate mea retinenda, quæ mihi competit de iure communis. Quum enim aer sit communis res, unicuique liberum est eo uti, nisi ex conuentione prohibeatur. Ideo nego uicino meo ius competere, quo me prohibere cupit ne altius ædificem. l. Altius. C. de seruitutibus. l. cum



I. cum eo, cum similibus. ff. de seruitut. urbanorum prædiorum. Dico Actio Realis, quia datur domino illius rei, quæ contenditur esse libera, & in qua negatur seruitus. Dico res nostras, ad differentiã Actionis confessoria, quia agimus rem alienam nobis seruire. Reliquæ partes definitionis omnes positæ sunt ad differentiã Actionis confessoria. Nota quoq; hanc Actionem non tantum pro seruitutibus, sed quoq; pro alijs iuribus competere, ueluti si quis neget ex rebus suis deberi decimas, redditus uel census. Ad hoc autem ut hæc Actio locum habeat, requiruntur duo.

Primum, quod Actor habeat dominium, uel ius aliquod in ea re, in qua negatur seruitus.

Secundò, quod Reus prætendat in ea re sibi esse constitutam seruitutem. Et licet in omnibus actionibus onus probandi regulariter imponatur Actori, & non Reo, Ideo quod si Actor in probatione defecerit, Reus, etsi nihil omnino præstiterit, absoluitur, iuxta uulgatã l. Qui accusare. C. de edendo.

*Presumptio iuris.*

In hac tamen Actione diuersum seruatur, quia Actor non tenetur probare intentionem suæ Actionis, uidelicet rem suam non seruire rebus alienis, sed satis est, ut probet se dominum istius rei esse. Hoc enim casu eius intentio est fundata, per probationem dominij, propter præsumptionem iuris, quod præsumit quaslibet res esse liberas, quæ præsumptio transfert onus probandi in Reum, ut scilicet probet, in rebus Actoris ius sibi constitutum esse. Et hoc ideo, quia Actor agit negatiuè, Reus autem excipit affirmatiuè. Assertio uerò probanda est, & non negatio. l. Actor. C. de probatio. Vide gloss. in l. Sicuti. §. Sed si quærat, in uerbo, Possessoris. ff. Si seruit. uendi. Bart. in l. In ædibus. C. de seruit. & aqu.

Probat ergo hoc casu Reus seruitutem sibi constitutam in rebus Actoris, multis modis, ut per pactiones, stipulationes, cõtractus, per ultimam uoluntatem, &c. §. si quis uelit, supra, de seruitut. Item, per præscriptionem, quæ habetur loco constituti. l. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqu. quot. & æst. l. si quis diurno, in principio. ff. si seruit. uendi. Et sic Reus in Actione negatoria in effectu nihil differt ab Actore in Actione Confessoria.

**LIBELLVS IN ACTIONE NEGATORIA.**

Licet fundus Titianus iure dominij uel quasi, quo ad Sempronium, liberè, & sine aliquo onere uel seruitute ad me pertineat, tamen quia Sempronius contendit, in eo constitutam esse seruitutem fundo suo, eaque utitur, licet ego negem, & utendo res meas facit detiores. Peto ergo per uestram sententiam declarari, Sempronio non esse ius ur̄di aliqua seruitute in rebus meis, sed fundum meum, quo ad



ad ipsum, esse liberum. Et tantum de Actionibus Realibus non præjudicialibus, quæ dantur directè ad res uendicandas. Nunc de Præparatorijs Rei uendicationis dicemus.

### DE ACTIONIBVS PRAEPARATORIIS.

Dicuntur autem præparatoriæ Actiones ideo, quia præparant uiam alijs Actionibus, quando res ob aliquod impedimentum uendicari & haberi non potest. Et sunt duæ, Actio ad exhibendum, & Actio rescissoria.

### DE ACTIONE AD EXHIBENDVM.

Actio ad exhibendum est Actio Realis, quæ datur cuilibet, cuius *Actio ad exhibendum.* interest pecuniariter, ad hoc ut res mobilis exhibeatur in publicum, deturq; experiundi copia, & habet locum contra quemcunq; possessorem. l. ij. ad exhibend.

Dico Actio Realis, Ideo quia persequitur rem à quocunq; fuerit possessa naturaliter & ciuilitè, uel naturaliter tantum, siue etiam detenta per se uel per alium. Imò datur contra quemlibet, qui tempore sententiæ habet restituendi facultatem. l. Cum seruus. ff. ad exhibend. Licet ergo text. in l. ij. §. Est autem. ff. ad exhibend. dicat, quòd sit Actio personalis, tamen id potest intelligi, quòd delictum interdum præbet causam huic Actioni, sicuti uidemus in seruo qui noxam dedit, & postea absconditur. Iam agitur ut is seruus exhibeatur, & sic delictum istius Actionis, hoc casu causa est. Tamen quia semper persequitur ipsam rem à quocunq; fuerit possessa, potest dici Realis, præsertim cum propter rei uendicationem sit præcipuè inducta. l. 1. ff. ad exhibendum. Dico pecuniariter. Hoc intellige ad differentiam affectationis. Licet enim alicuius intersit ex affectu, quòd res exhibeatur, tamè si inde non sentit commodum pecuniarium, non habet locum hæc Actio. Dico cuius interest pecuniariter, quia hæc Actio multis datur. Primò datur domino, qui præparat ut possit rem suam à possessore suo uendicare. Et hoc casu idem ferè operatur, quod interrogatio, qua Actor interrogat Reum, an non possideat rem, de qua supra in rei uendicatione dictum est. Estq; maximè necessaria, propter res, quæ lure ascensionis alicui acquiruntur. Vt si mea gemma inclusa esset tuo auro, non possum uendicare priusquam eximeretur. Ago itaque ad exhibendum, ut separetur gemma ab auro, & postea uendicetur. l. Gemma. ff. ad exhibendum. Et hoc casu est præparatoria Rei uendicationis directæ. Secundo, datur ei qui habet seruitutem in re aliqua, ut si quis haberet usufructum equi, & hoc casu est præparatoria Rei uendicationis utilis. Tertio, datur ei qui habet ius in re, scilicet ius pignoris, uel hypothecæ, & tunc est præparatoriæ Seruiantæ



uel hypothecaria. Quarto datur ei qui petit omnes seruos alicuius exhiberi, ut noxium seruum agnoscat. Nam quando testes dicunt, se non agnoscere personam, uel rem nominaliter, sed si eam uiderent, cognoscerent, res siue persona debet eis ostendi. l. Si criminis. C. ad exhibend. Quo casu est præparatoria Actionis noxalis.

Postremo datur cuilibet, cuius interest pecuniariter rem exhiberi. l. iij. per totum ferè. ff. ad exhibend. Dico res mobilis, ad differentiam rerum immobiliū, quæ sine alicuius exhibitionis propositione se exhibent. Itaq; pro rebus mobilibus tantum locum habet. Circa quas distingue.

Aut promissa est exhibitio ipsi Actori per Reum, & tunc non habet locum hæc Actio, sed Actio ex stipulatu propter promissionem. Quia factum est deductum in obligationem. l. Vbi autem. §. qui id. ff. de uerborum obligatio. Aut non est promissa exhibitio, & tunc. Aut quærimus de tabulis Testamēti alicuius, siue Codicilli exhibēdi, quas fortè aliquis detinet. Et subdistingue: Aut ipse Testator adhuc uiuus, uel eius hæres post mortem Testatoris agit pro exhibendis tabulis. Et hæc Actio locum habet. l. iij. §. si ipse. ff. de tabulis exhibendis. l. iij. ff. quemadmod. Testamenta aperiātur. l. iij. §. si quis. ff. ad exhib. Aut alius quidam præter Testatorem & hæredem, cuius interest tabulas exhiberi, ut puta Legatarius, &c. agit, & non competit hæc Actio, sed interdictum de exhibendis Tabulis. d. l. iij. §. si ipse Testator. ff. de Tabulis exhibendis. & d. l. iij. §. si quis. ff. ad exhib. Aut quærimus de alijs rebus mobilibus, quàm Tabulis Testamenti, ut seruo, equo, pecude, &c. Et subdistingue: Aut loquimur de instrumentis, & uariæ competunt Actiones, secundum uarietatem contractuum celebratorum.

## EXEMPLVM.

Legatarius agens contra hæredem, ut exhibeat Instrumenta, quibus probetur origo rei legatae, habet Actionem ex Testamento. l. Instrumenta. C. de fideicommissis. Sic quoq; emptori agenti contra uenditorem competit Actio ex empto ad exhibitionem Instrumentorū, quibus proprietates & approbationes finium probentur. l. Titius hæres. ff. de Actionib. empti. Plura exempla uide apud Azon. in summa sua. C. ad Exhib. Dico ut exhibeatur in publicum, quia res coram magistratu exhiberi debet. l. iij. §. Hoc interdictum. ff. de Tabulis exhibendis. l. In publicum. ff. de seruis fugiti. Ita enim exhibitio fieri debet, quod Actor rem exhibitam tangere & apprehendere possit, & si Instrumentum est exhibendum, ita exhibeatur, ut Actor facultatem legendi & describendi habeat.



Est autem exhibitio facienda in eo loco, ubi res fuit tempore litis cōtestatæ. Si uerò Actor uelit alibi exhiberi, tenetur in se suscipere periculum, & omnes expensas, exceptis illis, quæ in inuestigando siue curando consistunt, & res est exhibenda in ea causa, in qua fuit cū Iudicium susciperetur. Dico, detur experiundi copia, quia priusquā res exhibeantur, pleræq; Actiones intentari non possunt, cū illa exhibitio ad præparationem Rei uendicationis, aliarumq; Actionum fiat. Dico, & habet locum contra quemcūq; possessorem, quia in hac Actione principaliter requiruntur duo copulatiuè. Primò, quòd Reus possideat, & habeat facultatem restituendi. Secundò, quòd Actoris intersit pecuniariter, ut dictum est. Sed ad probationem istius interesse non requiruntur testes uel instrumenta, sed satis est Actore curare, se non calumniæ causa exhibitionem postulare. l. Thesaurus. ff. ad exhiben.

**CAUSA** Materialis est istius Actionis, dominium, quasi dominium, Ius in re, contractus, & delictum.

Quando dominium, & quasi dominium est causa, tunc præparat uiam Rei uendicationi directæ, & Actioni publicianæ.

Quando Ius in re est causa, ut est Ius ususfructus, tunc est præparatoria Rei uendicationis utilis.

Contractus quoq; potest esse causa, sicuti uidemus in pignore. Tunc est præparatoria Actionis Seruianæ.

Delictum quoq; potest esse causa, & tunc præparat uiam Actioni noxali, sicut supra diximus.

**CAUSA** finalis est, ut res exhibeatur.

**EFFECTVS** est, quòd reus conuictus condemnatur ad exhibitionem rei, cum omnibus accessionibus & utilitatibus. Et si dolo uoluerit exhibere, iurat Actor contra eum in litem, id est, iurat quòd sua tantum intersit rem non exhiberi. l. Non ignorabit. C. ad exhibend. Si uerò culpa rei intercessit, quo minus res exhiberetur, teneretur ad interesse. l. Si optione, cum l. sequenti. ff. ad exhibend. Vide Azo. in summa. C. ad exhibend.

### LIBELLVS IN ACTIONE AD Exhibendum.

In hac actione libellus est formandus eo ipso modo, quo formatur, si principalis Actio, propter quam exhibitio petitur, intentatur. Et hoc ideo, ne Iudex putet, exhibitionem sine causa postulari. In principali tamen causa. non proceditur priusquam exhibitio fiat, sed certa forma libellandi in hac Actione præscribi non potest, cū multarum Actionum, ut diximus, sit præparatoria, quarum quælibet habet suum proprium medium concludendi, Ponamus itaque



ENARRATIONES IN INSTITVT.

unum exemplum, ut scilicet sit præparatoria Actionis noxalis, hoc modo: Domine Iudex, uicinus meus habet plures seruos, quorum unus ædes meas clâculum ingressus est, & uiginti aureos furtim subtraxit. Quia autem illis qui egredientem cum pecunia subtracta uiderunt, notum eius nomen non est, & tamen si inspectioni detur, furem demonstrare & agnoscere possent, Peto pronunciari uicinum meum teneri ad exhibitionem omnium seruorum suorum, ut testes cognoscere, furemque indicare possint. Et mihi deinde noxalem Actionem contra dominum furis intentare liceat. Hoc modo quoque in alijs Actionibus formandus esset libellus, ut si rem tuam uelis exhiberi, proponeres ad similitudinem Rei uendicationis, te dominum illius rei, & Titium possessorem, qui tamen neget tuam esse, petas itaque eum condemnari, ut exhibeat, tuque posthac rei uendicationem intentare possis.

DE ACTIONE RESCISSORIA.

Secunda Actio Præparatoria, est Actio Rescissoria, quæ licet interdum sit personalis, ut quando præcedens Actio est personalis, tamen quia plerumque habetur pro Rei uendicatione utili, secundum Iason. hic, nos eam quoque huc uolumus inferere.

Est autem nihil aliud hæc Actio, quam quæ rescindit usucapionem.

Dicitur autem Actio Rescissoria, qua agitur ad rem usucaptam, quasi usucapta non esset. Et habet nomen à rescindendo, quia usucapionem completam rescindit, & est contraria Publicianæ. In Publiciana enim Actione quasi dominus, qui amittit rem suam nondum usucaptam, repetit eam quasi esset usucapta. Ita e contra in hac Actione, Actor repetit rem usucaptam, quasi nunquam usucapta. Dico in definitione simpliciter, qua agitur, quia hæc Actio datur tribus. Primo, præsentem contra absentem, qui scilicet in absentia rem præsentis usucepit. Ut si Titius uenderet Sempronio librum meum, & traderet, Sempronius autem emptor postea discederet, & abesset per continuum triennium, ita ut librum meum usucaperet, post usucapionem completam rediens, mihi non competit contra eum Rei uendicatio, quia illa datur domino tantum. Dominium autem per usucapionem translatum est. l. Traditionib. C. de pact. Competit uero Actio rescissoria, qua peto per officium Iudicis me in integrum restitui, & usucapionem rescindi, ut rem meam, cuius dominium per usucapionem in emptorem translatum erat, utiliter uendicare possem.

Et hoc casu quando præsentem agit contra absentem, non distinguitur, ex quibus causis usucapiens abfuerit. Datur enim contra eum, qui Reipub. causa abest. Et sic ex causa necessaria & probabili, multo



multò magis competit contra eum, qui abest ex causis probabili-  
bus tantùm uel non necessarijs, ut colligitur ex textu nost. hic.

Requiruntur tamen hoc casu, quòd absens domi non relique-  
rit Procuratores, neq; etiã habeat coniunctos, siue idoneos pos-  
sessores, quos præsens domi in usucapientis absentia potuisset cõ-  
uenire, & usucapionem interrumpere. l. Ergo, cum similibus. ff.  
ex quib. causis maio. Si itaq; absens neminem domi relinqt, tunc  
datur hæc Actio contra redeuntem. Præsens tamen non tenetur  
semper expectare donec absens redeat, sed si sperat breui reuer-  
surum, expectare tenetur. Sin minus, ut si est captus absens ab ho-  
stibus, & non tenetur expectare præsens, sed de Curator bonis  
absentis, contra quem poterit procedere ordinariè, usq; ad defi-  
nitivam sententiam & executionem. l. ab hostibus. §. Ego autem.  
ff. Ex quibus caus. maio. Vide Iaso. hic in §. Rursus, & Bart in l.  
Ignorare, ad finem. C. de restitutio. militum.

Secundò datur absenti contra absentem. Vt si me absente Ti-  
tius rem meam bona fide emeret, & post traditionẽ quoq; abes-  
set, donec usucapionem compleret. Si postea ambo reuertimur,  
competit mihi contra Titium Actio Rescissoria, qua ago ut offi-  
cio Iudicis restituar in integrum, & usucapio rescindatur, egõ-  
que rem meam utiliter uendicare possim.

Tertiò datur absenti contra presentem. Veluti si Titius bona  
fide emeret à Seio rem Sempronij, & præsens usucaperet, quia  
fortè Sempronius abfuit per triennium, datur Sempronio reuer-  
so Actio Rescissoria contra presentem. Sed in istis casibus duo-  
bus, quando scilicet absens agit contra absentem, uel absens con-  
tra presentem, non quælibet absentia excusat, ad hoc ut usuca-  
pio possit rescindi.

Dic ergo absentiam esse quintuplicem. Prima est necessaria et  
probabilis. Secunda probabilis tantùm. Tertia necessaria tan-  
tùm. Quarta uoluntaria, sine contumacia. Quinta uoluntaria, cū  
contumacia, secundum glos. & Bart. in l. fina. ff. de Restitutione  
in integrum, & Iaso. in §. Rursus. hic tit. nostro.

Exempla necessariæ & probabilis absentia multacolligi pos-  
sunt. Vt primò, si quis abest propter Rempubicam cuiuscunq;  
ciuitatis, ut causa Militiæ siue Legationis. l. Sed etsi per Præto-  
rem. §. fin. ff. ex quib. caus. maio.

Secundò, si abest causa aduersæ ualetudinis. l. quæsitum. ff.  
de rei iudica.

Tertiò, si captus est ab hostibus. l. ab hostib. & l. Ait prætor.  
§. Item ei. ff. Ex quibus caus. maio.



Quartò, si captus est à prædonibus, aut potentioribus ui, & detinetur in uinculis. l. succurritur. ff. Ex quibus causis maio. Appellatione autem uinculorum, non tantum ueniunt carceres & compedes, quia etiam is in uinculis esse dicitur, qui ita obligatus est, ut sine decore in publico apparere non possit, ut dicit Iaso. in §. Rursus, col. ii. hic tit. nostro. Et colligitur ex glos. c. si qui testium, in uerbo, paupertate, extra de testib. Et illis omnibus qui hoc modo absunt, & dominia rerum per usucapionem amittunt, succurritur per restitutionem in integrum, daturq; Actio rescissoria, qua agunt ad res usucaptas, quasi usucaptæ non essent. Et hoc uerum, si domi non reliquerint procuratorem nec defensorem, qui nomine eorum potuisset agere, & usucapionem impedire. Quid autem Iuris sit si domi relictus est Procurator, & tamen absens læsus, Vide quæ notantur per Bart. & Doct. in l. fin. ff. de rest. in integ. Exempla probabilis absentiae tantum hæc sunt, ut si quis abest causa studiorum, hoc est probabile, sed non necessarium, quia nemo cogitur &c. Et is rediens quoq; restituitur, si domi non reliquerit Procuratorem, qui potuisset usucapionem impedire. Vide quæ not. in l. contumacia. §. contumax. ff. de re iud. & l. Nec non, in princi. ff. Quibus ex caus. maio. Exemplum absentiae necessariae tantum, ut si quis esset relegatus. Et circa hoc dic: Aut quis expulsus est ui è ciuitate, siue aufugit propter iustum metum. Et dic: Aut illius bona sunt publicata, & agitur cōtra fiscum. Aut sunt per sententiam alicui priuato adiudicata. Et sententia est ipso iure nulla, quia sententia contra absentem, non contumacem lata, non ualeat. l. de unoquoq; ff. de re iud. Si uerò nemini sunt adiudicata, sed usucapta per aliquem, usucapio rescinderetur per hanc Actionem. Aut quis est relegatus propter aliquod delictum, & is simpliciter non restituitur, nisi domi non potuisset relinquere Procuratorem. l. Papiianus. ff. de mino. Exemplum absentiae uoluntariae sine contumacia est, ut mercatoris uel alterius cuiuspiam, qui abest sui commodi causa. Et is rediens, non habet rescissoriam Actionem contra eum, qui res suas usucepit, plerunq; enim habent domi Procuratorem negotiorum, secundum Iaso. in d. §. Rursus, in undecima col. hic tit. nostro. Exemplum absentiae uoluntariae cum contumacia est, ut si quis citatus & monitus per Iudicem, tamen abest, & is quoq; non habet actionem rescissoriam, nec auditur appellans regulariter, Vide Bart. in d. l. fin. ff. de restitu. in integ. Et regulariter quotiescunque quis ex necessitate & non ex uoluntate abest, nec potuit per alium res suas domi curare, subuenitur ei per restitutionem in integrum. l. sed et si per Prætorem. §. fin. in fine. ff. Ex quibus caus. maio. Et ubicunque iudici æquum uidebitur, poterit absentem restituere ex clausula generali,

clausula.



nerali, nisi contrarium Iure cautum sit. Vide Ioan. Fab. hic.

Secundò dico simpliciter, qua agitur, quia hæc actio non tantum datur legis per usucapionem, uerumetiam rerum successoribus, & illis quorum interest, ut colligitur ex l. primus, in princ. ff. de minoribus.

Et datur non tantum contra eum qui immediatè sentit lucrum ex usucapione, uerumetiam contra eius successores, & contra tertium, ad quem res peruenit. Maximè quando actio præcedens est realis. l. cum miles. ff. ex quibus cau. maior. Dico ad rem usucaptam simpliciter, quia hæc actio datur tam pro rebus mobilibus, quam immobilibus. usucaptis. Quando pro mobilibus competit, utilis est, & non

directa, quia res mobiles usucapiuntur, usucapione autem transferatur directum dominium. l. Traditionibus. C. de pactis. Et prætor directum dominium restituere non potest, quare etiam directam actionem dare non potest. Dat itaque hoc casu actionem, quæ per usucapionem amissa erat post rescissionem usucapionis utiliter. Quando autem pro rebus immobilibus datur, directa est, & non utilis. Nam

*Actio rescissoria utilis.*

*Prætor directum dominium restituere non potest.*

res immobiles præscribuntur, præscriptione autem dominium directum non tollitur, sed utile. Quare rescissa præscriptione, adhuc competit actio directa, quæ ante præscriptionem completam competebat, licet sic sortiatur cognomen, & appelletur rescissoria, ut si ante completam præscriptionem competiisset, Rei uendicatio post rescissam præscriptionem adhuc competit, sed appellatur rei uendicatio Rescissoria. Et sic de similibus, secundum omnes dd. hic.

Complectitur autem hæc actio duo remedia, Remedium rescindens, & Remedium rescissorium.

Remedium rescindens propriè dicitur officium Iudicis, quod dat restitutionem in integrum, rescinditque usucapionem, quæ quasi obstaculum impediens actionem, & ponit rem in statum, in quo erat priusquam usucapio compleretur. l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minoribus. Et hoc petitur infra quadriennium.

Remedium rescissorium est, illa actio, qua quis post usucapionis rescissionem agit ad ipsam rem, quæ usucapta erat. Et hæc actio interdum est Realis, interdum est Personalis.

Realis est quando ante completam usucapionem realis actio competebat, ut si rei uendicatio competebat post rescissionem usucapionis, adhuc intentatur rei uendicatio, sub nomine actionis rescissoriæ.

Personalis uero, quando competebat personalis Actio ante completam usucapionem, ueluti, si Titius fuisset mihi obligatus ex mutuo, & actio esset extincta per præscriptionem, quod fit per triginta annos, rescinderetur primum illa præscriptio per remedium rescindens, & daretur postea actio personalis



ENARRATIONES IN INSTITVT.

ad mutuum meum persequendum sub nomine Actionis rescissoriae.  
Hinc sequitur Actionem rescissoriam non esse propriam speciem Actionis per se, sed potius adiectionem Actionis praecedentis, siue potius cognomen. Sequitur enim omnino eius naturam. Vide Ioan. Fabri, in §. Rursus, in 5. colum. hic tit. nostro.

CAVSA efficiens istius Actionis est laesio propter iustam absentiam, uel aliam iustam causam, quae Praetori iusta uideri potest, ut iusta ignorantia, l. 1. ff. Quibus ex caus. maio. Quib. probatis restituitur Actor in integrum per officium Iudicis, rescindens usucapionem.

CAVSA materialis nulla est, quia nulla subest materia per se existens, ex qua haec Actio nascatur. Sed Praetor tantum ex equitate dat eam. Ideo dicitur Datiua, & non Natiua.

CAVSA finalis est, ut usucapio rescindatur.

LIBELLVS IN ACTIONE

Rescissoria.

Quidam contendunt materiam istius actionis per unum libellum coniunctum expediri non posse, sed requiri duos libellos proponi separatim, quod scilicet primo proponatur libellus in officio iudicis rescindente, in quo petatur restitutio in integrum, & usucapionis rescissio, quibus impetratis proponendus sit alius libellus, illius scilicet Actionis, quae per usucapionem sublata erat, sub nomine tamen Actionis rescissoriae. Quorundam uero opinio est, satis esse proponi unum libellum, qui contineat utrumque, uel saltem esse liberum, coniunctim uel separatim agi. Et hanc opi. tenet D. Iaso. hic in fin. §. Rursus, Nos formabimus libellos separatim, ex quibus quoque facile colligi potest ratio proponendi coniunctim.

Non autem possunt praescribi certae regulae siue formae libelli in hac Actione, cum uariarum Actionum naturam habet. Is autem qui apte libellum concipere uelit, primum obseruet, qualis fuerit Actio, quae per usucapionem extincta erat, & narret in principio libelli impedimentum siue causam, propter quam in integrum restitui cupit. Deinde petat in libello eo ipso modo, quo peteretur in Actione, quae per usucapionem extincta est, siue sit realis, siue personalis. In personali tamen concluditur ad dandum, uel ad faciendum: In Reali uero ad declarationem domini, uel quasi.

Forma itaque libellum in officio rescindente separatim hoc modo  
Cum ego Reipu. causa abessem, neminemque domi qui negotium meum expediuisset, reliquisset, uendidit Sempronius rem, quae mea erat, & tradidit Titio, qui eam usucepit antequam redirem. Nec enim usucapionem interrompere potui propter iustum impedimentum. Cur autem Iura absentibus, uel alias iusta causa impeditis, subueniant,



ueniant, eosq; in integrum restitui iubeant, Peto per officium uestrum me restitui in integrum, dictamq; usucapionem rescindi, & me ad agendum pro dicta re admitti. Perinde ac si usucapta nūquam fuisset. Postquam autem per officium rescindens restitutio in integrum impetrata fuerit, usucapioq; rescissa, potest deinde illa Actio intentari, quæ per usucapionem sublata erat, sub nomine tamē Actionis rescissoriæ, hoc modo.

Licet Titius rem, quæ mea erat, cum ego Reipub. causa abessem, emisset, & usucepisset, dominiumq; illius rei per usucapionem in eum translatum esset. Ego quoq; impediēbar illam rem uendicare. Tamen quia illa usucapio per officium iudicis rescindens rescissa est, et sic obstaculum quod agere impediēbat, sublatum. Ideo peto per uos declarari, dictam rem ad me pertinere Iure domini, uel quasi, eamq; mihi restitui, ac si usucapta nunquam fuisset. Et hæc est Actio Realis. Eodem autem modo formatur in Actione personali, ut tamen præmittatur causa obligationis, & in fine Actionis rescissoriæ petatur ad dandum, uel faciendum. Qui uerò coniunctim illa uelit proponere, poterit utrumq; libellum in unum simul connectere, & quoq; admittitur, secundum Iaso. Et tantum de Actionibus Realibus non præiudicialibus uendicatorijs. Nunc de Actionibus Realibus non præiudicialibus reuocatorijs dicemus.

#### DE ACTIONIBVS REUOCATORIIS.

Sunt autem Actiones reuocatoriæ duplices. Quædam enim dicuntur propriè Reuocatoriæ, quædam uerò Auocatoriæ. Reuocatoriæ dicuntur, quibus traditio rei, quæ in fraudem alicuius facta est, reuocatur. Dico in definitione traditio, ad differentiam Actionum rescissoriarum, quibus agitur, ut usucapio completa rescindatur. His autē Actionibus agitur principaliter, ut traditio, per quam dominium alicuius rei translatum erat, uel transferri debebat in fraudem alicuius, quasi facta non esset, reuocetur, & sunt quinque.

Species Actio-  
num Reuoca-  
toriarum.

Pauliana.  
Fauiana.  
Quasi Fauiana.  
Caluisiana. Et  
Interdictum fraudatorium.

#### DE ACTIONE PAULIANA.

Actio Pauliana est Actio Realis, qua creditores priuati reuocant id quod debitor in fraudem eorum uerè alienauit & tradidit, quasi nunquam traditum fuisset. Et habet nomen à Paulo Iuris consulto, qui eam primū introduxit, secundum opinionem Ultramontanorum.

• Quod



Quòd dico in definitione, Actio realis, fit ideo, primùm, quia Imperator eam cõnumerat inter reales, ut habetur in §. Item si quis in fraudem, hic tit. nostro.

Secundò, quòd habet magnam cognationem cum superioribus proximis. §. Sicuti enim per rescissoriam rescinditur usucapio cõpleta, ita per Paulianam reuocatur traditio uerè facta. Alioqui si quis rigidè & strictè singula uelit excutere, probare posset eam esse personalem, quia oritur ex fraude, & sic ex delicto &c.

Quòd dico creditores, tu primùm extende ad eum quoq; , qui rē aliquam uni uendidit, nec tamen tradidit, & postea in fraudem primi emptoris, eandem rem alteri quoq; uendidit, & tradidit.

Certum est, quòd conditio secūdi emptoris est potior propter traditionem, adeo quòd primus emptor illam rem uendicare nō potest. l. quotiens. C. de Rei uendic. l. Siue autem. §. si duobus. ff. de publi. in Rem Actio. Tamen si illa traditio secūdo emptori in fraudem primi facta est, reuocatur per utilem Actionem Paulianam, ac si res tradita non esset. Cum distinctione tamen, de qua infra.

Secundò extende, si Creditor alicui cesserit omnia iura, quæ habet contra debitorem quendam, certum est, quòd illa cessione non obstante, Creditor cedens, ab eodem debitore possit petere æs alienum, (propter Actionem directam, quam cedens retinet) Nisi cessionarius cum debitore fuisset litem contestatus, uel nisi partem debiti suscepisset, uel nisi cessionarius denunciauerit debitori ne solueret cedenti, iuxta l. iij. C. de nouatio. Iam autem si creditor cedens liberaret debitorem in fraudem cessionarij, priusquam cessionarius cum debitore potuisset litem contestari, uel partem debiti suscipere, uel debitori denunciare ne solueret cedenti, poterit cessionarius illam liberationem à Creditore debitori in fraudem eius factam, per utilem Actionem Paulianam reuocare. Tertiò extende. Nam certum est, quòd Creditores habentes hypothecam expressam in bonis debitorum, præferuntur alijs creditoribus Chirographarijs, qui scilicet hypothecam non habent, licet sint priores. Iuxta l. Eos, cum multis similibus. C. qui potior. in pignor. habentur. Tamen si illa hypothecatio posteriorum creditorum fieret in fraudem creditorum priorum, & posteriores creditores essent participes fraudis, id est, scirent primā obligationem, & debitorem altoqui non esse soluendo &c. posset illa hypotheca per creditores priores reuocari per utilem Actionem Paulianam. Alios autem casus, utrum scilicet alienatio à patre in fraudem liberorum, & alienatio liberorum in fraudem parentum facta possit reuocari, uide per Angel. hic. Tu breuiter conclude. Quotienscunq; Actus aliquis geritur à duobus in fraudem tertij, ita quòd  
fraus



fraus utriusque interuenit. Potest is actus regulariter per utilem Actionem Paulianam reuocari. Ita decidunt Doctores, in d. §. Item si quis in fraudem, hic tit. nostro. Dico priuati, quia inter creditores priuatos, & fiscum debitorem existentem, aliquid interest, Nam in debitore ciuitatis, siue fisci, satis est fraudem interuenisse à parte alienantis, licet accipiens sit in bona fide. Semper enim reuocari potest, non distinguendo, siue alienatio facta sit ex causa lucratiua, siue onerosa. l. ij. C. de deb. Ciuita. lib. xi. Secus est in priuatis creditoribus, quia ad hoc ut traditio reuocetur, per eos requiritur, quòd fraus intercesserit à parte utriusque, tam alienantis, quàm recipientis. Distingue tamen: Aut debitor alienauit titulo oneroso, ut quia uendidit &c. Et tunc requiritur quòd interueniat fraus ab utraq; parte. Aut alienauit titulo lucratiuo, ut donatione uel legato, & satis est probare fraudem à parte alienantis.

Probatum autem fraus in alienatione hoc modo. Quòd debitor sciuerit se habere creditores, & bona sua non sufficere. l. si quis cum haberet. ff. de ijs quæ in fraudem cred. §. In fraudem, supra quib. ex caus. manu. nō licet. Quòd autem sciuerit se creditores habere, probatur de facili ex suo proprio facto. Nemo enim ignorantiam proprii facti prætereundum potest. l. quanquam. ff. ad S. C. Velleia. Quòd autem sciuerit bona sua nō sufficere creditoribus, facile apparet, Quia nemo uidetur tam negligens esse, ut proprii patrimonijs uires ignoret.

Quomodo probetur fraus in alienatione.

An autem & quando quis dicatur ignorare uires patrimonijs sui, Vide nota, per Bart. in Authentica, sed cum. C. ad l. Fal. & Iaso. hic.

Deinde probatur fraus ex præsumptionibus. Primò, si debitor alienat omnia bona sua ex causa donationis, uel ex causa emptio- nis, pro exiguo tamen precio, uel alienaret maiorem partem &c. præsumitur fraus ab utraq; parte accessisse, licet aliàs non probetur. l. Omnes. §. Lucius. ff. quæ in frau. cred. glo. in l. Nomen. §. filio, in uerbo, Omnis substantia, & ibi Barto. ff. de lega. 3. l. summa, in principio. ff. de pecu. Secundò, si alienatio fieret in coniunctam personam. l. Data, cum similib. C. de donat. Tertiò, si post alienationem debitor reperitur ipsa bona possidere. l. sicut. §. superuacuum, ff. quib. mod. pig. uel hypo. sol. licet hoc casu intelligi possit simulata, & imaginaria alienatio, quæ est ipso iure nulla, nec opus est ut reuocetur. Quartò, quando alienatio fieret clam, ut colligitur ex l. fin. ff. de ritu nupt. Istis enim casibus præsumitur fraus, etiamsi non probetur. Quòd dico reuocant, Tu intellige tribus concurrentibus. Primò, quòd alienatio sit facta fraude, de qua supra. Secundò, quòd creditores sint per sententiam iudicis missi in possessionem bonorum debitoris. Tertiò, quòd fiat ex.



fiat excusio bonorum debitoris, an scilicet ex illis, quæ alienatâ non sunt, satisfieri possit creditoribus, quo casu reuocatio non admitte-  
tur, si uerò inde satisfieri non possit, intentaretur actio Pauliana. l. 1.  
& l. ignoti, C. de reuo. his quæ in frau. cred. Dico in fraudem, nã pro-  
pter alienationem bonorum debitoris, quæ sine fraude creditorum  
fit, hæc actio non datur, quando autem dicatur in fraudem fieri, iam  
dictum est. Dico in fraudem creditorum, quia quando alienatio fit  
in fraudem legis, & non hominis, non reuocatur per hanc actionem.  
Sed est ipso iure nulla. l. si libertus, & ibi Bart. ff. de iure patro. Dici-  
tur autem tum fieri in fraudem legis, quando Actus geruntur inter  
personas prohibitas, ut si tutor cõtrahit cum pupillo sine alterius tu-  
toris autoritate, uel aliàs fit ad excludendam legis prouidentiam, ut  
si temerè fundus dotalis alienaretur. l. Non dubium. C. de il. Secus si  
fieret tantum in fraudem alicuius hominis, ut creditoris; tum enim li-  
cet ipsa alienatio per se ualeat, potest tamen reuocari per hanc actio-  
nem. Dico in definitione, uerè alienauit, ad differentiam alienationis  
simulatæ & imaginariæ &c. quæ est ipso iure nulla. l. Nuda. ff. de cõ-  
trah. emptio. Dico simpliciter alienauit, quia non distinguitur, siue a-  
lienatio fiat per Actus inter uiuos, siue in ultima uoluntate, ut legan-  
do, uel fidei committendo. Primo tamen casu competit actio Paulia-  
na directa. Secundo uerò casu competit utilis. l. qui autem. §. Item si  
necessarius, iunct. glo. ff. quæ in frau. cred. uide Iaso. in d. §. Itẽ si quis  
in fraudem, hic tit. nostro. Dico tradidit. Nam in alienatione efficaci  
traditionẽ interuenire necesse est. Sine traditione enim dominium nõ  
transfertur. §. per traditionem, cum similib. supra de rer. diuis. Ideo si  
res tradita non esset, non opus esset reuocatione. Dico quasi traditum  
non esset. In hoc enim casu fingitur in odium debitorum, quidolose  
alienant, quod traditio facta non sit, quæ fictio uincit ueritatem. Et  
in hac parte æquiparatur Actio Pauliana rescissoria. In illa enim sin-  
gitur rem usucaptam non esse, cum tamen reuera sit tradita & aliena-  
ta, quæ alienatio ipso iure quidem ualeat, potest tamen reuocari à cre-  
ditoribus. Et hoc adeò uerum est, quod etiam in reuocatione precii  
non restituitur, siue ab eo qui accepit alienatam, siue ab hæredibus e-  
ius petatur. Nisi precium extet, uel esset in utilitatem debitoris uer-  
sum. Tum enim restitueretur emptorib. cum hac Actione nemo frau-  
daretur. l. si debitor. l. ex his, & l. ait prætor. §. hæc Actio. ff. quæ in  
fraud. cred.

An autem emptores possint retinere rem alienatam, si parati essent  
satisfacere creditorib. uide Doct. in d. §. Item si quis in fraudem, hic ti-  
tulo nostro. Est autem hæc Actio duplex, Directa & Utilis.

Directa datur ueris creditorib. qua reuocant id, quod per Actus  
inter



inter uiuos in fraudē eorum alienatum est. Vtilis uerō datur ex identitate rationis, etiam his q̄ reuera creditores nō sunt, ut si eadem res duobus est uendita, & in fraudem primi, secundo tradita, de quo diximus supr. super uerbo, creditores. Item datur pro reuocatione eorum, quæ in ultimis uoluntatibus alienata sunt.

CAUSAE Actionis Paulianæ sunt maleficium, & quasi contractus. Ex maleficio tum demum dicitur nasci, quando fraus à parte utriusq̄ tam alienantis, quàm recipientis interuenit. Est enim fraus siue dolus delictum. l. Item exigit. ff. de dolo. l. i. iuncta gloss. in uerbo, Crimine. ff. de fideiussor. tut.

Ex quasi contractu dicitur nasci, quando dolus intercedit tantum à parte alienantis. Nec recipiens est particeps doli. Hoc enim casu non potest dici, quia nascitur ex contractu etc. quia recipiens rem alienatam cum creditoribus nihil contraxit. Ex maleficio quoq̄ non potest dici orta, quia in eo requiritur dolus recipientis, q̄ hic deficit. Ex quasi maleficio quoq̄ non potest iudicari orta, quia ne culpa quidem recipientis accessit, cum tamen necesse sit, ut hæc actio habeat aliquam causam. Recipiens enim est obligatus creditoribus. Concludendum erit hanc actionem ex quasi contractu ortam esse, ad similitudinem indebiti, quod ignoranter solutum est. Tenetur enim recipiens ex quasi contractu. Item is cui, supra de obligat. quæ ex quasi contractu nascuntur. Ex quasi contractibus obligatur quis, etiam si non consentiat, per uulgaria.

Actio Pauliana  
quando dicitur  
nasci ex quasi  
contractu.

Et ex prædictis inferemus contra comunem opinionem, hanc Actionem non esse merè Realem, nec merè personalē. Merè Realis non est, quia Realium Actionum cause sunt, dominium, quasi dominium, ius in re &c. Sed causa Actionis Paulianæ non est dominium, nec quasi dominium, nec etiam ius aliquod Reale, sed maleficium, & quasi contractus cause sunt, ex quibus oritur obligatio, quæ deinde parit actionem personalem. Merè personalis quoq̄ non est, quia hæc prosequitur rem alienatam, & agit contra possessores, ut alienatio rei reuocetur. Necesse ergo erit eam non esse merè personalē, quum personales tantum personas obligatas prosequantur, non aut rerum possessores. l. i. si heres, iuncta gloss. cum multis similib. ff. ad S. C. Treb. Conclude igitur secundum hæc hanc actionem Paulianam esse actionem personalem in rem scriptam. De quibus suo loco dicemus. Et inde quoque non sequitur hanc actionem non esse datiuam, sed natiuam, quia nascitur ex maleficio, uel quasi contractu, ut dictum est.

EFFECTVS est, quod possessores tenentur cedere de bonis, hoc modo in fraudem alienatis. De quibus supra.



An autem hoc uerum sit in primis possessoribus tantum, uel an extendatur ad alios possessores, id est eos, qui non ab ipso debitore, sed à primo emptore & ultra acquisiuerunt, Vide Ias. in d. si quis in fraudem, hic tit. nostr. Dic tamen breuibus, quamdiu durat fraus & dolus, tantumdiu durat hæc Actio, quia posita causa, sequitur quoque effectus.

Est autem hæc Actio interdum perpetua, interdum uero temporalis, interdum uero indifferens.

Perpetua est, quotiescunque quid ex causa lucratiua ad aliquem dolo se peruenit. Id enim potest usque ad annos 30. reuocari. l. Ait prætor. & hæc Actio. ff. quæ in frau. credi. secundum intellectum Bart. ibi. & Iaso. hic in §. nostro.

Temporalis uero est, quando res corporalis peruenit ad bonorum possessorem ex causa onerosa. Tum enim infra annum utilem, id est, quadriennium, reuocatio admittitur, d. l. Ait prætor. §. Annus. Incipit autem is annus currere à tempore factæ excussionis, uel à tempore quo incipit Notorium fieri, debitorem non esse soluendo.

Indifferens uero est in alienatione rerum incorporalium, ut si debitor in fraudem creditorum alium debitorem suum liberaret. Tunc enim ad reuocandam illam liberationem datur tantum tempus, infra quod illa Actio debitoris durasset, d. l. Ait prætor. §. Si conditionalis. ff. quæ in frau. cred. Et hæc Actio datur hæredibus creditorum, et contra hæredes eorum, in quos bona sunt alienata.

## LIBELLVS IN ACTIONE PAULIANA.

Postquam aliquandiu cum Titio fuissem negotiatus, suoque nomine magnam pecuniæ summam exposuissem, ita quod in 200. aureis mihi manserit obligatus, quos ab eo consequi non potui. Licet autem hoc debitum notum ei fuerat, uiresque patrimonij sui perspectas habebat, quod scilicet non sufficeret ad satisfaciendum credito meo. Cum tamen experiretur me uehementius urgere ad crediti solutionem, dolum quæ tum extabat, ex quo tum potuisset satisfieri, in fraudem & præiudicium meum alienauit, uendidit & Sempronio tradidit. Qui unà cum eo erat particeps fraudis, & sciebat bona sua non sufficere credito meo. Quia autem contra dictum Titium debitorem meum egi Actione personali, & obtinui, quod mihi in dictis 200. florenis condemnaretur, iussuque Iudicis in possessionem bonorum eius mittebar. Sed comperi post excussionem, bona eius credito meo non sufficere. Quare peto domum illam in fraudem meam alienatam, quam nunc possidet Sempronius, uel dolo desint possidere &c. in bona Titij debitoris mei, ac si alienata nunquam fuisset, restitui, meque in eius possessionem mitti, ut inde mihi satisfieri possit. Et hic libellus procedit quando alienatio facta est ex causa onerosa, Si uero ex causa lucratiua



lucratiua facta fuisset, non esset necesse in libello meminisse fraudis recipientis alienationem. Satis enim esset fraus alienantis.

## DE ACTIONE FAVIANA.

Actio Fauiana dicitur, qua patronus id quod libertus in fraudem suam uerè alienauit, quasi alienatum non esset, reuocat. Et habet nomē ab Autore. Definitionem hic non explicabimus, idem enim in effectu continet, quod definitio actionis Paulianæ. Ius enim quod in superiori habet creditor, in hac habet patronus, & sicuti creditor reuocat alienata à debitorib. ut sibi satisfiat, ita quoq; patronus reuocat.

Differt tamen hæc Actio ab Actione Pauliana. Primum, quòd in Actione Pauliana creditor non tenetur quemlibet ex possessoribus pro rata conuenire, sed poterit eligere quem uelit, & eum conuenire in solidum, quatenus ad eum peruenit. In Fauiana autē si libertus res suas in plures alienauit, tenetur patronus omnes conuenire in partē debitam, & sic pro rato, l. i. §. si pluribus. ff. si quid in frau. patro. Secundò differt, quòd in Actione Pauliana creditor reuocans, non tenetur restituere precium, si res in fraudem suam uendita est. In Fauiana autem patronus reuocās tenetur precium restituere. Et est ratio, Ratio. quia creditor reuocans agit de damno uitando, patronus autē de lucro captando. In reuocatione tamen patroni datur emptori electio, utrum malit rem emptam habere iusto precio, si fortè primum pro uiliori emptam fuisset. An uerò ab ipsa re discedere uelit, precio restituto. d. l. i. §. si quis in fraudem. ff. si quid in frau. patro.

Requiruntur autē ea ipsa, quæ in Actione Pauliana, nempe fraus liberti alienantis in alienatione per actus inter uiuos. In alienatione autem per ultimam uoluntatem à neutra parte dolus requiritur. d. l. i. §. Dolum. & §. si alienatio. ff. quæ in frau. patro.

Liberti autem fraus probatur illis ipsis modis, quibus debitoris fraus. Primò, si libertus sciuerit se habere patronum. Secundò, quòd sciuerit post alienationem patronum suum non posse habere tertiam partē honorum suorum, secundū ea quæ habentur in §. Sed nostra. sup. de succes. libe. Secundò requiritur missio in bonorum possessionem liberti. Tertio excusio. De quib. in proxima Actione diximus.

Datur autem hæc Actio patronis, & eorum hæredibus, si plures sunt, singuli reuocant uirilem portionem, & uno deficiente, accrescit reliquis. l. Quodcunque. ff. Si quid in fraud. patro. Et datur contra recipientes alienationem, eorumq; hæredes, usque ad 30. annos. Est enim perpetua Actio, & personalis in rem scripta. d. l. i.

§. Hæc Actio. ff. si quid in frau. patr. Et agitur in ea non tantum ad ipsam rem, sed etiam ad fructus præteritos & perceptos post litigationem contestatam. d. l. i. §. fin. & l. ij. ff. si quid in frau. patro. Et si res

Quid ueniat in  
actione Fauiana



ENARRATIONES IN INSTITVT.

non restituitur, iuratur cōtra possessorem in litem, l. Tenetur. ff. eod.  
 Cessata autem hæc Actio Fauiana ex quatuor causis. Primò, si patronus post excusionem potest habere tertiam partem ex bonis liberti. l. Si patronus. §. Si libertus. ff. Si quid in frau. patr. Secundò, si patronus non potest habere tertiam, ideo quia libertus in uita donauit quædam bonâ amicis bene meritis. l. Viuus. ff. eod. Tertiò, si res in fraudem alienata non extat. Quartò, si libertus res suas donaret in fraudem patroni, et donatarius eas alteri uenderet qui usucaperet. l. si id. ff. eod.

DE ACTIONE CALVISIANA:

Actio Caluisiana  
 200.

Actio Caluisiana est indifferens. Competit enim tam creditori ad reuocandam alienationem in fraudem suam à debitoribus factam, quam patrono ad reuocandam alienationem à liberto in fraudem suam factam, secundum glo. hic. Quâdo competit creditori, in effectu est Actio Pauliana. Quando uerò patrono competit, in effectu est Actio Fauiana. Quare nihil de ea dicemus.

DE ACTIONE QVASI FAUIANA.

Actio quasi Fauiana  
 200.

Actio quasi Fauiana dicitur, qua filius arrogatus id quod à patre adoptiuo in fraudem eius alienatum est, quasi alienatum nō esset, reuocat. l. si. ff. si quid in frau. patro. Dico in definitione, filius arrogatus, Quia lure cautum est, si quis patrem familiâs impuberem arrogauerit, qui tenetur cauere, si eum postea emancipauerit, uel sine causa exhæredauerit, omnia bona quæ ab arrogato acceperat se restitutum, & præterea quoq; quartam partem suorum bonorum. §. Cum autem impubes, cum seq. supr. de adoptio. Iam si pater adoptiuus in fraudem filij arrogati alienaret sua bona, ita quòd post emâcipationem uel exhæredationem arrogati in bonis eius, quarta pars extare non possit, competeret filio Actio quasi Fauiana, quâ reuocaret usq; ad quartam partem. d. l. si. ff. Si quid in frau. patro. Et hæc uera sunt in bonis ipsius patris alienatis. Secus si pater adoptiuus arrogati bona alienaret. Hæc enim alienatio est ipso lure nulla, tanquam à legibus interdicta. l. Cum non solum. §. Ipsum autem, cum Paragraphis sequentibus. C. de bon. quæ liber. Quia pater in bonis arrogati habet nudum usufructum, §. Ecce, suprâ, de acquisit. per arrogat. Ideo uti frui tenetur salua rerum substantia. Si tamen pater adoptiuus in præiudicium filij arrogati uelit omnino alienare, bona cautela esset quòd filius prius cogat patrem, ut eum emâcipet. Licet enim regulariter pater cogi non possit, ut filium emancipet, tamen si impubes est arrogatus & pubes factus, senserit sibi non expendere in patris adoptiuui potestate esse, poterit patrē cogere, ut ipsum emâcipet. l. Nonnunquam, cum l. sequen. ff. de adopt. Post emancipationem autem uendica.

Cautela.



uendicaret bona sua à patre. Quia per emancipationem Ius patriæ potestatis, unde ususfructus debebatur, sublatum est. §. Præterea, supra. Quib. mod. Ius pat. potest. sol. Et licet tex. in d. l. fin. ff. Si quid in frau. pat. loquatur tantum de filio arrogato, non autem de naturali & legitimo, tamen Bart. in l. non usq. ff. si quis à parente manu. extendit eum quoq. ad filios naturales & legitimos. Et distinguit hoc modo: Aut pater alienat in fraudem liberorum, ex titulo lucratiuo, et potest alienatio reuocari per querelam inofficiosæ donationis. Aut alienatio est facta ex titulo oneroso, ut ex causa emptionis. Et tunc si facta est pro minori precio, in eo quod ultra ualet res quam precium, quoq. reuocari potest alienatio per querelam inofficiosæ donationis. Si uero iusto precio facta esset alienatio, distinguit: Aut ex precio est satisfactum creditoribus patris, & non habet locum reuocatio, etiã quoad legitimam, Quia legitima debetur deducto ære alieno. Aut inde non est satisfactum creditoribus, sed est fraudulenta alienatio, & reuocatur usq. ad legitimam portionem. Idem dic de alienatione liberorum in fraudem parentum facta. Debetur enim & parentibus ex bonis liberorum legitima. Explicationem aliarum partium definitionis pete ex Actione Pauliana. Fraus autem in hac Actione quoq. probatur. Primò, quòd pater sciuerit se arrogasse filium impuberem. Secundò, quòd sciuerit in bonis eius quartam debitam deprehendi non posse.

#### DE INTERDICTO FRAUDATORIO.

Interdictum fraudatorium propriè datur, quando quis rem non suam, sed alienam in fraudem alicuius alienat. Exemplum: Titius est impubes & pupillus, habens debitorem Seium. Tutor pupilli habet creditorem Gaium, & mandat Seio debitori Titij impuberis, ut ex credito ipsius impuberis satisfaciatur Gaius suo creditori. Hoc casu creditum impuberis in fraudem suam est alienatum in creditorem tutoris sui. Queritur an habeat locum Actio Pauliana. Et dic quòd non. Sed competit interdictum fraudatorium, si modò creditor tutoris fuit particeps doli, id est, sciebat sibi satisfieri ex credito pupilli. l. Pupilli debitor. ff. de solu. Et tantum de Actio. Reuocatorijs, nunc de Auocatorijs dicemus.

*Interdictum fraudatorium quando datur.*

#### DE ACTIONIBVS AVOCATORIIS.

Actiones Auocatoriæ dicuntur, quib. res nobis tacitè uel expresse obligatas à quocunq. possessore auocamus. Et sunt tres: Actio Seruiana, quasi Seruiana, & Saluianum interdictum, quæ habent magnam cognitionem cum superioribus reuocatorijs. In hoc tamen differunt, quòd reuocatoriæ non dantur quamdiu extant res post excusionem, unde potest satisfieri creditoribus. Hæ autem simpliciter dantur, etiã si conductor alioqui sit soluendo. Secundò in superioribus requiri-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

tur fraus, hic non. Tertio, in superioribus requiritur ut creditor missus sit in possessionem ex decreto Iudicis, hic satis est res illatas esse.

DE ACTIONE SERVIANA.

*Actio Seruiana  
quid.*

Actio Seruiana est actio Realis, qua locator ad res, quæ à conductore scienter in rem locatam, ut perpetuò illic essent, inuectæ & illatæ, sibi que pro pensione & rei deterioratione tacitè obligatæ sunt, agit, & à quocunq; possessore quasi pignus auocat, & donec ei satisfiat, retinet. Et habet nomen secundum quosdam à seruando, quòd per eam seruentur locatores indemnes. Vel habet nomen à Seruio, sicut Publiciana à Publicio.

Genus istius Actionis est Actio Realis. Dico autem Actio Realis, quia datur domino rei locatæ, & contra possessorem rerum inuectarum. Nam si Locator pro pensione & deterioratione rei locatæ non potest consequi ius suum, & possessio rerum illarum peruenit ad tertium, poterit Locator etiam ab illo tertio possessore eas auocare, & loco pignoris, donec ei integrè satisfiat, retinere. Dico in definitione Locator, quia ad hoc ut hæc Actio locum habeat, requiritur rem locatam esse, nec pensionem solutam. Dico scienter, propterea quòd etiam Locator scire debet, quæ res sint illatæ, uel inuectæ. Quæ autè locatore ignorante inuectæ fuerint, obligatæ non sunt. In hoc tamen distingue: Aut loquimur in colonis, qui scilicet prædia rustica conducunt, & procedit quod iam diximus. Illi enim nihil possunt inferre, quod non sit exhibitum inspectioni locatoris, qualia sunt aratra, ligones, uomeres, & similia cultui agrorū deputata. Aut loquimur in inquilinis, hoc est, qui prædia urbana conducunt, causa inhabitandi, & non est necessaria scientia locatoris in rebus illatis, sed indistinctè omnia inuectæ & illatæ tacitè obligatæ sunt ipsi locatori. Solent enim illi sepe inferre pecuniam numeratam in cistis reconditam, uel simile quiddam, quod non exhibetur. l. certi iuris. C. de loca. Dico perpetuò, ad differentiam illarum rerum quæ inferuntur ut tantum ad tempus illic maneant. Sicuti solent facere mercatores, qui inferunt donec uendant. Requiritur ergo res eo animo illatas esse, ut illic maneant, quàm diu colonus uel inquilinus inhabitauerit, alioquin non essent tacitè obligatæ. l. debitor. ff. de pigno. Dico in definitione illatæ, uel inuectæ. Nam res conductoris non illatæ pro pensione locatori tacitè obligatæ non sunt, ut colligitur ex l. ij. & in ff. In quibus caus. pig. uel hypoth. contrah. Et hoc non tantum procedit in rebus coloni, in quibus dominium habet, sed etiam in rebus alienis, ab eo bona fide possessis & illatis. Nā et illæ tacitè obligatæ sunt. l. si ab eo. ff. de pigno. Res tamen usui quotidiano deputatæ eò referri non debent.

Hinc



Hinc est, quòd uestes, supellex, libri necessarij, quibus quis opus habet, & similes res pro pensione tacitè obligatæ non sunt, l. obligatione, ff. de pig.

Si tamen conductor res alienas in rem conductam intulerit, & dominus rerum illarum sciuerit res suas inferri, uidetur tacitè obligationi consentire. Quotiescunq; enim quis contradicendo potest Actum aliquem impedire, nec impedit, sed tacet, præsumitur consentire. Nec necesse est probare quòd tacens dolo tacuerit, utcunq; enim tacuerit, eius taciturnitas pro consensu habetur, secundum gl. approbatam in l. Item quia conventiones, in uerb. illata, ff. de pact. Item si inquilinus domum conductam, uel eius partem locauerit tertio, bona illius tertij inuecta quoq; sunt tacitè obligata ipsi locatori. In colono tamen qui prædium rusticum cum conducit, hoc non obseruatur. Licet fructus naturales à fundo separatos, & illic adhuc existentes, loco pignoris Locator retinere, & colonum, donec pensionem soluat, ne exportet prohibere possit. Industriales autem fructus Locator retinere loco pignoris non poterit, secundum Bart. in l. Asiduis. Vers. quæro an habeat. C. qui potio. in pig. hab. Minoris tamen bona pro pensione domino obligata non sunt, secundum dd. hic.

Dico in definitione, pro pensione &c. quia sicuti in emptione debet esse precium in pecunia, ita in cõtractu locationis merces, siue pensio quoque in pecunia constitui debet. Vel secundum quosdam in alia re, quæ numero, pondere uel mensura consistit, aliàs esset societas, uel permutatio, uel facio ut des, & per consequens nõ competeret hæc actio. Hinc est qd dd. disputant utrum res coloni partiarj illatæ & inuectæ quoq; sint tacitè obligatæ pro pensione, &c. Et concludunt communiter secundum Iaso. hic, quòd sic. Dico pro deterioratione rei, qd ex natura locationis et conductionis est rem conductam retinere integram, Si uerò ex negligentia conductoris destructa fuerit, tenetur emendare, etiam si expressè in ipsa locatione de hac non est actum. l. cum conductorem. C. de locat. & Conductor. suprâ de loca. Si ergo quòd fuerit deterioratum, nec resectum, omnes res illatæ pro illa deterioratione tacitè obligatæ sunt, donec reficiatur. d. l. ij, & iij. ff. In quibus caus. pig. uel hypoth. taci. contrah.

Potest autè Locator propria autoritate etiam sine decreto Iudicis, donec pensio soluatur, res inuectas includere. l. Est differentia, & ibi Bar. ff. In quibus caus. pig. uel hypoth. taci. contrah.

Potestq; eas Locator retinere non tantum pro pensione, siue pro deterioratione, uerum etiã pro alio debito Chirographario



secundum Angel. hic, qui ad hoc allegat l. unicam. C. etiam ob  
Chi. pecu. pig. ret. pol. Si tamen expressa hypotheca, uel pignus  
locatori constitutum esset, res illatae & inuectae tacite non obliga-  
rentur, quia prouisio hominis tollit prouisionem legis, l. fi. C. de  
pact. conuent. Res enim illatae & inuectae ex prouisione legis, sci-  
licet l. ij. & iij. ff. In quib. cau. pig. uel hypoth. &c. ipsi locatori ta-  
cite obligatae sunt. Expressa aut hypotheca ex contrahentium con-  
uentione constituit. Quare etiam derogat tacite obligationi, quae  
ex ipsa lege tantum orta est. Dico tacite, Nam si conductori bona  
expressae obligata essent, diceretur hypotheca expressa. Nec habe-  
ret locum haec Actio, sed quasi Seruiana. de qua infr. Dico à quo-  
cunque possessore, quia haec actio est Realis, & persequitur rem à quo-  
cunque fuerit possessa. Si tamen tertius possessor habeat titulum &  
bonam fidem, uidetur tutus esse ab hac actione, cum etiam Pub-  
liciana non detur contra titulo possidentem, ut supra diximus.

CAUSA remota istius actionis est, ipse contractus locationis.  
Sic enim docendi causa placet causas quaerere. Non enim igno-  
ramus ex locatione oriri Actionem personalem. Nihilominus  
tamen quoque causam praebet huic actioni, licet improprie. Haec  
enim Actio non potest oriri, nisi causa locationis praecedat. Et  
sic est potius antecedens, quam causa.

CAUSA propinqua est ipsa obligatio realis, qua res inuectae  
tacite obligantur locatori.

CAUSA propinquior est, quod conductor non soluit pensio-  
nem, uel quod propter eius habitationem res conducta facta est  
deterior. Si enim neutrum illorum accideret, nec actio Seruiana  
cum effectu intentari posset. Probat itaque actor. Primò se illam  
rem locasse conductori pro certa mercede. Secundò, conducto-  
rem res, ad quas agit locator, eo animo inuexisse, ut perpetuo il-  
lic manerent. Et hoc eo sciante, si scilicet praedium rusticum loca-  
tum est. Si uerò urbanum praedium locaretur, probat simplici-  
ter res illatas. Tertio, probat conductorem habuisse dominium,  
uel quasi dominium in rebus illatis, uel saltem quod alioqui in  
bonis eius fuissent, uel quod fuissent alienae, cum consensu tamen  
domini inductae, ut diximus.

## LIBELLVS IN ACTIONE

Seruiana,

Cum locassem Titio domum meam ad triennium, ut singulis annis  
pro pensione solueret x. aureos, intulit in eam res suas, quas habe-  
bat, quaeque iure dominij uel quasi dominij ad eum pertinebant, & in-  
ferendo pro pensione ipsius domus siue deterioratione mihi tacite ob-  
ligatae



ligatae sunt. Quia autem Titius conductor pensionem promissam non soluit, & res eius per illationem pro ea tacite mihi obligantur, peto possessionem illarum rerum mihi adiudicari, donec de pensione fuerit satisfactum. Et hic libellus procedit si praedium urbanum conductum esset. Si uero praedium rusticum conduceretur, addendum esset res esse illatas, sciente locatore, sicuti supra diximus.

#### DE ACTIONE QVASI SERUIANA.

Actio quasi Seruiana siue hypothecaria dicitur, qua creditor ad rei possessionem, quae sibi iure pignoris, uel hypothecae expressè obligata est, agit ad hoc, ut id retinere uel alienare possit, si à debitore non fuerit redemptum. Et dicitur quasi Seruiana, quia per eam non ita plenè prouidetur creditoribus, sicuti per Seruianam prouidetur locatoribus. Locator enim potest propria autoritate res sibi tacite obligatas, capere & includere, quod creditori in expresso pignore non licet, si id creditor non detinet. Dico in definitione hypothecaria, quia Barto. in l. fina. ff. de Sal. interd. dicit idem esse Actionem quasi Seruianā & hypothecariam. Dico creditor, ad differentiam Actionis Seruianae, quae non datur ciuilitè creditori, sed tantum locatori, cui res illatae tacite obligatae sunt. Dico possessionem rei, Nam licet haec Actio sapiat naturam Iudicij petitori, ut uult Barto. in l. 1. ff. de Saluia. interd. Auocat tamen nudam possessionem rei obligatae, siue potius detentionem. l. si cum uenditor, in prin. ff. de Euietio. Dico Iure pignoris, uel hypothecae. Nam quantum ad hanc Actionem attinet, nihil interest inter pignus & hypothecam, datur enim pro utroque. Alioqui tamen est differentia, quia pignus proprie dicitur quod traditur, Hypotheca uero quod non traditur, sed ex sola conuentione constituitur. Et sic in pignore transfertur possessio siue detentio in creditorem. In hypotheca uero non, sed manet penes debitorem. Secundo differunt, quod pignus proprie constituitur in rebus mobilibus, Hypotheca uero indifferenter in rebus mobilibus, & immobilibus, secundum text. hic, iuncta glo. in §. Item Seruiana, in uerbo, maximè. Dico expressè obligata est, iterum ad differentiam Actionis Seruianae, quae datur pro rebus tacite obligatis. Dico retinere possit. Quia causa finalis pignoris & hypothecae haec est, ut creditori sit saluum creditum suum. Et propterea retinet pignus. §. Creditor, supra quibus, modis re contracta oblig.

*Differentia inter pignus & hypothecam.*

Dico alienare. Nam si debitores pignora noluerint redimere, possunt à creditoribus uendi, modo id pactionibus cautum sit: si autem nihil cautum est de alienatione, poterit adhuc uendi elapso biennio post unam denunciationem. Vide glos. in §. contra, in uerbo, certus modus, supra quibus alie, licet uel non.

CAUSA



ENARRATIONES IN INSTITVT.

CAVSA materialis istius actionis est pignus siue hypotheca.

CAVSA efficiens est ipsa expressa conuentio, quæ tribuit mihi ius in rebus obligatis. Et illud ius reale mihi constitutum, postea prosequor. Si autem non esset constitutum, sed tantum promissum ut constitutatur, tum oriretur Actio personalis ex stipulatu, ad hoc ut constitutatur.

CAVSA finalis est, ut creditor res hypothecatas retineat, uel alienet, si debitor noluerit redimere. Quando autem quæritur quid in hac Actione teneatur Actor probare, distingue secundum Doct. hic. Aut Actor agit contra principalem debitorem, aut contra tertium possessorem. Primo casu, quando scilicet agit contra principalem debitorem, qui scilicet obligauit rem iure pignoris, uel hypothecæ, et possidet eam, sufficit probari pignoris obligationem & possessionem debitoris, licet non probetur, quod debitor sit dominus rei oppigneratæ, quia ipse debitor non potest negare se esse dominum, alioquin enim argueretur mendacij. Tutius tamen est in ipsa Actione allegare debitorem dominum pignoris, uel saltem id in bonis eius esse. Ex quo deinde præsumitur dominium.

Secundo casu, quando scilicet agitur contra tertium possessorem, distingue: Aut tertius possessor habet causam à debitore principali, aut non habet causam. Primo casu non sufficit probare solam possessionem debitoris, sed necesse est probare debitorem fuisse dominum illius rei oppigneratæ, uel saltem quod in eis bonis fuerit tempore oppignorationis. Et est ratio, quia Actor qui habet hypothecam, habet tantum ius in re ad auocandum, scilicet nudam possessionem, d. l. si cum uenditor, in prin. ff. de Euictio, quod ius hypothecæ non potest ei tribuere occasionem usucapiendi, multo minus dominium. Tertius autem possessor, qui à debitore causam habet, causam, titulum, bonam fidem, & quoque possessionem, habet usucapiendi occasionem, & potest fieri dominus, & sic plus habet in re hypothecata, quam creditor, qui tantum habet ius pignoris, quare etiam ab eo qui minus habet, impugnari non debet, nisi is probet debitorem fuisse dominum, & rem alienatam sibi realiter & cum effectu, ab eo scilicet qui potuit obligare, obligatam, quod ius sine eius facto non potuisset tolli, ut colligitur ex l. si creditor. §. Quæritur, ff. de distract. pig. Secundo casu, quando scilicet quis agit hypothecaria contra eum, qui nullam causam habet à debitore principali. Et tunc Actor tenetur probare debitorem fuisse dominum, uel quasi dominum rei hypothecatæ.

LIBELLVS IN ACTIONE  
quasi Seruiana.

Titius



Titius accepit à me mutuò c. aureos, pro quibus obligauit mihi expressè iure pignoris aureum poculum, cuius ipse erat dominus, uel quasi dominus, uel saltem habebat in bonis suis, uel possidebat. Quia autem mutuum non soluit, egoque detentionem illius poculi expressè obligati non habeo, Peto eam, donec fuerit satisfactum, mihi decerni. Et hic libellus procedit, si ipse debitor possidet pignus. Si uerò alienasset in tertium, illa alienatio quoque narranda & inferenda esset.

#### DE SALVIANO INTERDICTO.

Saluianum interdictum est, quod indifferenter datur tam locatoribus pro reb. inuectis & illatis, taciteq; obligatis, quam alijs creditorib. hypothecarijs pro pignorib. expressè obligatis, secundū Bart. in l. i. ff. eo. de Saluia. inter. Si ergo detur locatori pro rebus inuectis & illatis, dic qd supra de actione Seruiana diximus. Si uerò detur alijs creditorib. pro rebus hypothecatis & expressè obligatis, dic qd diximus de actiōe quasi Seruiana. Differt tamen Saluianū interdictum ab illis actionibus, quòd illud est iudicij possessorij, id est, in eo probatur sola possessio, Hæ autem sunt iudicij petitorij. De hoc interdicto habemus infra de interdictis. Et tantum de actionibus Realibus non præiudicialibus. Nunc de actionibus realibus præiudicialibus dicemus.

#### DE ACTIONIBVS REALIBVS

##### præiudicialibus.

Actiones præiudiciales, de quib. hic loqmur, sunt actiones reales, quib. de statu alicuius persone contendit. Et dicuntur præiudiciales, qd præiudicant alijs questionib. inter Actore & Reū, qd decidi nō possunt quamdiu causa status nō fuerit discussa, qd intellige de sententia definitiua, que fieri non potest illa questione pendente. Alioqui etiā inter actorem & reum possunt lites super alia causa inchoari. Modò tamen ante discussionem questionis de statu nulla ferat sententia. l. Ordinata. ff. de libera. caus. Dico aut in definitione, actiones reales, qd dantur pro reb. incorporālibus, pro iure scilicet, qd alicui competit ex psona sua propria, qd scilicet agit pro iure ingenuitatis, uel filiationis, &c. uel cōpetit ex persona alterius, ut quia quis agit pro iure seruitutis sibi in persona alicuius cōpetēti. Dico de statu alicuius persone, ad differentiā aliarum Actionum præiudicialium, que scilicet sunt præiudiciales fortè ratione contingentie alicuius, ut qd ita contigit, qd sententia lata in una causa, facit præiudicium in alia. Hæc actio est quidem præiudicialis, non tamen agitur de statu alicuius persone, sicuti hic dicemus. Sunt autē Actiones præiudiciales tres.

• Prima



ENARRATIONES IN INSTITVT.

*Actioes præ iudiciales tres.* Prima est quæ datur domino & seruo. Secunda, quæ datur patrono & liberto. Tertia, quæ datur parenti & filio. Sunt autem omnes reci-  
procæ.

Primum itaq; diximus esse, quando dominus agit contra seruum Stichum, qui est in quasi possessione libertatis, & contendit seruum suum esse, uel econtrà. Stichus qui est in quasi possessione seruitutis, agit contra dominum, & contendit se liberum esse. Et hæc Actio proprie dicitur Liberalis causa, de qua uide ff. & C. per totum, de libera. causa. Et sic hæc Actio primum illis datur, qui dicunt se dominos contra eos qui sunt in quasi possessione libertatis.

Deinde datur quoq; illis qui sunt in quasi possessione seruitutis contra dominos, qui eos retinere uolunt in seruitute. Habet autem hæc Actio tantum locum contra seruum uiuum. Defuncto enim non potest moueri quæstio de statu propter liberos, nisi fiat propter peculium. Differt autem hæc Actio primum à rei uendicatione, quæ quoq; datur domino pro uendicando seruo suo. Nam seruus est res corporalis. Et rei uendicatio datur pro rebus corporalib. ergo & c. quia rei uendicatio tunc demum locum habet pro seruo uendicando, quando seruus ab alio possidetur ut seruus, nec mouet quæstionem de statu libertatis, sed constat eum seruum esse, tum demum poterit dominus uendicare seruum à possessore, tanquam rem suam in qua dominium habet. Sed hæc Actio competit proprie quando agitur de statu serui, & quæritur utrum sit seruus, uel liber. Tunc enim dominus non agit ad seruum, sed ad ius, scilicet seruitutis. Et hoc casu est hæc Actio præparatoria rei uendicationis. Differt autem ab Actione confessoria & negatoria, quæ quoq; dantur pro reb. incorporalib. quia illæ locum habent pro iurib. debitis ex bonis & rebus alicuius, ut pro iure uia, itineris, actus, aquæ ductus, stillicidij & c. Hæc autem actio datur pro iuribus competentib. in persona alicuius, ut quod dico te esse seruum meum, hic prætendo me habere ius in tua persona, non tantum in rebus tuis.

Vt autem constare possit, uter illorum sit actor uel reus, attendendum est. Aut quis est in quasi possessione libertatis, negatq; se seruum esse, & uicem rei obtinet. Is autem qui contendit eum seruum esse, uicem actoris obtinet, & tenetur id probare. Et si in probatione defecerit Actor, reus nihil tenetur præstare, sed simpliciter absoluitur. I. qui accusare. C. de eden. Si quoq; reus in se onus probandi uolens susceperit, & defecerit, nihil obest, sed adhuc absoluitur. Non tamen pronunciat liber esse. Ideoq; Actor, quandocunq; uult poterit mouere controuersiam de statu, & probare eum seruum esse. Si autem Reus probauerit se liberum esse, quod tamen non tenetur facere,



cere, non simpliciter absoluit ab impetitione Actoris, sed pronūciatur quoque quod liber sit, quę sententia cōstituit ius, quod postea facile non poterit moueri quęstio de statu. l. Circa. ff. de probat. Competit autē hęc actio non tantūm illi qui in seruitutem trahitur, sed etiā eius parentibus, fratribus, sororibus, cęterisque cognatis, quibus fit iniuria, si ex eorum familia aliquis in seruitutē trahitur. Et si furioso mota fuerit quęstio de statu, admittitur quilibet extraneus. Vide Azo. in summa sua, C. de libera. causa.

Est autē hęc actio duplex, secundū gl. hic, & quosdam Doct. directa & utilis. Directa datur domino & seruo, sicut diximus. Utilis uerō datur domino & colono ascriptitio siue censito. Illi enim licet sint liberi homines, habent tamen magnā cognitionē cum seruis. Nam ascriptitius propriē dicitur, qui per scripturā, & cętera ita se obligat ad certum aliquem locum, uel fundū & c. colendum, quod inde nec uelit, nec possit decedere, sed medieta tē fructuū, uel partem, secundum quod conuentū est, annuatim domino reddere. Et is se, suos liberos, & successores usque in infinitum obligat. Censitus autem est, qui annuatim certam pensionem domino soluit, secundum Angel. & Ioan. de Plat. supra de iure perso. in prin. & gl. in l. ij. C. in quibus causis colo. lib. xi. Si ergo nunc quis exigeret ab aliquo censum, uel pensiones, con- tendens eum suum censitū, uel ascriptitiū esse, & is neget. Simi- liter si quis esset constitutus in quasi possessione illius iuris, quod præstando scilicet solueret pensionē, nec dominus uelit remitte- re, competit utriusque Actio præiudicialis utilis, qua dominus pe- tit declarari, Stichum suum ascriptitium, uel censitum esse. Econ- trā Stichus petit declarari, se non esse ascriptitium, nec censitū.

Ascriptitius  
quis.

Censitus.

### LIBELLVS IN ACTIONE

præiudiciali directa.

Seia ancilla seruiebat mihi, & durante seruitute peperit Sti- chum, qui licet ratione seruitutis, qua Seia mater eius obligata mihi erat, meo dominio & potestati subijceretur, tamen negat se seruum meum esse, unde peto me dominum declarari, eumque cō- pelli, ut præstet seruitia. In alia quoque Actione, qua Stichus agit contra dominum ad libertatem, eodem modo libellus forman- dus est, quod scilicet primò narretur de ratione libertatis, & deinde petatur se esse liberum hominem. Idem dic de libellis in Actionibus ascriptitiorum & censitorum.

### DE SECUNDA PRAEIV-

diciali Actione.

Secūda actio præiudicialis datur patrono contra libertū, qui



ENARRATIONES IN INSTITVT.

est in quasi possessione ingenuitatis, & negat se libertum eius esse, & e contra datur liberto exiltenti in quasi possessione libertinitatis contra patronum, qua petit declarari ingenuum, & e contra. Huc refer quæ circa Actionem præcedentem diximus.

DE TERTIA ACTIONE

præiudiciali.

Tertia Actio præiudicialis est, quæ datur patri & filio. Et in hac distingue: Aut pater uult agere contra filium, qui negat se filium. Et tunc, Aut filius gerit se pro patrefamili. dicens, se non esse eius filium, & datur hæc Actio præiudicialis, qua petit eum declarari filium &c. Aut filius famil. detinetur ab alio quodam, qui asserit eum suum filium esse, & subdistingue: Aut detinetur ab eo uolens, & iterum habet locum Actio præiudicialis. Aut inuitus & nolens detinetur ab alio, & agit pater contra detentorem rei uendicatione, adiecta causa de iure Quiritum, uel agit interdicto de liberis exhibendis. l. 1. §. per hanc. ff. de rei uend. l. 1. ff. de liber. exhib. Aut filius agit contra patrem negantem se patrem illius esse, & tunc, Aut est natus post solutionem matrimonium, uel est natus matrimonio constante. Primo casu distingue: Aut matrimonium est solutum per diuortium, & mulier postea prægnans capitur. Hoc casu ipsa mulier intra 30. dies contumuos post diuortium numerandos ipsi marito, uel eius patri, in cuius potestate est maritus, denunciare debet se ex eo esse prægnantem. Et tunc si maritus contra denunciauerit mulieri, uel eius parenti, &c. eam ex se non esse grauidam, uel miserit custodes, qui eam custodiant, iuxta S. C. Plautia. Et tunc non tenetur partum deinde agnoscere, nisi probetur suus esse, quod fieret in Actione præiudiciali. Idem dic si mulier neglexisset denunciationem. Si uero maritus non contra denunciauerit eam ex se non esse prægnantem, neque etiam miserit custodes, tenetur partum agnoscere ut suum, & si non agnouerit, extraordinariè punitur, nisi probet partum suum non esse, iuxta l. 1. §. Permittit, cum sequen. & l. siue contra §. Quia Plautianum. ff. de liber. agnos. Et si iudicium inter partum & patrem susceptum fuerit, pater autem decedat antequam feratur sententia, & mittitur filius in possessionem bonorum patris, ex edicto Carboniano. Si modò in pupillari ætate fuerit, ut scilicet differatur quæstio de statu, donec pubes factus probauerit se filium illius fuisse. d. l. siue contra, in fin. ferè. ff. de liber. agnos. Aut matrimonium est solutum morte mariti. Et tunc si pater mariti adhuc uiuit, & non uult agnoscere partum pro nepotesuo, Distingue: Aut auus dicit matrem illius partus non fuisse uxorem filij sui, uel partum ex filio suo non esse susceptum, & sic non esse suum nepotem. Et agitur contra eum Actio præiudiciali.



præiudiciali. d. l. Siue contra. Quia Plautianum. ff. de liber. agnos. Aut auus fatetur relictam fuisse uxorem filij sui. Dicit tamen partum conceptum & natum fuisse post matrimonium. Et tunc agitur nomine partus contra auum ex Senatusconsulto, quod sub Diuo Adriano factum est. d. l. Siue contra. Quia Plautianum. Verf. Quod si hoc ipsum. ff. de liber. agnos.

Quando autem quaeritur, quibus modis probetur filiatio à parte filij contra patrem. Dic quòd filius primò probat, illum qui negat se filium &c. contraxisse matrimonium cum matre sua. Secundò, quòd unà cohabitauerint. Tertiò, quòd constante matrimonio uel soluto matrimonio infra ix. uel x. menses &c. ipsius uxore natus sit. Quartò, quòd fuerit nominatus & reputatus pro filio. c. transmissæ. extra. qui filij sint legit. Quintò, quòd ipse tractauerit eum ut filium. l. Non nudis. C. de proba. Quibus probatis, præsumitur filius. l. si uicinis. C. de nuptijs. Præsumptiuè enim tantum, non uerè probatur filiatio. l. Lucius. ff. de cond. & demonst. Et illa præsumptio si est pro filio, transfert onus probandi in patrem, uidelicet quòd probet eum non esse filium. Fit autem illa probatio negatiua hoc modo. Primò, si probauerit se abfuisse per v. uel vi. annos, & reuersum inuenisse infantem domi. Secundò, etiam si continuè domi fuerit, & probauerit grauem aliquam infirmitatem, uel aliam similem causam, ex qua contet eum cum uxore non concubuisse, probatum est, eum qui domi ex uxore natus est, non esse filium suum. l. Filium. ff. de rjs quæ sunt sui uel alieni iuris. Si autem quis esset in quasi possessione filiationis, & nolit filius esse, poterit contra patrem agere Actione præiudiciali, & petere ut decernatur se non esse filium. Et hoc casu probatio illius negatiuè ipsi neganti incumberet, quia Actor est. Sunt & alij casus, in quibus ex identitate rationis locum habent Actiones præiudiciales, ut si quis neget se esse maritum, uel e contra ipsa negaret se esse uxorem. Item, si quis dicat quem esse fratrem uel consanguineum suum, secundum Barto. in d. l. Siue contra. Quia Plautianum. ff. de liber. agnos.

#### DE ACTIONIBVS PERSONALIBVS.

Actio personalis propriè dicitur, qua agimus contra eum, qui est nobis obligatus ad faciendum aliquid uel dandum. Et semper aduersus eundem locum habet. l. Actionum genera. §. In personam. ff. de act. & oblig. Dico in definitione obligatus, ad differentiam Actionis realis, in qua non uersatur obligatio propriè loquendo, sed persequimur ius, uel res nostras. Hic autem non agimus ad res, sed tantum contra personam obligatam, ut præstet quod promisit. Dico ad faciendum, iterum ad differentiam Actionis Realis, in qua neq; datio neq;



factum uersatur, sed tantum petimus ut res nostra nobis restituatur. In hac autem aut factum aut datio uersatur, ut si quis promississet mihi aedificare domum per stipulationem, promississet factum quod teneretur praestare. Si autem nollet, competeret mihi Actio ex stipulatione, qua agerem contra eius personam, ut faciat quod promissit. Dico in definitione dandum, iterum ad differentiam Actionis Realis, in qua non agitur, ut res detur, cum dare proprie significet dominium transferre. § sic itaq; infr. eod. Is autem qui agit Actione Reali, ad id, cuius dominium uel quasi iam habet, agit, & est spoliatus possessione. Non potest ergo petere, ut dominium quod prius habet, in eum transferatur, sed ut res sua sibi restituatur. In Actione autem personali agimus ad dominij translationem, ut si quis mihi promississet per stipulationem c. aureos, ago contra eum non tantum ut tradat, sed ut det, id est, dominium in me transferat. Dico, & semper aduersus eundem locum habet, iterum ad differentiam Actionis realis, quae datur contra quemuis possessorem. Actio autem personalis tantum contra eum datur, qui obligatus est, uel contra eius haereditatem, nisi sit Actio poenalis.

CAUSA Actionis personalis est obligatio, ut colligitur ex definitione. Obligationis autem causae sunt quatuor: contractus, quasi contractus, delicta, quasi delicta. De quibus omnibus supr. diximus. Et sic causa propinqua Actionis personalis est obligatio. Causa uero remota, sunt contractus, quasi contractus.

DIVISIO ACTIONVM PERSONALIVM.

Sunt autem Actiones personales duplices. Quaedam oriuntur ex delicto, quaedam ex contractu. Quae ex delicto oriuntur, subdividuntur. Quaedam oriuntur ex delicto siue facto proprio cuiusquam. Quaedam uero ex facto seruorum, siue lasciuia animalium. Illarum autem quae ex facto proprio oriuntur, quaedam sunt poenae persecutoriae tantum, quaedam uero mixtae. Poenae persecutoriae tantum dicuntur, quibus poenam persequimur debitam ex aliquo delicto privato. Et illae dantur uel in simplum uel in duplum, uel in quadruplum, uel ex arbitrio Iudicis. In simplum dantur Actiones poenales, quae habentur in §. Poenales. hic tit. nost. quales sunt Actiones in factum contra corruptores albi praetoris. Item contra eos, qui parentes uel patronos sine uenia in ius uocant. Item contra eos, qui in ius uocatos in eximunt. In duplum dantur actio furti non manifesti, & actio serui corrupti. In quadruplum uero datur Actio furti non manifesti, Actio quod metus causa, Actio de ea pecunia, quae ad hoc data est, ut quis calumniae causa negotium alicui faceret. Ex arbitrio Iudicis agitur Actione iniuriarum. Mixtae uero dicuntur, quibus tam rem, quam poenam persequimur simul. Et illae quoque dantur, Aut in simplum, aut



aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum. In simplum datur Actio l. Aquiliae, de damno dato, si modò Reus confitetur se damnatum dedisse. In duplum dantur, Actio depositi ex quatuor causis, ut si quis deposuerit causa tumultus, ruinae, incendij, uel naufragij. Secundò Actio ex testamento contra eos, qui relicta sacrosanctis ecclesijs dare distulerint. Tertiò Actio l. Aquiliae, de damno dato. Intellige autem illas tres Actiones tum in duplum dari, si Reus negauerit. Contra confitentem autem dantur tantum in simplum. In triplum datur Actio contra eos, qui maiorem uerae aestimationis quantitatem libello inserunt, ut litium executores ampliore sportularum summam exigere possint. In quadruplum autem datur Actio uir bonorum raptorum. Et in istis omnibus Actionibus mixtis rei persecutio continetur sub ipsa poena. Nec enim datur specialis Actio Actoris ad ipsam rem persequendam.

Actiones autem quae ex facto seruorum siue animalium lasciuia oriuntur, sunt duae. Actio noxalis, & Actio, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Et in istis habet dominus electionem, uel seruum siue quadrupedem pro noxa, uel damnatum datum resarcire. Et tantum de Actionibus ex delicto.

#### DE ACTIONIBVS QVAE EX CONTRACTIBVS ORIUNTUR.

Actiones autem quae ex contractibus oriuntur, subdiuiduntur. Quaedam enim dantur non tantum contra ipsum contrahentem, sed etiam contra eum, qui contrahentem habet in potestate, patrem scilicet uel dominum. Et illarum quaedam dantur peculiotenus contra patrem & dominum, ut est Actio de peculio. Quaedam uero dantur contra patrem et dominum, ex contractibus filij uel serui in solidum. Et sunt quinque: Actio quod iussu, tributoria, de in rem uerso, Institoria, & exercitoria. Quaedam uero Actiones dantur contra ipsum contrahentem tantum. Et illarum quaedam sunt mixtae, Quaedam uero merè personales. Mixtae dicuntur, quae sunt tam reales, quam personales, & sunt tres: Familiae herciscundae, communi diuidundo, & finium regundorum. Merè personales sunt duplices, Quaedam dantur contra reum non in solidum, sed in quantum facere potest. Et sunt quinque, Actio de dote, qua agit mulier contra maritum. Item si quis egerit cum parente, uel patrono suo. Actio pro socio. Item si quis quaeritur ex donatione sua, & quando agunt creditores contra eum, qui celsit bonis. Actiones autem quae dantur in solidum, dicuntur, in quibus reus condemnatur ad totum id quod petitur. Et sunt duplices. Aut sunt bonae fidei, aut stricti iuris. Actiones bonae fidei dicuntur, in quibus, ex bono & equo multa ueniunt, de quibus non est



ENARRATIONES IN INSTITVT.

actum. Et sunt 17. Ex empto, Vendito, Locato, Conducto, Negotio-  
rum gestorum, Mandati, Depositi, Pro socio, Tutelæ, Commodati,  
Pignoratitia, Familiæ herciscundæ, Communi diuidendo, Præscri-  
ptis uerbis, quæ de æstimato proponitur, quæ ex permutatione com-  
petit, Petitio hæreditatis, Actio de dote.

Stricti Iuris Actiones dicuntur, in quibus nihil uenit, nisi de quo ex-  
pressè actum est, ut sunt actio de constituta pecunia, Actio in factum  
ex lure iurando descendens, Actio ex stipulatu. Et breuiter omnes A-  
ctiones aliæ, quæ suprâ inter bonæ fidei actiones enumeratæ non  
sunt, de quibus omnibus & singulis suo loco dicemus.

DE ACTIONIBVS POENALIBVS,  
quarum sunt tres.

Prima Actio poenalis popularis est, & contra eum, qui id quod in  
albo prætoris propositum est, uel per se, uel per alium dolo malo cor-  
ruperit, siue sustulerit, in 50. aureos datur. Dico popularis, quia cui-  
libet de populo conuenit. l. si quis. ff. de iurisd. om. iud. l. 1. ff. de po-  
pu. actio. Quod dico in albo Prætoris, intellige primùm, quòd albu  
Prætoris erat murus siue paries dealbatus in eminenti loco, secun-  
dum gloss. in § poenales, in uerbo, Ex albo, hic titulo nostro, & gloss.  
in d. l. si quis, in uerbo albo, & erat triplex secundum Ioan. Fabri, &  
d. las. in d. § poenales. Vnum erat in quo describebantur nomina De-  
curionum, & Magistratum, & de isto loquitur tit. ff. de albo scrib.  
Alterum erat in quo Edicta temporalia & specialia ponebantur, ut  
de citationibus, ut de uocando aliquem in ius. Et secundum quosdâ  
corrumpens tale album tenetur hac actione. Communis tamen opi-  
nio est, quòd puniatur poena arbitraria. Tertium erat, in quo pone-  
bantur & scribebantur generalia edicta, continentia publicam &  
generalem æquitatem, ut de pactis & similibus edictis prætorum ge-  
neralibus, quæ habentur sub suis titulis in ff. & C. & in corrumpen-  
te tale album propriè habet locum hæc actio. Tu modò extende poe-  
nam illius actionis etiam ad alios casus, ut si quis corrumpere id  
quod positum est in publico, ut perpetuò illic esset. Exemplum, si fia-  
tura alicuius, siue arma, uel insignia propter proditionem siue falsita-  
tem essent depicta in publico ad perpetuam sui ignominiam, corrup-  
pens ea, hac actione conuenitur. Si tamen in proditoris laudem quid  
in publico scriptum uel pictum esset, posset quis impunè corrumpere.  
Reip. enim interest huiusmodi picturas tolli. l. Eorum, & ibi Bart.  
ff. de poenis. Idem dic si quis libros armarij communis corrumpere-  
ret, uel si surriperet processum alicuius existentem penes acta com-  
munis, uel repositum in archiuis publicis &c. Qua autem poena pu-  
niatur corrumpens, uel delens tabulas publicas, Item qui subtrahit  
scripturas,



Scripturas, uel instrumenta aliena, uel ea amouet, corrumpit, lacerat, uel in ignem mittit, Similiter qua poena puniendi sint qui abscindunt sigilla à literis Imperialib. Et de aperiente literas alienas, siue ostendē te aduersario, uel pandente unius literas alij &c. uide apud Iason. in d. §. poenales. Dico in definitione per se, uel per alium, & idem est, si quis mandauerit quid fieri, ac si ipse faceret. Et de hoc dicto, an scilicet mandans delictum fieri, puniatur eadem poena, uide copiosiss. D. Ias. in l. si quis. ff. de Iurisd. om. Iud. Dolo malo in definitione dico. Nam si quis per simplicitatem, imperitiam, rusticitatem, uel ab ipso praetore iussus corruerit album, non tenetur. d. l. si quis. uers. doli mali. Et sic uides, quòd uoluntas & proposita distinguunt facta. l. Diuus. ff. ad l. Cornel. de sicarijs. l. foedissimam. C. ad l. Iul. de adult. Dico in 50. aureos, quia illa poena expressè constituta est pro tali delicto. Et licet iura uariant super illa poena, Nam quaedam habent 50. Quaedam uerò 500. aureos, tamen interpretatio debet fieri in 50. cum in poenis mitior interpretatio sit accipienda. c. In poenis, extra de reg. Iur. in 6. l. si praeses. ff. de poenis. Si autem duo uel plures dolo se corruerint, uel corrumpi mandauerint, quilibet tenetur in 50. nec praestatio unius liberat alium. Si uerò unus dolo se, alter autem ex simplicitate uel imperitia corrueret, dolosus tantum teneretur. d. l. si quis, in si. applicatur autem illa poena actori & non fisco, secundum omnes ferè dd. in d. l. si quis, & in d. §. poenales. Et si corruerit non poterit soluere poenam 50. aureorum, punitur in corpore. Iuxta illud: Qui non habet in aere, luat in corpore, ut d. l. si quis §. In seruos. Est autem haec actio duplex, Directa & Vtilis. Directa datur ex uerbis ipsius legis, scilicet contra eum qui edictum iam propositum corruerit, uel sustulit. Vtilis uerò datur ex mente & sententia legis, contra eum scilicet, qui dum edictum proponeretur, uel ante propositionem corruerit, uel sustulit. d. l. si quis, in uerbo sententiam, iunct. glo. ibi. ff. de Iurisd. omnium Iud.

C A V S A istius Actionis est delictum, scilicet ipsa corruptio siue sublatio albi. Probatu autem nihil aliud, quàm reum corrupisse, uel sustulisse album. Est autem haec actio tantum annalis. Nec datur contra haeredes corruentis. l. si. ff. de popu. Actio.

#### DE SECUNDA ACTIO. ne poenali.

Secunda Actio poenalis est, quae datur in 50. aureos contra eum, qui patrem uel patronum sine uenia in ius uocat. Dico 50. aureos, quia illa poena expressè constituta est à lege pro tali facto. Remittitur tamen poena. Primò si filium uel libertum poenituit citationis, & Actionem remisit. Secundò, quando patronus uel parens citatus



non uenit. Tertiò, quando non inuitus citatus est. l. Quamuis. ff. de in ius uocan. Istis tamen casibus pœna 50. flo. non committitur. Dico patrem uel patronum, quia licet multæ personæ prohibitæ sint in ius uocari, ut Consules, Præfecti, Proconsules, & aliæ de quibus in l. ij. cum sequen. ff. de in ius uoca. Tamen in solis parentibus, & patronis locum habet pœna legalis 50. flo. & in alijs personis prohibitis in ius uocari habet locum pœna extraordinaria & arbitraria, secundum gloss. in uerbo, cum non impetrasset, in d. §. pœnales, hic tit. nostro, & per l. i. §. Effractores. ff. de effracto. & expilato. Distinguetamen in filijs, aut sunt in potestate parentum, & non possunt eos uocare in ius, etiam cum uenia l. final. C. de in ius uocan. Nisi pro castrensi uel quasi castrensi peculio. Et tunc cum uenia eos in ius uocare possunt. l. Adoptiuum, cum gl. in prin. ff. de in ius uocan. l. lis nulla. ff. de iud. glo. in d. §. pœnales, in uerbo, cum id non impetrasset. Aut loquimur de filijs emancipatis, & tum propriè habet locum hæc Actio, que autem diximus de patre, tu intellige de parentibus. utriusq; sexus, usq; in infinitum. l. 4. §. parentem. ff. de in ius uocan. Item de parentibus naturalibus, & legitimis, legitimis tantum, naturalibus tantum, uitricoco, nouerca, socero, socru, & similibus, qui loco parentum habentur de quibus uide §. Ergo non omnes, cum similibus, supra de nupt. l. parentes. l. adoptiuum, cum similibus. ff. de in ius uocan. In incestuosus tamen non habet locum hæc Actio, secundum Docto. in d. §. Pœnales. Quia inter eos nulla est appellatio parentum & filiorum. Similiter extendit hoc ad compatres, quia illi habentur pro parentibus spiritualibus. c. tua, cum similib. extra de cog. spirit. Secundò ad deceptores, qui inuiti à discipulis quoq; non debent realiter in ius uocari, uocatione tamen uerbali citari possunt, secundum Ioan. de Plat. in d. §. Pœnales, quem sequuntur ibi Ang. & D. Iason.

Pœna autem 50. flo. quoq; cedit patri & patrono agentis. Non autem filio, secundum Docto. in d. §. pœnales. Et differt hæc Actio à superiori proxima, quòd in illa requiritur dolus. Ignorantia autem siue rusticitas excusat quem à pœna. In hac autem actione committitur pœna, etiam si quis sine dolo citauerit patrem. Quia reuerentia erga parentes per ius naturale inducta est. Et ignorantia illius iuris neminem excusat. l. Regula. ff. de iur. & facti igno.

Tertia Actio pœnalis in factum datur contra eum, qui citatum in ius per se, uel per alium uiolenter eximit, quo minus ueniret, in quantum Actor in litem iurauerit. Dico citatum simpliciter, quia hæc Actio quoq; locum habet, si quis exemerit eum, qui per calumniam citatus est. l. sed eximendi §. Item si quis. ff. ne quis eum qui in ius uocatus exi.



ui exi. Violenter dico, quia satis est interuenire uim, etiam si dolus ab-  
fuerit l. iij. §. quod Prætor. ff. Ne quis eum &c. Dico exemit, quia  
uerbum eximendi generale est, significans quoquo modo auferre, ut  
si quis exemerit quem, seu moram fecerit quo minus in ius ueniret, &  
sic Actionis dies exiret, uel res tempore amitteretur, uidetur exemit  
se, licet corpus non exemerit. d. l. Sed eximendi.

Dico in quantum Actor in litem iurauerit, quia punitur eximens  
quanti Actor iurauerit sua interesse citatum in ius non uenisse. Et hoc  
casu si propter exemptionem Actor per lapsum temporis Actionem  
temporalem, uel rem mobilem, quæ spacio triennij usucapitur, ami-  
sit, iurat primùm in litem, quanti sua inter sit reum non uenisse, ut quia  
fortè magnis sumptibus adduxit aduocatos &c. Deinde autem per  
Actionem Rescissoriam petit se ex clausula generali in integrum resti-  
tui, usucapionemque rescindi, ac si impleta non esset, & tunc intentat  
contra reum primam actionem. Si uerò neq; actiones, neq; res pro-  
pter exemptionem præscriptæ essent, iurat Actor in litem contra exi-  
mentem ad interesse, & postea agit contra citatum. l. fina. ff. ne quis  
eum qui etc. Et si plures fuerunt qui quem exemerunt, solutione uni-  
us, alij non liberantur. d. l. fin. iunct. glos. ibi. Cessat autem pœna istius  
us actionis. Primò, si talis citatus est, qui citari non debebat, ut parès  
uel patronus. l. i. §. Offilius. ff. Ne quis eum qui in ius uocat. Secùdò,  
si quis citatus est in alium locum, quàm quò debebat citari. l. ij. Veri.  
Eadem æquitas. ff. ne quis eum, &c. Tertiò, si is exemptus est, qui ha-  
bet ius reuocandi domum, ut legatus &c. l. ij. in fin. iunct. glos. ff. Ne  
quis eum &c. Quartò, si est citatus ad pedaneum iudicem. l. iij. §. si quis. ff.  
Ne quis eum. Et tantùm de Actionibus pœnalibus, quæ uocantur Actio-  
nes in factum, ex edicto Prætoris descendentes. Sunt & aliæ actiones  
pœnales Prætoris, de quib. uide glo. in d. §. pœnales, in uerbo, innu-  
merabiles. hic tit. nostro.

### DE ACTIONIBVS MERE POENALI- bus in duplum.

Actiones merè Pœnales in duplum sunt duæ, Actio furti non ma-  
nifesti, & Actio serui corrupti. De actione furti non manifesti su-  
prà diximus: Nota tamen obiter, quòd hodie ex furto regulariter  
non oritur actio, sed publica accusatio, quia fures suspenduntur.  
Licet enim de iure communi caueatur, ne quis propter furtum oc-  
cidatur, aut membrum amittat, Tamen hodie de iure consuetudi-  
nario pœna furti est pœna laquei, & sic capitalis pœna, sicut quoq; pa-  
tet ex §. si quis quinq; solidos, in tit. de pace tenenda, ubi dicitur si quis  
quinq; solidos furatus fuerit, laqueo finiat uitam. Doct. tamen re-  
stringunt.



stringunt illum textum, quod locum habeat in furib. qui furando quoq; publicæ pacis fractores existunt.

## DE ACTIONE SERVI CORRVTI.

Actio serui corrupti propriè datur contra eum, qui serui alterius animum dolo malo persuadendo corrumpit, ut deterior fieret. Dico seruum simpliciter, quia nihil refert siue bonum seruum fecerit malum, siue malum persuadendo fecerit deteriorem, utroq; enim casu corrupisse dicitur. l. 1. §. sed utrum. ff. de ser. corrupt. Extende illam actionem, quòd etiam habeat locum, si quis filium, uel filiam persuadendo corrumpit, datur enim utilis actio, quia nostrum interest animum liberorum nostrorum non corrumpi. l. ut tantum. §. de filio. ff. de seruo corrupto. Tum autem non agitur ad duplum, quia liberi hominis nulla est æstimatio, sed ad interesse ex affectione patris delato iuramento, iudicis tamen taxatione præcedente, ut si quis haberet filiam bene institutam, quam cum leui dote ut cxi. aureis fortè possit in matrimonium collocare. Postea uerò accedit adolescens, animum eius ita corrumpit, quòd etiam cum dote cc. aureorū uix possit alicui nubere. Decidunt Doct. in §. in duplum, hic tit. nostro, corruptorem animi uirginis teneri ad præstationem illorum cc. aureorum. Deinde datur hæc actio quoq; corrupto. Exemplum: Adolescens quidam boni ingenij mittitur cum uiatico à parentibus, causa studij ad uniuersitatem, & illic ex persuasione quorundam leuium hominum, uiaticum suum ludendo, potando & scortando profundit, decidunt communiter Doct. si parens suus illic neq; per se, neque per procuratorem præsens fuerit, quòd is adolescens possit agere contra persuadentes actione utili ad duplum æstimationis damni sui. Licet D. Ial. in §. omnes autem, & Ioan. de Plat. hic tit. nostro dicant, hoc de rigore iuris, uix posse obtineri. Dico alterius, si enim quis seruum suum proprium corrupit, contra seipsum non possit agere. Dico animum, si enim quis corpus serui corrumpit, ut uulnerando, tenetur directâ actione. l. Aquil. de damno dato. Si autem seruo suaserit, ut in tectum ascenderet, uel in puteum descenderet, & is ascendendo uel descendendo ceciderit, crusq; uel aliud quid fregerit, uel perierit, utili actione. l. Aquil. conueniri potest. Ita quoq; dic, si corpus filij uel filiaefamiliæ uulnerando corruptum fuerit, uel interficiendo, competit actio iniuriarum realis, uel publica accusatio ex l. Cornel. de sicarijs. Sic quoq; si uirginis corpus est corruptum, in foro ciuili datur publica accusatio ex l. Iul. de adult. & stup. Dico dolo malo. Si quis enim lusus gratia seruo alterius quid suaserit, & is inde deterior fieret, non tenetur suadens. l. dolo malo. ff. de seruo corrupto. Ita quoq; dic, si quis seruum alienum recepit ut custodiret, uel

humanitate



humanitate uel misericordia, uel alia probabili atq; iusta ratione, nō  
 tenetur hac Actione, licet alio qui dolo malo recipiens teneatur. Di-  
 co persuasione, quia licet aliàs ex consilio & persuasione quis regula-  
 riter non teneatur. §. tua tantum. suprā de Mandato, tamen hic tene-  
 tur. Primò, quia consilium est fraudulentum. Secundò, quia hoc con-  
 silium siue persuasio est per se delictum. Nec adhibetur illa distin-  
 ctio, an aliàs esset facturus, nec ne, quia si quis malo seruo persuade-  
 rit quemadmodum delinqueret, quoq; tenetur. Imò & si seruus ani-  
 mo erat fugiturus, uel furtū facturus, & aliquis laudator eius propo-  
 siti extiterit, tenetur. Non enim oportet laudando agere malitiam. d.  
 l. i. §. sed utrum. ff. de seruo corrupto. gloss. in §. ope. in uerbo, non te-  
 netur, suprā de oblig. quæ ex del. nasc. Persuadere autem in hac ma-  
 teria significat plus quàm compellere atque cogere aliquem, ut sibi pa-  
 reat. d. l. i. §. persuadere. ff. de seruo corrupto. Quòd dico corrumpit,  
 tu extende quoq; si recepit, hoc est, abscondendi causa, seruo uel in  
 suo agro, uel in alieno loco, ædificiōue refugium præstitit. d. l. i. §.  
 Quòd autem. ff. de seruo corrupto. Dico ut deterior fieret, quòd fit  
 multis modis, ut si quis suadeat seruo, ut iniuriam faceret, uel fur-  
 tum, uel fugeret, uel ut alienum seruum sollicitaret, uel peculium in-  
 tricaret, uel amator existeret, uel errori, aut malis artibus esset dedi-  
 tus, uel in spectaculis nimius, uel seditiosus &c. d. l. i. in fin. iunct. l. si.  
 & l. corrumpitur. ff. de seruo corrupto. Et corrupens non tantum te-  
 netur domino serui, sed etiam alijs, quibus ex sua persuasione dam-  
 num datum est. Nota tamen hic obiter, si seruo suasi, ut Chirogra-  
 phum debitorum corrumpat, certum est suadentem teneri. An au-  
 tem tunc teneatur, si postea ex consuetudine primæ persuasionis quo-  
 que rationes, instrumenta & similia corruperit, subtraxerit, uel dele-  
 uerit. Et dic simpliciter, quòd corrupens ex hoc non tenetur, nisi spe-  
 cialiter persuaserit. l. Neratius. §. si seruo. ff. de seruo corrupto. Est au-  
 tem duplex, Directa & Utilis. Directa datur uero domino contra  
 eum qui animum serui sui persuadendo corrumpit. Utilis uerò est, quæ  
 primo quoque domino uero datur contra eum, ex cuius persuasione  
 corpus serui corruptum est, licet commodius detur utilis Actio l. A-  
 quilie. l. dolo. cum l. sequen. ff. eod. Secundò datur usufructuario,  
 uel bonæ fidei possessori. l. si quis seruum. §. si in seruo. ff. eo. Tertiò  
 datur patri contra eum, qui filiam, uel filium fa. corrumpit. l. ut tantum.  
 §. de filio. ff. eod.

CAUSA istius actionis est persuasio, quæ, ut diximus, habet hic  
 pro dolo. Poena autem est duplum, tãti enim condemnatur corrup-  
 pens in duplum, quanti seruus ob id quòd corruptus est, fit deterior.  
 & in hoc iudicio uenit quoque æstimatio rerum, quas seruus secum  
 abstulit.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

abstulit, quia omne damnum duplicatur. l. in hoc iudicio, & l. si quis seruum, in fi. ff. eo. Est quoq; perpetua, & datur hæredib. illius, cuius seruus corruptus est. Non autem contra hæredes corruptentis. l. sed & hæres, & l. hæc Actio, ff. de seruo corrupto.

DE ACTIONE POENALI IN quadruplum.

Prima actio quadrupli, est Actio furti non manifesti. Et de ea hic nihil dicemus: Suprà enim in titulo de oblig. quæ ex delicto nascuntur, eius materia tradita est. Et hodie de iure consuetudinario illa distinctio inter furtum manifestum, & non manifestum, nõ est in usu, sed regulariter pro quolibet furto imponitur pœna laquei, ut suprà diximus.

DE ACTIONE QVOD METVS CAUSA.

Actio quòd metus causa, est Actio personalis in rem scripta, quæ datur illi qui per metum in constantem uirum cadentem ad alienandum, uel dandam rem aliquam pulsus est. Dico personalis, quia hæc Actio primùm cõtra personam illius qui metum intulit, datur ad interesse, quod æstimatur officio iudicis, excusso iuramento in litem, l. Arbitrio, §. Ideo, ff. de dolo. Et is qui metu rem aliquam extorsit, ipsamq; iussu iudicis statim restituit, ultrà non punitur. Si autem recuauerit, & per sententiam definitiuam ad restitutionem cõdemnatus fuerit, punitur in quadruplo. §. Item Actio, hic tit. nost. Dico in rem scripta, quia datur contra quemcunq; qui ex metu illato sensit cõmodum, licet ipse metum non intulerit. l. metum, §. fin. ff. quod met. caus. Ideo etiam non necesse est probare, quòd certa persona metum intulerit, sed sufficit impersonaliter probare metum illatum esse. Nã cum metus in se habeat ignorantiam, quis non potest astringi, ut designet quis ei metum intulerit. Sæpe enim fit noctu, uel in aliqua multitudi- ne. l. Si cum exceptione, §. In hac, ff. quod met. causa. Dico per metum in constantem uirum cadentem, quia nõ omnis metus sufficit, sed uel metus mortis uel cruciatus corporis, uel amissionis omnium bonorum, uel simile quiddam, quod arbitrio iudicis committitur. l. iij. iij. v. & vi. ff. quod met. causa.

Nec distinguitur utrum quis timuerit mortem uel cruciatum corporis ex suo præcedenti delicto, nec ne. Nam etsi adulter in adulterio, uel fur in furto deprehensus dederit aliquid, ne occideretur, habet locum hæc Actio, nisi iure potuisset occidi, ut pater cum filia, uel maritus post trinam denunciationem cum uxore adulterum deprehenderit, uel quis furem qui se telo defenderet, possent occidi, iuxta l. Gracchus, & Authentica, si quis. C. de adult. l. furem, iunct. glo. ff. ad l. Cornel. de sica. Quare si illi aliquid darent ne occiderentur, per hanc



hanc Actionem non possent repetere. l. Nec timorem § Proinde. ff. eod. Et intellige definitionem non tantum in metu illato personæ nostræ propriæ, sed quoque personis filiorum siue coniunctorum nostrorum, ut si quis timeret, ne filia sua stuprum pateretur, et daret aliquid ad supprimendam filiam, posset repetere per Actionem, quod metus causa. l. Isti quidem, in fine. ff. quod metus causa. Et per illum quoque metum intellige reuerentialem, & maioritatis. In hoc tamen distingue: Quædam est maioritas absque autoritate & potestate publica, ut mariti in uxorem, patroni in libertum, & patris in filium. Et tunc ex tali metu Actus rescinditur per officium iudicis l. pe. Verf. Et hoc modo. ff. de furtis. l. i. §. quæ onerandæ, cum gloss. & no. ff. quarum rerum Actio non datur. Idem dicendum est, si quis rogatus Principis contraxit, qui aliàs contracturus non esset. Nam rogamina imperatorum mandata sunt, secundum gloss. in Cle. i. in uerbo, Exhortamur, de testib. Quædam est maioritas, siue reuerentia, quæ habetur ex officio publico, ut est maioritas magistratuum. Et tunc si metu & ui illorum quid contractum est, competit hæc Actio. l. iij. §. cæterum. ff. eod. l. final. C. eod. Dico ad alienandum, quia alienare est uerbum generale, comprehendens omnes Actus, quibus res nostræ abducuntur, siue fiat per pignora, uenditiones, donationes, & c. secundum gloss. i. in tit. de alie. seu paterni. Ideo habet locum hæc Actio, si dedit aut fecit aliquid, ut quia uendidit, uel donauit rem, quam alioqui non fuisset uenditurus. Si autem promisit quid, nec tamen actualiter præstitit, conuentus habet exceptionem, quod metus causa. Dico compulsus est, si enim uolens fecisset, non competeret hæc actio. Et sic nota Actionem quod metus causa oriri, & ui compulsiuam. Nam pro ui ablatiua, datur Actio ui bonorum raptorum, pro ui expulsiuam interdictum uti possidetis in rebus immobilibus, et in rebus mobilibus utrobi. Pro ui inquietatiua interdictum, quod ui aut clam. Vide Azo. in summa sua, C. de ijs quæ ui metusue causa gesta sunt.

Causam istius Actionis uides esse metum illatum, & ut diximus, Actor nihil aliud cogitur probare, si res alienata à tertio possessa fuerit, quam metum illatum esse impersonaliter. Et duobus testibus de metu deponentibus plus creditur quam mille testibus, qui deponerent de spontanea uoluntate. Ad hoc allegatur Inno. in c. super, extra de Renunciat. Et uide D. Iason. hic.

Datur autem hæc Actio infra annum in quadruplum, post annum in simplicium.

Alienare.

Vis ablatiua:  
 Vis expulsiuam:  
 Vis turbatiua:  
 Vis inquietatiua.

DE ACTIONE IN FACTVM,  
 de Calumniatoribus.



Actio in factum de Calumniatoribus propriè datur contra eum, qui pecuniam accepit, uel aliquod aliud commodum sensit, ut innocenti alicui in iudicio negotium per calumniam faceret, uel non faceret. l. i. in princi. ff. de calum. Dico pecuniam accepit. Quia hic non spectatur exitus, donec scilicet calumnia fiat, sed solū uoluntas. Ideo ex sola receptione pecuniæ, licet calumnia secuta non sit, Actio oritur. l. Et generaliter. § si igitur. ff. de calum. Dico uel sensit aliud quoddam commodum, quia non est necesse, propterea in promptu pecuniam numerari, sed satis est rerum quocunq; modo commodum sensit. l. Quinetiam, cum l. seq. ff. de calum. Dico innocenti, Quia si nocens transigendo aliquid daret, ne accusaretur, non haberet locum hæc Actio. l. si ab eo ff. eod. Dico alicui simpliciter, quia non distinguitur, siue in pecuniarijs causis, siue in publicis criminibus calumnia fiat, utroq; enim casu habet locum hæc Actio. In criminalibus tamen calumniator quoq; tenetur. l. Iulia repetund. d. l. i. § Hoc autem iudicium. ff. eo. Secundò habet locum hæc Actio, etiamsi procurator uel aduocatus propter aliquod commodum negotium domi per Calumniam ageret, in eo scilicet, quod per calumniam pateretur, se ab aduersario uinci, per nota. in d. l. i. § sed & cõstituti. ff. eod. Dico in iudicio, Quia si extra iudicium dedi tibi pecuniam, ne faceres mihi calumniam, id est, ne spoliare uel uerberare me, &c. non habebit locum hæc Actio, sed Actio quòd metus causa, secundum Ioannem Fab. & Ioannem de Plat. hic. ut colligitur ex gloss. super Rubr. ff. de Calum. Dico per calumniam, Nam si aduersarius accepisset pecuniam, ut non ageret uel accusaret me, non tamen per calumniam accepisset, sed animo transigendi, quoque cessat hæc Actio. d. l. i. § Sed & constitutio. ff. de calumni. Dico faceret uel non faceret, Quia hæc Actio primùm datur contra eum, qui commodum aliquod sensit, ut negotium alteri faceret, is tamen qui dedit pecuniam, non conuenitur, sed amittit suam pecuniam, quam dedit propter calumniam, nec potest repetere, quia est in eadem causa turpitudinis. d. l. Et generaliter. § Illud erit. ff. de Calumnia. Et datur hæc Actio etiam illi, qui pecuniam dedit, ut sibi non fieret negotium per calumniam. Et in hoc distinguitur: Aut tertius quidam dedit pecuniam alicui, ne mihi fieret calumnia. Et tunc si me mandante & ratificante hoc factum est, ego dedisse intelligor. Ideoque competit mihi Actio contra recipientem, & non ei qui dedit pecuniam. Hoc enim casu pecunia honestè data est, turpiter tamen recepta, quare etiã repetitur. Si uerò tertius motu proprio dedit pecuniam, ne mihi fieret calumnia, ipse agit ad simplicium illius, quod exposuit, ego autem ad quadruplum pro pœna.

CAUSA istius Actionis est delictum, calumnia scilicet, & ut supra



prædiximus, obiter notabis, quòd hic punitur effectus, licet effectus non sequatur. Punitur enim recipiens pecuniam, licet calumnia sequuta non sit. Datur autem hæc Actio tam in eum qui dedit, quam in eum qui accepit quid, ut alteri calumnia fieret, infra annum utilem in quadruplum, post annum in simplum. d. l. 1. in principio. Et si tu recepisti pecuniam ab alio, ut mihi calumniam faceres, & à me quoque recepisti pecuniam, ne faceres, teneris mihi in octoplum. d. l. Et generaliter. §. Illud. Verf. Quare. ff. de calumnia. Et illud quadruplum siue octoplum solum poena est, & extra illam poenam datur quoque repetitio simpli illius quod datū est. d. l. si quis ab alio. Verf. si autem. ff. eodem. Heredi autem hæc Actio non datur. Quia sufficere ei debet, quòd eam pecuniam quam defunctus dedit ne fieret calumnia, repetere potest. In hæredem autem calumniatoris competit in id, quod ad eum peruenit. Nam licet crimina morte delinquentium extinguantur, Turpia tamen lucra etiam ab hæredibus extorqueri debent. l. in hæredem, cum l. sequen. ff. eod. de calumn.

### DE CONDICTIONE EX LEGE, CONTRA ministros publicos.

Hæc Condictio ex lege datur contra executores uel nuncios publicos in quadruplum, qui sportularum nomine plus, quam eis debetur, exegerint. Dico condictio ex lege, Quia hæc actio non habet proprium & specificum nomen, ideo dicitur condictio ex lege, in qua de ea fit mentio, ut ex §. Quadrupli. Verf. Item ex lege, hic titu. nost. & ex §. Et hoc quoque. in Auten. ut litig. iur. col. ix. Dico executores, uel nuncios, quia multa sunt Synonyma, quibus ministri magistratuū significantur, ut executores, nunci, apparitores, uiatores etc. Dico publicos, quia priuatis & non iuratis ministris non facile creditur. Nec illi sportularū nomine quid exigere possunt citando quæ &c. Et extendere hanc actionem etiam ad eum casum, scilicet si nunci publici asserunt se habere commissionem pignorandi aliquem, uel personaliter capiendi, cum tamen à magistratu eis non sit commissum, & propterea timore illius aliquid datum sit, quòd illi ministri nedum tenentur in quadruplum illius, sed etiam puniri possunt extra ordinem officio iudicis, quia incidunt in crimen concussionis. l. 1. & ibi glo. ff. de concus. Si tamen is qui dedit pecuniam, sciisset ministros sine iussu potestatis fecisse, potuisset de facto resistere. l. prohibitum. & ibi Bart. de iure fisci. lib. x. Dico in quadruplum, quod totum poena est, & extra illud quadruplum adhuc quoque uersatur persecutio simpli dati, scilicet sportularum nomine, ut colligitur hic ex



ENARRATIONES IN INSTITVT.

textu d. Quadrupli. Hodie tamen de iure Autenticorum, triplum illius quadrupli cedit fisco, & simplum damnum passor. Et hoc quoque in Autentico, ut litig. iurent, colla. ix. Et ita decidit D. Iason.

CAUSA istius Actionis est delictum, exactio scilicet illius, quod non debetur. Et tantum de actionibus quadrupli. Ex arbitrio autem iudicis agitur in Actione iniuriarum, quæ qualis sit, uide quæ supra diximus de iniur. Et hæc de Actionibus merè personalibus dixisse sufficiat. Sequitur de Mixtis.

DE ACTIONIBVS MIXTIS.

Actiones mixtæ dicuntur, quib. tam rem quam pœnã ex aliquo delicto debitam, simul persequimur. Et illæ subdiuiduntur. Aut enim dantur in simplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum.

In simplum datur Actio l. Aquiliæ, de damno dato, si modò reus confitetur se damnum dedisse. Et de hac quoque nihil dicemus, supra enim tractata est. In duplum dantur, Primò, Actio depositi. Secundò Actio ex testamento, contra eos, qui relict. sacrosanctis ecclesijs dare distulerint. Tertiò, Actio l. Aquiliæ, de damno dato.

Actio depositi tum demum datur in duplum, & pœnalis est, quando quid uel causa tumultus, ruinae, incendijs, uel naufragij causa deponitur, & depositarius negat id penes se depositum esse. Si tamen conuincitur, tenetur duplum reddere. Et sic causa istius Actionis est delictum, mendacium scilicet, alioqui est Actio non pœnalis, sed ex contractu descendens. Et datur in simplum. Quid autem sit depositum, & quæ inde orientur Actiones, supra dictum est de deposito.

DE ACTIONE EX TESTAMENTO,

pro relictis sacrosanctis ecclesijs.

Hæc Actio ex testamento datur in duplum, contra eum, qui negat ex hæreditate, quam ipse adiuit, ecclesiæ quid legatum esse, uel sitatur, sine iusta tamen causa illius legati differt solutionem. Dico ad duplum, quia simplum habetur pro re legata, & aliud simplum pro pœna, & ueniunt quoque fructus, siue usuræ legatae. Dico contra eum simpliciter, quia hæc Actio primùm datur contra hæredem ex testamento, siue sit directus hæres, siue fideicommissarius. Deinde datur contra exequutores testamēti, negantes legata pijs locis relicta esse, uel differentes solutionem. Tertiò datur contra eum qui est hæres ab intestato. Nam etiam ab intestato in præsentia duorum testium pijs locis relinqui potest. Et de hac extensione uide Doct. in Ex maleficijs. hic tit. nostro. Dico qui negat, Quia primùm propter negationem datur hæc Actio. Si tamen Actor à principio negauerit, & postea fateretur, releuat eum illa confessio ad euitandam pœnã dupli, modò Actor agat contra eum ex negatione, & nõ pro continuatione.



stinatione, & sic ex sua confessione uelit probare hoc. Si autem ex dilatione siue procrastinatione ageret, tunc siue neget, siue fateatur, eius nihil refert. Incidit enim in poenam dupli propter dilationem. Dico adiuuit, Quia si quis esset hæres institutus, uel ab intestato, & hereditatem tamen non adiret, non incideret in hanc poenam, utcumq; legata pñs locis non solueretur. Dico ecclesiæ, Quia hæc Actio primum datur ipsi ecclesiæ, deinde singulis personis ecclesiæ, quibus quid legatum est. Tertio extenditur ad legata pauperum fisci, Reipubl. & pro redemptione captiuorum. Cum ecclesia enim & illa æquiparantur. Et in æquiparatis idem est ius, per gl. in l. si quis seruo alieno suaserit, in uerbo, corrumpi, & ibi Bart. C. de furtis. Doctor. ind. §. Ex maleficijs latissimè. D. Iason tamen impugnat illam extensionem per aliquas rationes. Dico sine iusta causa, Si enim hæres iustam causam retardationis probare poterit, non incidit in poenam dupli. Dico differt, Quia legatum statim debetur à die aditæ hereditatis, secundum Bart. in l. unica. C. de cad. toll. Illa ergo dies interpellat loco ecclesiæ. Quare si hæres usq; ad iussum magistratus solutionem differt, incidit in poenam l. magnam. C. de contrah. & committ. stip. Dico solutionem, Quia legatarius potest hæredem arctare ad iurandum, uel ad soluendum.

**CAUSA** istius Actionis est delictum, mendacium scilicet uel dolus in differendo solutionem.

Tertia Actio in duplum est Actio l. Aquiliæ de damno dato, quæ tum demum in duplum datur, si Reus negauerit se damnum dedisse, contra confitentem agitur in simplum.

In Triplum datur Actio condictitia ex lege, contra eos, qui dolo se maiorem ueræ æstimationis quantitatem libello inserunt, ut litium exequutores amplio rem sportularum summam inde exigere possint. Dico condictitia ex lege, Quia hæc Actio non habet proprium nomen, sed datur ex lege quadam ueteris Codicis, quæ iam non extat. Dico dolose, Si enim per errorem uel temeritatem, non augendi sportularum summam, Actor suam petitionem maiorem fecisset, non haberet locum hæc Actio secundum glo. in uerbo, in libello. §. Tripli. hic titulo nostro. Dico maiorem ueræ æstimationis quantitatem, Quia olim dabantur executoribus Citationum salaria, secundum quantitatem summæ in libello petitæ, & reus tenebatur soluere illa salaria, ut in d. §. Tripli, & in Authentica generaliter. l. i. C. de Episco. & Cleric. Si ergo Actor in libello maiorem ueræ æstimationis quantitatem inferebat, ob id quod Reus cogebatur præstare executoribus maiorem summam nomine sportularum, tenebatur ad triplum illius, quod per exequutores plus exigebatur. Hodie tamè hoc non est in usu, sed



Sportulæ soluuntur secundum consuetudinem Iudiciorum, uel longitudine itineris, secundum d. gloss. in uerbo, in libello, & Authentica, sed hodie. C. de Episc. & Cler. Quòd dico Executores, tu intellige de ministris, quibus Citationes committuntur, de quibus tractat §. noster hic. De alijs speciebus executorum, uide Iaso. in §. Tripli, in prin. hic titulo nostro. Dico nomine sportularum, Quia sportulæ dantur salaria, quæ dantur nuncijs Iudicis, Sed hæc Actio hodie non est in usu. Quare uoluimus breuiores esse. In quadruplū datur Actio uibo norum raptorum, de qua supr. eod. Et tantum de Actionibus quæ ex delicto siue facto alicuius proprio oriuntur. Sequitur de illis quæ ex facto seruorum, siue lasciuia animalium originem trahunt.

Actiones autem quæ ex facto seruorum siue animalium lasciuia oriuntur, sunt duæ, Actio noxalis, & Actio, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

#### DE ACTIONIBVS NOXALIBVS.

Actiones noxales, sunt Actiones personales in rem scriptæ, & dantur ex delicto serui contra dominum, ut sufferat litis æstimationem, uel det seruum pro noxa. Et dicuntur noxales, quia ipsum delictum serui Noxia dicitur. Corpus autem nocens, hoc est, seruus dicitur noxa, ut infr. de noxa. actio. in prin. Dico Actiones personales, quia oriuntur ex obligatione, Obligatio autem ex delicto. Dico in rem scriptæ. Quia istæ Actiones sequuntur seruum à quocunq; fuerit possessus. Transit enim cum suo uitio. Si uerò seruus fuerit manumissus, ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. §. Omnis, infr. de noxa. actio. l. Noxalis autem. ff. eo. Dico ex delicto serui. Quia si cuti dominus obligatur ex cōtractu serui, quatenus est in peculio, Itæ quoque obligatur ex eius delicto, in quantum corpus serui æstimari potest. Ultra enim non tenetur. Dico ut sufferat æstimationem damni, uel det seruum pro noxa. Quia dominus, cuius seruus deliquit, habet illam electionem in solutione, quod potest uel damnum resarcire, uel seruum dare pro noxa, ut liberetur. Licet Actor in suo libello non debeat petere alternatiuè æstimationem scilicet uel seruum, sed tantum æstimationem. Quia seruus non est in obligatione, licet sit in solutione. §. Dominus. infr. de noxa. actio. Hoc tamen fallit, quòd scilicet dominus non habet electionem. Primò, si sciuit, & prohibere seruum potuit, ne delinqueret, nec tamen prohibuit, tunc enim tenetur in solidum. l. ij. C. eod. Secundò, si quis mandauit alteri, ut certum seruum sibi emeret mandanti, & is postea mādatarario furtum fecerit, tenetur mandans in solidum emendare damnum. l. si seruus communitis. §. Quod uerò. ff. de furtis. Tertiò, in delictis publicis, uel etiā priuatis, criminaliter tamen intentatis, Ibi enim punitur seruus delinquens



quens in corpore, secundum dispositionem iuris, l. pe. in fi. C. eo. l. i. §. Cum seruus. ff. de ijs qui deie. uel effud. Quartò, si dominus negauerit seruū esse in sua potestate, l. quoties §. Prætor ait. ff. eo. Hæc autem actio non habet proprium nomen, sed potius est adiectio, ut Actio noxalis furti, actio noxalis ui bonorum raptorū &c. Hinc est, quòd interdum est ciuilibis, interdum prætoria. Ciuilibis est, si seruus fuerit fur non manifestus, uel dederit damnū ex l. Aquil, uel realiter iniuriam commiserit, quia illæ Actiones ciuiles sunt. Prætoria uerò est, quando seruus commisit furtum manifestum, uel bona alicuius rapuit, uel conuitium alicui dixerit, Quia illæ Actiones principales per se prætorix sunt, quarū naturam sequitur Actio Noxalis, tanquam accessoria.

Datur aut hæc actio heredi & in heredē, non tamen Iure successione, sed iure possessionis & dominij. Exemplū. Vt si dominus serui haberet plures filios heredes, post eius mortē tātūm is conueniret actione noxali, qui dominium & possessionem esset consecutus in seruo. Reliqui autem ut heredes non tenerentur.

Extinguitur autem hæc Actio, Primò, si seruus fuerit manumissus. Secundò si fuerit mortuus, l. Electio §. si is quem, ff. eo. Nā si dominus sciens non prohibuerit, tum enim ipse tenetur in solidum, & hæres quoque, si cum domino lis fuerit contestata, l. Si plurium, in fin. ff. eod.

#### DE ACTIONE, SI QUADRVES PAU-

periem fecisse dicatur.

Actio si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, datur cōtra eū, cuius quadrupes ex lasciuia, feruore, uel feritate cōtra naturā sui generis, nullius hominis instinctu aut culpa intueniēte, damnū dederit. Et dicitur pauperies damnū sine iniuria facientis datū. Animalia enim cū careant ratione, non possunt dici iniuriā facere. l. i. §. Ait prætor. ff. eo. & §. Ceterum. infrā eo. Dico contra naturam sui generis. Primū ideo, quia hæc actio locū habet pro dā-  
Pauperies  
quid.
 no in mansuetis animalibus dato, quæ de sui natura regulariter nemini nocent. Si aut à fera bestia alicuius damnū detur, non habet locū hæc actio, præsertim directa, ut si quis ursum foueret, et is euadendo daret damnū, non tenetur is, cuius fuit ursus, modò culpa eius non euaserit. Statim enim postquam fera euasit nanciscitur libertatem naturalē, & desinit in prioris dominio esse. Fe-  
 ræ igitur bestię, cum seq. supr. de rerū diuisio. Adiles tamen prohibuerunt, ne quis canem, uerrem, aprum, ursum, uel similem bestiam ibi habeat, quā uulgo solet iter esse. Si uerò cōtra fuerit factum, & liber homo perierit, damnatur dominus in 200. aureis.



Si autem libero homini nocuerit, in tantum condemnatur, quantum Iudici æquum uidebitur, habita scilicet ratione expensarum in curatione factarum, & operarum amissarum. l. Ex hac. ff. eo. Cæterarum uero rerum damnum datum uel factum in duplum resarcitur, & nihilominus potest agi utili pauperie. §. si. infr. eo. Secundò dicitur contra naturam sui generis, quia si secundum suam naturam damnum dederit, ut si canis carnem alicuius comederit, uel pecora tua glande uel herba aliena pascerentur, non habebit locum hæc Actio, sed actio de pastu pecoris. l. Quintus. §. si. ff. ad l. Aquil. l. Qui seruandarum. §. si glans. ff. de præscriptis uerb. Dico nullius hominis instinctu, aut culpa. Si enim animal ad dandum damnum dolo, culpa, imperitia, siue imbecillitate alicuius hominis fuerit commotum, cessat hæc actio. Et habebit locum aut actio in factum, aut actio l. Aquil. §. Impetu, supra de lege Aquilia. Et sicut in proxima actione noxali liberatur dominus dando seruum pro noxa, Ita quoque hoc casu dominus quadrupedi liberatur, dando quadrupedem pro pauperie, modo tamen dolus abfuerit. Est autem duplex, Directa, & utilis. Directa datur ex uerbis & mente legis, quando scilicet quadrupes dedit damnum. Utilis uero datur ex mente legis tantum, quando scilicet bipes dedit damnum etc.

CAUSA istius Actionis est obligatio, quæ oritur ex delicto, pauperie scilicet. Et sicut actio noxalis datur contra quemuis possessorem serui qui noxam dedit, Ita quoque hæc actio contra quemuis possessorem quadrupedis. Transit enim quadrupes cum suo uitio. Et hinc est quod datur hæredibus, & contra hæredes iure scilicet domini & possessionis, non autem iure successionis. Extinguitur autem hæc actio morte quadrupedis &c. Et tantum de Actionibus quæ ex delicto descendunt. Dicemus nunc de ijs, quæ descendunt ex contractu.

### ACTIONVM QVAE EX CONTRA-

ctibus oriuntur, diuisio.

Quæ autem ex contractibus oriuntur Actiones, subdividuntur. Quædam enim non tantum dantur contra ipsum contrahentem, sed etiam contra eum, qui contrahentem habet in potestate, patrem & dominum. Et illarum quædam dantur peculiotenus contra patrem & dominum, ut est Actio de peculio. Quædam in solidum, ut infra.

### DE ACTIONE DE PECVLIO.

Actio de peculio est, qua petimus à patre uel domino, ut soluat pro filio uiuente, uel seruo nobis ex contractu obligato, quatenus est in peculio. Hæc Actio secundum communem opinionem dd. non est proprie distincta species Actionum per se, sed potius adiectio si ue qua-



ue qualitas Actionum, ex quibus oritur. Agitur enim contra dominum uel patrem ex eo contractu qui celebratus est cum filio, uel seruo, adiecta illa qualitate, ut soluat eatenus, quatenus est in peculio. Quod autem dico in definitione, petimus à patre uel domino, ut soluat pro filio uel seruo, & c. est omnino contra Ius ciuile. Per id enim expressè depositum erat, quod pater pro filio, dominus pro seruo, & econtra conueniri non possunt, ut habetur per totum titu. Ne filius pro patre. Sed prætor ex mera æquitate hanc Actionem introduxit, considerans quod pater uel dominus interdum expressè uel tacite filio aut seruo peculium concedit, quod censetur quoque quasi proprium filiorum uel seruorum patrimonium, Ideò si contrahunt, uidentur contrahere cum consensu & uoluntate eorum qui concesserunt peculium. Hinc est quod pater uel dominus ex contractu filij uel serui tenetur etiam ignorans & inuitus. Imò prohibens cum eo contrahere. l. si quis seruum, in ff. de peculio. Dico à patre uel domino, Quia hodie ex contractu filij & serui oriuntur duæ actiones, una est quæ datur contra ipsum filium uel seruum contrahentem in solidum ex suo contractu. Ad eò quod si in solidum non fuerit soluendo, deturdi possit in carcerem. Nisi se liberauerit cedendo bonis, l. Cum et filij familiars. C. qui bonis cedere possunt.

Alia Actio datur contra patrem uel dominum, non tamen in solidum, sed eatenus, quatenus est in peculio, ut hic. Deducit tamen pater conuentus, uel dominus de peculio in primis æs alienum quod sibi debetur, uel illorum qui sunt sub sua potestate uel gubernatione, modo tamen aliunde debitum suum consequi non possit, nec indemnitati suæ consulere. l. si noxali §. Idem rectè, & §. Quod autem ff. de peculio. Dico in definitione, pro filio uiuente, quia si pater conueniretur pro filio mortuo, teneretur hodie non tantum quatenus esset in peculio, sed in solidum. Maximè in aduentitijs, castrensibus & quasi castrensibus peculijs. Quæ hodie post mortem filij occupat, non ut peculia, sed ut hæreditatem. Si ergo uult esse hæres, satisfaciat creditoribus, per uulgaria & c. In peculio tamen profectio etiam hodie multum immutatum est. Ideoque mortuo filio conuenitur pater in eo, quatenus est in peculio. Vide gl. in l. Pater q. castrense, in uerbo, testamento. ff. de castrensi peculio. Dico ex contractu obligato. Quia pater & dominus proprie tenentur de peculio. Si filius uel seruus contraxerit, uel quasi contraxerit, uel si gesserit alicuius negotia sine mandato. l. si filius fam. ff. de neg. gest. In delictis differentia est inter patrem & dominum. Quia si seruus deliquit, uel noxam resarcire potest, uel seruum dare pro noxa, ut infra audiemus de noxalibus actionibus. Hoc non est in filio, qui non potest dari pro noxa, si deliquerit.

Sed



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Sed pater interdum ex delicto filij conueniri potest, quatenus est in peculio. Vide gloss. hic in uerbo, ipso iure, & quæ notant Docto. Di-  
co quatenus est in peculio, ad differentiam Actionum de in rem uer-  
so, quod iussu, exercitoria, institoria, tributoria, quæ quoq; dantur  
contra patrem & dominum, ex contractu filij uel serui, non autem  
peculiotenus, sed in solidum. De quibus infra. Actio autem de pecu-  
lio non datur contra patrem &c. in solidum, sed quatenus peculium  
patitur. Et in hoc inspicitur tempus sententiæ, quantum scilicet tunc  
fuerit in peculio. Nam etsi ab initio litis nihil, aut parum in peculio  
extiterit, Tamen si id postea tempore sententiæ fuerit auctum, tene-  
tur pater &c. de aucto peculio. Sed creditor tenetur probare pecu-  
lium extare, et ex eo satisfieri posse, uel in totum uel in partem. Si quo-  
que Actor semel actionem intentauerit, & succubuerit, quia tum  
multum erat in peculio, iterum agere poterit peculio aucto. Vide lo-  
an. de Plat. hic. Quæ autem huc usq; diximus, tu intellige de peculio  
profectitio, hoc est, de eo, quod filius fa. uel seruus ex rebus patris uel  
domini acquisiuit. De castrensi enim uel quasi castrensi pater non te-  
netur filio uiuente, sed ipse filius conuenitur tanquam pater fa. cum  
in eis habeat plenum dominium, tam proprietatem quam usufru-  
ctum, pater autem administrationem. l. iij. cum similibus. §. Actio  
num. ff. de cast. pecul. Mortuo uero filio conuenitur pater in illis,  
non tamen ut in peculijs, sed ut in hæreditate filij. Si modò filius non  
reliquerit descendentes, ut diximus. In peculio autem aduentitio con-  
uenitur pater hodie, ut legitimus administrator, habet enim in ijs u-  
sum fructum, filio retinente proprietatem. l. 1. iuncta gl. cum similib.  
C. de bonis mat.

CAUSA efficiens istius Actionis est prætor, qui, ut supra dixi-  
mus, naturali æquitate motus, introduxit hanc Actionem, contra ius  
ciuile.

CAUSA materialis est ciuilis obligatio, habens effectum natura-  
lis obligationis, nec naturalis & ciuilis obligatio simul, ex quibus ali-  
quando oriuntur actiones &c. ueniunt autem ex contractibus, qua-  
si contractibus &c. Sed pater & dominus cum creditore filij uel ser-  
ui, neq; contraxit, neq; quasi contraxit, sed tenetur solum, quia præ-  
tor tanquam ciuilis magistratus ex quadam præsumptione præsu-  
mens scilicet patrem &c. contractui filij consensisse, hoc ita consti-  
tuit. Quare concludendum est, hanc actionem oriri contra commu-  
nes regulas ex sola ciuili obligatione. Et inde sequitur eam esse Nati-  
uam, & non Datiuam, quia ex ciuili obligatione nascitur. Estq; stri-  
cti iuris, non bonæ fidei, secundum Bart. in l. 1. ff. de pecu. Vide D. Ia-  
son. hic. Probat aut Actor primò contractum cum filio et seruo etc.  
quomodo



quomodo principalis obligatio orta est. Deinde extare apud patrē peculium, unde aliquo modo possit satisfieri.

## LIBELLVS.

Postquam compertum habebam, Titium filium Sempronij ex eius concessione habere peculium, quo possit negotiari, contraxi cum eo, putans patrem contractui consentire, uendidiq; ei 100. modios frumenti 30. aureis, quos tamen ab eo exigere non potui. Quia autē Sempronius in potestate eius tenet & possidet hoc peculium, Peto eum in prædicta summa 30. aureorum mihi condemnari, quatenus uires peculij patiantur. Quædam uerò dantur contra patrem & dominum ex contractu filij uel serui in solidum. Et sunt quinque, Actio quod iussu, exercitoria, institoria, tributoria, & de in rem uerso.

## DE ACTIONE QVOD IVSSV.

Actio quod iussu datur in solidum contra patrem & dominum illis qui cum filiofam. uel seruo eorum iussu contraxerunt. Dico contra patrem & dominum, quia dominus uel pater uidentur ipsi contrahere, quando iubent alium cum seruo uel filiofam, contrahere, Sequitur enim contrahens fidem iubentis. Ideo etiam tenetur in solidum, l. i. in princ. ff. quod iussu. Dico cum filiofamiliars, quia nihil refert, siue sit filius naturalis & legitimus, siue legitimus tantum, modò sit in potestate. Dico iussu, ad differentiam actionis de peculio, quæ datur contra patrem & dominum ex contractu filij uel serui, etiamsi contraxerint eis nescientibus. Iussus autem multis modis potest fieri, uerbis, nuncio, epistola, subscriptione, ratihabitione, uel alio quocunq; modo, quo quis contractum celebratum ratum habet. l. i. §. 1. & §. si ratum. ff. quod iussu. Item si dominus uel pater dederit seruo uel filio plenam ac liberam potestatem omnia faciendi, quæ ipse pater facere poterit. Est autem duplex hæc Actio, directa & utilis. Directa datur, quando quis contrahit cum seruo uel filiofamili. iussu illius, qui eum habet in potestate. Utilis uerò datur, quando quis contrahit cū libero homine, iussu illius, cui bona fide seruit, secundum Ioann. Fab.

CAUSA istius Actionis est obligatio. Obligationis autem causa contractus. Et nota istas Actiones quinque non esse propriè Actiones per se, sed adiectiones potius, Vt si seruus emit iussu domini, datur actio ex empto contra dominum, quia ipse iussit, & sic de alijs. Et hæc Actio est perpetua. l. Macedoniani. C. ad S. C. Maced. Idem dic de reliquis quatuor. Licet enim sint prætorix, nihilominus tamen sunt perpetuæ & transitorix ad hæredes, si modò principalis Actio, cui illæ cohærent, talis fuerit.

## DE EXERCITORIA.

Actio exercitoria datur in solidum contra dominum, qui consensit seruum



ENARRATIONES IN INSTITVT.

uum suum uel alienum, magistrum nauis præponi, ad hoc quod cum eo eius rei gratia, cui præpositus erat, contractum fuit. §. si igitur. Verf. Exercitoria. infrà, Quod cum eo qui in alie. potest. Et dicitur exercitoria, quia exercitor appellatur præponens, ad quem quotidianus quæstus nauis pertinet. Præpositus autem appellatur magister, cui gubernatio nauis permittitur. l. i. §. Magistrum. ff. de exercit. Act. Dico in solidum, ad differentiam Actionis de peculio, quæ tantum datur contra dominum ex contractu serui, quatenus est in peculio. Dico contra dominum, Quia cum eo quis contraxisse uidetur, qui contrahit cum eius præposito. l. i. in prin. ff. quod iussu. Dico qui cõsensit, quia si tantum scit seruum suum negotiari, non tamen consentit, non tenetur Actione exercitoria in solidum, sed actione de peculio. Requiritur ergo expressus uel tacitus domini consensus. Tacitus, ut quia sciuit, & aliquid fecit, unde eius consensus colligitur, puta quod accipiebat merces. l. i. §. si is qui in. Verf. sed si sciente. ff. eod. Et in hoc quoque differt ab Actione de peculio, in qua nec consensus, nec scientia requiritur, ut supra diximus. Dico seruum suum uel alienum, ad differentiam Actionis, quod iussu, in qua quis tenetur tantum ex contractu serui proprii. Dico magistrum nauis præponi, iterum ad differentiam actionis de peculio, quæ non datur ex certa negotiatione serui. Hæc autem habet locum, quando quis certo generi negotiationis præponitur. Dico eius rei gratia. Si enim ex alia causa, quam cui præpositus est, contraxerit, non tenetur dominus, licet teneatur ex eius delicto in nauis commisso, quia utitur opera malorum hominum. d. l. i. §. Magistratum, & ibi gloss. in uerbo, detur actio. ff. eod. gloss. in uerbo, eius rei. infrà, quod cum eo, &c.

Tacitus consensus.

DE ACTIONE INSTITORIA.

Actio institoria datur contrahentibus in solidum contra eum, qui seruum suum, uel alium quendam tabernæ uel negotiationi uniuersali propter quæstum præposuit, ad id, quod cum eo eius rei causa, cui præpositus est, contractum fuerit. Et appellatur institoria, quia qui negotiationibus præponuntur, institores dicuntur. §. si igitur. Verf. Institoria. infr. quod cum eo &c. Dico in solidum, ad differentiam actionis de pecu. & tribu. de qua infr. Dico seruum suum uel alium quendam, quia non attenditur conditio præpositi, utrum maior uel minor sit, liber uel seruus, masculus uel femina. l. sed et si quis. §. parui. ff. de Institor. actio. Si tamen institor fuit liber homo, tenetur & ipse ex suo contractu, non tantum præponens. Dico tabernæ, ad differentiam exercitoria actionis, quæ datur contra eum, qui seruum nauis præposuit. Dico, uel alij negotiationi, quia nihil refert cuicumque negotiationis generi quis præponatur, & quocumque loco, siue



sive certo sive incerto, semper enim institoria competit. l. cuiuscūq; §. 2. 3. 4. l. institor. ff. eod. etsi plures fuerint domini præponētes, qui-  
libet tenetur in solidum. Dico uniuersali. Si enim uni negotio tantum  
esset præpositus, non diceretur institor, sed procurator ad negotia,  
& competeret actio mandati. l. cuicumq; §. Labeo, iunct. gl. ff. eo. Di-  
co propter quæstum, quia requiritur quod negotiatio sit quæstuosa  
ad aliquod lucrum extrinsecus scilicet quærendum. l. si cum Villico.  
ff. eod. Ad exemplum tamen institoris quoq; obligatur dominus. l.  
In eum, in principio. ff. eodem. Quod dico, præposuit, tu simplici-  
ter intellige, sive quis ipse præponat, uel præponit iure, ut per procu-  
ratorem, tutorem &c. d. l. cuicumq;, in fin. ff. eod. Dico eius rei causa.  
Si enim quis cum institore alterius rei causa, quam cui præpositus est  
contraheret; non obligaret dominum, ut diximus in Actione proxi-  
ma. Dico contractum fuerit, quia dominus indistinctè obligatur ex  
contractu institoris sui, ita quod conueniri potest. Ipse tamen domi-  
nus præponens ex contractu institoris contra alium non potest age-  
re. Nisi institor sit eius seruus, uel si est liber homo, cedat ipsi præpo-  
nenti Actiones. Et ad hoc potest compelli Actione mandati, uel nego-  
tiorum gestorū, uel nisi institor abfuerit, uel sine hærede moreretur.  
Tunc enim in subsidium competeret domino Actio l. 1. in fin. cum l.  
sequen. & ibi Bart. ff. eod.

#### DE ACTIONE TRIBUTORIA.

Actio tributoria datur illis, qui domino sciente & non contradicē-  
te, contraxerunt cum seruo in merce peculiari contra dominum, ut  
pro rato cōtribuat inter se & alios creditores, quod est in merce, uel  
inde receptum, & minus distributum est. Et dicitur tributoria, quia  
cuilibet ex creditoribus debet pars peculij de eo quod superest, tri-  
bui. Dico domino sciente, & non contradicente, quia si eo ignoran-  
te seruus in merce peculiari contraxit, non habet locum tributoria,  
sed Actio de peculio. Et hoc casu dominus prius deduceret omne id,  
quod sibi debetur. l. iij. Vers. Quod si ipsum. ff. de trib. Item detrahe-  
ret quod deberetur personis subiectis, & de residuo quod superfue-  
ret, satisfit creditoribus. l. 1. in prin. ff. eod. Hoc autem priuilegium non  
haberet, si ageretur tributoria. Tum enim tanquam extraneus credi-  
tor uenit in tributum, id est, diuisionem illius mercis pariter cū alijs  
creditoribus. Et sic in Actione tributoria dominus est paris conditio-  
nis cum alijs creditoribus, nec habet aliquam prærogatiuam. d. l. 1. et  
§. Is quoq; infr. quod cū eo &c. Hoc tamen priuilegium habet domi-  
nus præ alijs creditoribus, quod petit sibi debitum ex quacūq; causa  
debeatur, tam ex persona sua, quam eius, qui in potestate cōstitutus  
est. Sed alijs creditores petunt solum creditum contractum ex merce,  
f

Prærogatiua  
domini.



nec præferuntur domino, ut prius eis soluatur, nisi recepissent pignora. Tum enim is, qui pignus habet, domino præferri potest. l. Procuratoris. §. sed est quaesitum. ff. eod. Et hoc uerum est, quod is qui pignus habet, alijs omnibus præferatur, etiam si res pignoratæ empræ essent ex pecunijs aliorum creditorum. d. l. procuratoris. §. Planè. Dico merce peculiari, Si enim ex merce dominica cõtraxisset seruus, competeret Actio institoria & tributoria. l. sed etsi pupillus. §. penul. ff. de Instito. actione. Dico contra dominum, quia requiritur quod sit contractum per eum qui est in potestate alterius uerè uel præsumptiuè, ut seruum proprium, uel alienum etiam, seu liberum hominem bona fide possessos, seu eum, in quo quis habet usufructum. d. l. 1. §. Potestatis. ff. de tributo. actio. Si autem nec uerè nec præsumptiuè in potestate fuerit, non datur hæc Actio, sed uel exercitoria, si negotiatio naualis fuerit, uel Actio institoria &c. ut suprâ dictum est. Dico contribuatur, quia suprâ dictum est hoc casu distribui interdum creditores serui, quicquid extiterit de merce peculiari. Tenentur tamè creditores cauere, si post illam distributionem alijs creditores postea apparuerint, se remissuros tantum, quod & illi possint habere suam partem. d. l. Procuratoris. §. Tributio, cum l. seq. ff. eo. Alias differentias inter Actiones, tributoriã, de peculio, exercitoriã, & institoriam, audiemus in textu, in §. Cæterum. infr. Quod cū eo, qui in alie. potestate.

## DE ACTIONE DE IN REM VERSO.

Actio de in rem uerso datur contra dominum, quatenus in rem eius uersum est, quando seruus eo ignorante, siue etiam inuito cõtraxit. Quod dico dominum, tu extende ad patrem. Omnia enim quæ in his quinq; Actionibus de seruis & dominis dicta sunt, extēdi quæque debent ad filios, filias, nepotes & neptes &c. qui in potestate patris uel aui sunt, & eis nescientib. siue etiam inuitis contraxerunt. Dico quatenus in rem eius uersum est. Primò, ad differentiam Actionis de peculio, in quo agitur contra dominum uel patrem, quatenus est in peculio. Deinde ad differentiam Actionum ex iussu exercitoria & institoria, quæ dantur contra dominum in solidum, hæc autem quatenus in rem eius uersum est. Dicitur autem id in rem eius uersum esse, quod seruus &c. conuertit in rem necessariam domini, ut si acciperet pecuniam mutuò ad satisfaciendum creditoribus domini. l. iij. §. In rem. ff. eod. Vel ut domum domini urentem reparet, uel meliorem faceret. Secus si ornaret expensis uoluptarijs, ut picturis &c. quia tum non dicitur uersum in rem domini, nisi ex mandato uel uoluntate domini id fieret. Secundò differt ab exercitoria & institoria Actione, quia illæ dantur, quando certum genus negotiationis est determinatum. Hæc autem quando nullum est determinatum. Dico



Dico eo ignorante. Iterum ad differentiam Actionū quod iussu, exercitoria & Institoria, quæ scilicet dantur quando ex uoluntate uel consensu domini contractum est in merce nauali, uel terrestri. Hæc autem quando domino inuito uel ignorante seruus contraxit, secundum Ioan. de Plat. hic. Et regulariter toties Actio de in rem uerso dari potest, quotiens procurator Actionem mandati, uel negotiorum gestorum Actionem haberet. d. l. iij. §. In rem. uers. Et regulariter. ff. eod. Et nota hic obiter Actionem tributariā, & de in rem uerso non dari in solidum, sed tributariam dari ad distributionem, ut dictū est. De in rem uerso uerò, quatenus est in rem domini uersum. Ioan. de Plat. refert hic dist. Iacob. Butrig. ex qua breuibus potest deprehendi differentia istarum v. Actionum inter se, hoc modo. Aut contractus est celebratus per seruū super re dominica, uel paterna. Et tunc, Aut fuit negotiatio naualis, & habet locum exercitoria. Aut non fuit naualis, & datur Institoria. Aut contractus celebratus est, non ex re domini, uel patris, sed ex re peculiari. Et tunc si seruus contraxit domino sciente & iubente, datur Actio quod iussu. Aut solum domino sciente, non autem iubente, & habet locum Actio tributaria. Aut contraxit domino ignorante uel inuito. Et tunc, Aut aliquid est uersum in rem domini. Et datur Actio de in rem uerso. Aut nihil est in rem eius uersum, & datur Actio de peculio. Dictum est supra de Actionibus personalibus, quæ dantur non tantum contra ipsum contrahentem, uerum etiam contra eum, qui habet cōtrahentem in potestate. Nunc de illis dicemus, quæ contra ipsum contrahentem dantur. Et illarum quædam sunt merè personales, quædam uerò mixtæ.

Actiones mixtæ, de quibus hic loquimur, sunt tam reales, quam personales. Sunt autē triplices. Quædam enim mixtæ dicuntur ideo, quia sunt rei persecutoria, & pœnæ persecutoria simul. De quibus in §. Sequens. hic tit. nostr. De quib. sup. diximus. Quædam uerò mixtæ dicuntur ideo, quia non potest discerni, uter in eis sit Actor uel reus. Et sunt tres Actiones, familiae herciscundæ, communi diuidendo, & finium regundorum. Item quod ad interdicta, ut uti possidetis, & utrobi. Quædam uerò ideo dicuntur mixtæ, quia sunt tam reales quam personales, ut prædictæ tres Actiones, secundum Ioan. de Plat. & D. Ias. in §. Quædam Actiones. hic tit. nostro. Et illæ licet dicantur mixtæ, reales scilicet, & personales, hoc tamen tantum debet intelligi considerato fine & effectu illarum. De sui enim origine, siue causa sunt merè personales, quia oriuntur ex quasi contractu. §. Item si inter aliquos. sup. de oblig. quæ ex quasi contractu nasc. Differunt itaq; illæ tres Actiones mixtæ ab Actionibus personalibus in rem scriptis, quod illæ sunt personales origine, & tamen ex propria



ipsarum natura habent effectum Actionum Realium.

Actiones autem personales in rem scriptæ sunt continuè personales, id est, tam origine, quàm fine, & tamen ex quadam æquitate, & nõ ex propria ipsarum natura conceduntur contra quoscunq; possessores, ut potest deprehendi ex Actione ad exhibendum. Alias differentias uide apud D. Ias. in d. §. Quædam actiones. Dixi autem Actiones mixtas esse tres, familiæ herciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum.

### DE ACTIONE FAMILIÆ herciscundæ.

Actio familiæ herciscundæ datur contra hæredem, qui sine iusta causa cohæredi negat diuisionem rerū hereditariarum de sui natura diuisibiliū, quas pro indiuiso possidet, ut diuidat, præstetq; Interesse, ut colligitur ex l. ij. ff. eod. Et dicitur familiæ herciscundæ, id est, hereditatis diuidendæ. Familia enim hereditatem significat. §. Accelsit, iuncta glo. in uerbo, familiæ. supr. de testa. Et hercisco significat diuido. Dico contra hæredem, quia hæc Actio non habet locum nisi inter hæredes. Interdum tamen datur quoq; contra eum, qui nõ est hæres, ut si pater habens duos filios, unum instituat hæredem in modica quãtitate, & alteri faciat inofficiosam donationem, ultra drantem etiam, id est, ix. uncias, uel partes hereditatis, is qui hæres institutus est, potest Actione familiæ herciscundæ contra fratrem suum donatarium ad diuisionem & supplementum legitimè agere. l. ij. C. de inoffi. donat. Deinde datur quoque contra eum, cui cohæres uendidit suam partem. l. hæredes. §. si testator. ff. eo. licet non detur contra titulo possidentem, ad similitudinem petitionis hereditatis. Dico sine iusta causa. Quia si hæres iustè recusaret diuisionem, ut quia lapsi essent xxx. anni, & præscriptum esset, hæc Actio non compereret, secundum glo. in d. §. Quædam Actiones, in uerbo, familiæ. Dico cohæredi. Quia hæc Actio non datur nisi inter cohæredes uel eos, inter quos dolo factum est, quo minus sint cohæredes, ut iam dixi de inofficiosa donatione. Ante omnia autē iudex inquirere debet, an sint cohæredes, alioqui cessat hæc Actio. d. l. i. in fin. ff. eod. Dico ad diuisionem rerum hereditariarum, ad differentiam Actionis communi diuidundo, quæ competit etiam pro diuidendis alijs rebus communibus particularibus. l. quibus. ff. pro socio. Et sic differunt familiæ herciscundæ, & communi diuidundo, quòd illa datur pro ueritate, & sic hereditate, Hæc autem pro singulis rebus diuidendis. Item illa tantum semel competit, hæc autem sæpius. Dico de sui natura diuisibilium. Vt primò sunt res corporales, quæ commo-



dā recipiunt diuisionem, ut fundi, domus, numerata pecunia, suppellex. Si autem res corporalis diuidi non potest, ut quia est species certa, puta equus, bos &c. adiudicatur tota res uni, qui grauatur in danda pecunia alteri, ut fiat æqualitas. §. quædam Actiones, cum similibus. hic tit. nostro §. si familiæ. infr. de offic. iud. Idem dic de nominibus debitorum, quæ quoq; non ueniunt in Actione familiæ heriscundæ, Quia lex 12. Tabul. alioqui fecit diuisionem, quod scilicet quilibet hæredum pro sua portione habeat Actiones hæreditarias actiuas & passiuas. l. ea quæ. C. eo. Idem quoq; Iuris est in alijs rebus incorporalibus, ut seruitutibus quæ sui natura sunt indiuiduæ. l. stipulationes non diuiduntur, in princ. ff. de uerbo. oblig. Excepto usufructu qui diuiduus est, & uenit in Iudicio familiæ heriscundæ. l. sed et si usucapio. §. V usufructus, cum duabus ll. sequ. ff. eo. Dico pro indiuiduo possident, Si enim à testatore uel partibus facta esset diuisio, non haberet amplius locum diuisio in Iudicio, sed standum esset diuisioni testatoris uel partium. l. i. ff. eo. Dico, præstetq; Interesse, Quia in hac Actione ueniunt quoq; fructus. l. Inter cohæredes §. fructus. ff. eodem. Item sumptus bona fide facti. l. iij. §. Planè, iuncta l. sequ. ff. Comuni diuidun. l. his consequenter. §. sumptum. ff. eod. Itē ueniunt damnata ab uno hærede. l. Et puto. §. sed et si dolo, cum l. sequ. ff. eod. Est autem duplex, Directa, & Vtilis.

Directa datur hæredibus de Iure ciuili. Vtilis uerò datur bonorū possessoribus de Iure prætorio, & quoq; illis quibus hæreditas restituitur ex S. C. Treb. ut fideicom. hæredib. l. sed & eius. ff. eod.

CAUSA istius Actionis est obligatio. Obligationis autem illius causa est quasi contractus. Hæredes enim inter se quasi contraxisse uidentur. §. Item si inter aliquos. supr. de oblig. quæ ex quasi contra.

#### DE ACTIONE COMMUNI DIUIDUNDO.

Actio communi diuidundo inter eos qui res corporales particulares de sui natura diuisibiles ex aliqua causa habent communes, & pro indiuiso possident, datur ad diuisionem, personalesq; præstationes. Dico res particulares, ad differentiam Actionis familiæ heriscundæ, in qua agitur ad diuisionem rerum uniuersalium, ut suprā diximus. Dico corporales, Quia iura incorporalia, ut seruitutes, in hac Actione non ueniunt, ut l. Arbor §. Aquarū. ff. Com. diuid. Et in hoc conuenit cum famil. herisc. Tu uide quæ dixi circa proximā Actionem. Dico de sui natura diuisibiles. Si enim res diuidi non potest, adiudicat Iudex uni totam rem, alteri precium suæ partis. l. Ad officiū. §. Cum autem. C. eo. Dico ex aliqua causa, Quia si reus solus possidet rem communem, nec uult diuidere, tenetur Actor exprimere causam



*Nemo inuitus  
in communione  
manere cogi  
potest.*

*Ex societate  
res communis.  
Sine societate  
res communis.*

communione. Est enim hæc actio quasi quædam rei uendicatio, & competit in omnibus casibus in quibus rei uendicatio locum habet, non tamen econtrà. Si autem uterq; possidet, non est necessaria causæ communis expressio, sed sufficit expressio uoluntatis uolendi in cõmunione perseverare. Nemo enim inuitus in communione manere cogi potest. l. si. cum similib. C. eo. exceptis tamẽ quibusdam casibus, quos uide in glo. d. l. si. C. eo. Dico communis simpliciter, quia nihil refert, ex qua causa res communis sit, an cum societate uel sine societate. Vtroq; enim casu actio communi diuidendo datur. Ex societate autem dicitur communis, quando duo pariter eandem rem emũt, sine societate uerò, quando eadem res duob. legata esset. l. ij. ff. eod. Dico pro indiuiso, quia si extra iudicium diuisæ essent, non haberet locum hæc Actio. In certis autem casibus præsumitur facta diuisio, ut si duo fratres tenuerunt bona tanquam diuisa, pro quibus quilibet per se soluit collectas & onera, præsumitur facta diuisio, glos. in l. si maior. C. eod. Dico possident, quia ad hoc ut hæc actio competat, sufficit possessio rei communis, mediante tamen aliquo iure reali. Hinc est, quòd si duo fuerint in possessione rei ex causa pignoris conuentionalis uel prætorij, possunt inter se diuidere res communes oppigneratas, saluo tamẽ iure debitorum. l. communi diuidendo. §. Inter eos. ff. eod. Duo autem bonæ fidei possessores sine iure reali non diuidunt, secundum Ioan. de Plat. Dico ad personales præstationes, quia in hac Actione ueniunt sumptus facti, fructus. Item negans diuisionẽ tenetur si res communis eius culpa uel dolo facta est deterior. l. si maior. §. Idem eorum. C. eo. Et in hoc cõuenit cum Actione familiæ herciscundæ, conuenit quoq; cum ea quo ad præscriptionem &c. sed de ea sunt opinioniones uariæ. Sunt autem multæ aliæ differentiæ inter Actionem familiæ herciscundæ, & communi diuidendo. Primò, quòd illa datur tantum hæredi, hæc autem consortibus alicuius rei, ex quacumq; causa sit communio. Secundò, illa datur pro rebus uniuersalibus, hæc autem pro particularibus. Tertiò, illa tantum semel regulariter intentatur, hæc autem sepius. Quartò, in illa ueniunt etiam res depositæ, commodatæ & similes, licet non sint hæreditariæ, in hac autem non. Quintò, illa datur etiam non possidenti, hæc autem regulariter tantum datur possidenti. Sextò, in illa statim mota lite prohibetur alienatio rerum, in hac autem non, nisi post litem contestatam. Deinde differt quoq; ab Actione pro socio. Primò, qd Actio pro socio nõ datur nisi præcesserit tacita uel expressa conuentio societatis. l. ut sit pro socio, cū duabus ll. sequentibus. ff. pro socio. Actio autem cõmuni diuidendo datur etiam si ex incidenti res fiat cõmunis. d. l. ij. ff. eo. Secundò, Actio pro socio non semper datur ad diuidendum, sed quandoq;

ad



ad communicandum. l. duo societatem. ff. pro socio. Communi uerò diuidendo simpliciter datur ad diuidendum, cōueniunt tamen quo ad personales præstationes &c. uide Ioan. de Plat. Est autem duplex hæc Actio, Directa & Utilis. Directa datur illis qui habent alicuius rei corporalis dominium directum. d. l. per hoc. ff. eod. Utilis uerò datur illis qui habent utile dominium, uel quasi dominium. uide Azo. in sum. sua. C. eod.

CAUSA istius Actionis est obligatio. Obligationis autem causa est quasi contractus.

#### DE ACTIONE FINIUM REGVNDORVM.

Actio finium regūdorū datur illis, qui habent prædia rustica confinia contra uicinum possessorem ad cōstitutionem nouorum terminorum, uel restitutionem antiquorum, & ad præstandum interesse. Dico illis qui habent prædia, quia hæc actio primū datur dominis prædiorum directis & utilib. Deinde datur quoq; emphiteutæ, usufructuario, proprietario, creditorib. pignorū, & similib. l. 4. §. finiū. ff. eo. Dico prædia rustica, ad differentiam prædiorū urbanorum, quæ non sunt confinia, sed uicina, & communib. parietib. plerunq; determinantur, nec competit hæc actio. d. l. 4. §. hoc iudicium. ff. eo. nisi ædificiū esset loco termini, quia tunc idem iudicatur de ædificio, quod de termino, & habet locum directa actio, scilicet finiū regundorū. l. 2. ff. eo. Dico confinia, iterum ad differentiam prædiorum urbanorū, quæ non dicuntur confinia, sed uicina. d. l. 4. §. hoc iudicium. ff. eo. Dico ad cōstitutionē nouorum terminorum, quia si prædia terminis distincta nō fuerint, accedat iudex personaliter, ut res demonstratur, et tunc sumptibus partium per agri mensorem diuidat, terminosq; secundū illius declarationē ponat. l. si irruptione, cum similib. ff. eo. Iudex autē debet sequi antiquos terminos, nisi noui apparuerint legitimè constituti. l. in finali, cum similib. ff. eo. Et si per his admittit probatio per libros antiquos, testes seniores, et quoq; famam, ut notatur in c. cum causam, extrā de proba. Vbi autē esset obscuritas, & cōmodè terminari non posset secundū antiquos terminos, potest Iudex ex prædio alterius alteri adiudicare, cum damnando in pecuniam dandā ei, cui pars prædij ablata est. l. 2. in fi. iunc. l. seq. ff. eo. In his tamen iudicijs finalibus per inspectionem oculorum terminandis non requiritur solennitas ordinis iudiciarij. Potest enim procedi sine libello & sine litis contestatione, altera parte cessante, uel absente. l. 3. C. eodem. Dico ad restitutionem antiquorū, quia si termini euulsi fuerint, agi potest ad restitutionem. Euellens autem criminaliter puniri



potest. l. 4. §. si dicat. ff. eo. Et competit hæc actio non tantum pro rebus incorporalibus, uerum etiam pro iuribus. incorporalibus, cuiusmodi sunt iurisdictiones. c. super eo, extra de parro. Possunt enim domini hac actione agere ut ponantur limites, et separentur territoria, etiam inuitis illis, qui prædia possident. Regulariter tamen iurisdictionum limites solent esse flumina, montes, paludes, uel etiam certæ arbores ibi natæ, quæ solent communes esse, id est, utriusque. Et huiusmodi limites iurisdictionum, prouinciarum diocesis, parrochiarum, &c. non præscribuntur, etiam longissimo tempore, si modò possunt probari per antiquos libros, testes seniores, famam uel alia adminicula. d. c. cum causam, extra de pro. Alioqui tam præscribuntur alij fines spacio xxx. annorum. l. si. C. eo.

*Limites iuris  
dictionum.*

De maleficijs autem in medio duorum cõfinium commissis, dicitur quod is præfertur, coram quo lis primò contestat, seu qui primò præuenit. de quo uide Ioan. de Plat. hic. Dico ad præstandum interesse, quia in hac actione etiam ratio habetur illius quod interest. Ideoque si quis aliquam utilitatẽ ex eo loco perceperit, quæ uicini esse apparet, conueniri potest post litẽ contestatã, fructus quoque ueniunt. Ante litis autem contestationem fructus percepti non ueniunt, si modò bona fide percepti & consumpti fuerint, si autem mala fide perceperit, condici poterint. d. l. 4. In iudicio, cum sequitur. ff. eodem. Differt autem hæc actio ab actione communi diuidendo, quod in communi diuidendo causa possessionis & proprietatis regulariter non cumulantur. In finium autem regundorum actione, iudex super finibus aditus cognoscit de omnibus. Primò, de causa possessionis. Secundò, de causa proprietatis. Et deinde per se, uel per agri mensorem expensis partium litem terminabit, fines diuisorios apponendo. l. si quis super iuris. C. eod.

*Actiones merè  
personales.*

CAUSA istius Actionis est obligatio. Obligationis autem illius causa est quasi contractus. Actiones autem merè personales, quæ dantur contra ipsum contrahentem, sunt duplices: Quædam dantur in solidum, Quædam uerò in quantum reus facere potest. Posteriores sunt quinque. Prima actio de dote, qua mulier contra maritum. Secunda, si quis egerit cum parente, uel patrono suo. Tertia actio pro socio. Quarta, si quis conuenitur ex donatione sua. Quinta, quando agunt creditores contra eum qui celsit bonis.

#### DE ACTIONE DE DOTE.

Circa actionem de dote notabis, quod olim fuerunt duæ Actiones quæ cõpetebant pro dote, Actio rei uxoris, et actio ex stipulatu. §. fuerat, infr. eo. Hodie autem Actio rei uxoris transfusa est in actionem ex stipulatu cum omnibus suis qualitatibus, qua petitur & re-



& repetitur dos. Et priusquam ad istius Actionis definitionem perueniamus, de eius priuilegijs pauca dicemus.

Et primò, quòd datur Actio ex stipulatu, siue dos sit certa siue incerta, Item siue sit per stipulationem promissa, siue simpliciter, siue etiam omnino non promissa. Fingit enim lus stipulationem interuenisse, etiam si nulla interuenerit. Retinet quoq; hæc Actio naturã Actionis rei uxoriæ, in cuius scilicet locum surrogata est. Ideoq; censetur inter Actiones bonæ fidei, licet alioqui sit stricti Iuris, d. §. fuerat. Nisi extraneus dederit dotem, & stipuletur eam sibi reddi, tamen enim esset stricti Iuris, secundum Iaso. in d. §. fuerat.

Secundò habet mulier tacitam hypothecam in reb. mariti pro dote sua, & ecòtrà maritus in reb. uxoris. Et hoc adeò uerum est, quòd etiam procedat si res dotalis fuerit euicta, per tex. in l. unica. §. 1. in uerbis, uel reb. dotalibus euictis, & ibi Bar. C. de rei ux. act. Idem quoq; iuris est in donatione propter nuptias, & in bonis paraphernalibus per tex. in l. ubi adhuc, in prin. C. de iure dot. glo. super rub. C. de pactis conuentis. Et hoc priuilegium non competit ipsi mulieri, sed actioni ex stipulatu, id est, non est personale priuilegium, ideoq; trãsit ad quemcunq; mulieris successorem in dote. Tertiò habet mulier priuilegium prælationis, quod scilicet præfertur omnibus alijs creditoribus mariti, d. §. fuerat, & l. alsiduis. C. qui potio. in pig. hab. Hoc tamen uerum est de illis creditoribus qui aut nullam omnino, aut tantum tacitam hypothecam in bonis haberent. Secus autem in his qui habent expressam hypothecam & priorem, secundum doct. in d. l. alsiduis. Item procedit hoc priuilegiũ si dos fuerit actualiter numerata. Secus si tantum in instrumento aliquo per maritum confessata, secundũ gl. & doct. in d. l. alsiduis. Et hoc priuilegium est personale, competit enim ipsi mulieri, & non Actioni, ideoq; ad nullum alium successorem trãsit, exceptis descendentibus. secundum Bart. in l. 1. in 1. col. ff. solu. matri. Nec amittunt mulieres hæc priuilegia per transitum ad secundas nuptias, secundum Bar. in l. Nupta. ff. solu. matri.

#### DE ACTIONE EX STIPULATV.

Est itaque Actio ex stipulatu, de qua hic loquimur, qua uxor repetit dotem à marito, uel eius hæredibus. soluto matrimonio, & condemnatur maritus in quantum facere potest. Dico, de qua hic loquimur, quia alioqui actio ex stipulatu, quæ oritur ex uerborum obligatione, est stricti Iuris. Hæc autem quia surrogata est in locũ actionis rei uxoriæ, est bonæ fidei, d. §. fuerat, infrà eod. Et hoc uerum, si ipsa mulier repetit dotem. Secus si extraneus quidam dedisset dotem pro muliere, & stipulatus fuisset eã sibi reddi. Ex hac stipulatione oriretur actio ex stipulatu, quæ est stricti Iuris. Dico simpliciter, qua repetit dotem,



dotem, quia si dos fuerit in pecunia numerata, uel rebus mobilibus, repetitur post annum, & non antè. l. 1. §. Exactio. C. de rei uxor. Act. Et interim mulier alenda est ab hæredibus mariti, si non habet unde uiuat, glo. in d. §. Exactio, in uerbo, restituendis, & ibi Doct. Nisi hæredes essent parati statim restituere dotem, quia hoc tempus indultum est in fauorem hæredum. l. si ita relictum §. Pegasus. ff. de legatis ij. Secundò, nisi conuolauerit ad secundas nuptias. Alioqui si hæredes post annum interpellati differrent solutionem, propter moram posset peti interesse. Si uerò dos fuerit in rebus immobilibus, ut prædijs, statim debet reddi, d. §. Exactio. Dico eius hæredibus, quia actio ex stipulatu, qua dos repetitur, est transitoria ad hæredes. Quod autè ad deductionem, in quàm scilicet facere potest, attinet, distingue: Aut extant liberi communes mariti & uxoris, & illi quoq; tantum condemnantur, in quantum scilicet facere possunt. Aut extant alij hæredes, & non fit illa deductio. l. maritum, cum gl. ibi, sed hoc hæredi. ff. sol. matri. Dico in quantum facere potest, quia in illa cõdemnatione deduci debet, ne egeat maritus. In qua re consideranda sunt duo: quantitas temporis, & quantitas rei. In quantitate rei inspiciuntur facultates & conditio personæ mariti. Si enim maritus artificio suo quid poterit acquirere, fit deductio operarum suarum, gl. fin. in l. Si maritus in id. ff. solu. matri. Circa quantitatem temporis debet attendi, cuius ætatis sit maritus, ut scilicet deductio non tantum fiat pro uno anno. Cessat autem hæc deductio, Primùm, si maritus fuit in dolo, uel lata culpa. Secundò, quãdo uxor quoq; esset pauper, & nihil haberet præter illam dotem, quæ tota esset necessaria ad ipsius sustentationem. Tertiò, quando res dotalis extat. In istis enim casibus condemnatur maritus in solidum, uide D. Ias. in §. Item si de dote, infra eo. Impensæ autem ad perpetuam rei utilitatem factæ ipso iure minuunt dotem. Secus autem in alijs quæ fiunt ad custodiam. Computantur enim illæ inter fructus. l. pe, & ult. ff. de impens. in rebus dotal. factis.

Quantitas rei.

Quantitas temporis.

An de dote impensæ detrahantur.

CAUSA istius Actionis est stipulatio uera uel ficta. Ius enim fingit stipulationem interuenisse, licet non interuenerit.

ACTIO QUANDO FILIUS AGIT  
contra patrem.

Secunda Actio quæ datur in quantum reus facere potest, est quando filius agit contra patrem, uel libertus contra patronum. Et hæc actio non est proprie actio per se, sed quædam adiectio actionum, Qualicunq; enim actione filius uel libertus uelit parentem uel patronum conuenire, habent ipsi hoc beneficium quod deducitur ne egeant. Quòd autem hic dico contra patrem, tu intellige de parentibus utri-

usq;



usq; sexus usq; in infinitum, ut notatur in l. patronus ff. de re iud. Ratio autem istius actionis est: Primùm, reuerentia paterna. Secundò, illa exceptio, dolo petis quod statim restitutus es. Est enim regula quòd filius tenetur alere patrem egentem. l. si quis à liberis. §. uel si parens. ff. de lib. agnos. Si itaq; pater non esset soluendo, & tamen filius exegerit ab eo solidum, ita quòd pater egeret postea, teneretur filius eum alere, & sic restituere quod exegisset. Repellitur ergo primùm per illam exceptionem, dolo facis, quia petis quod es restitutus. Et ex hac ratione habes quòd idem Iuris sit. Primò, si pater egerit cõtra filium suum, siue filius sit in potestate, siue emãcipatus. Tenetur enim pater filios egentes alere. d. l. Si quis à liberis.

Secundò, si frater conueniat fratrem, quia frater maximè utrinq; coniunctus tenetur fratrem alere qui eget, ita tenet gloss. 1. in l. 1. & ibi Doct. C. de alend. liber. Et Ioan. Fab. in §. sed etsi quis, infrà, de Actio.

Tertiò, si Ecclesia conuenit patronum, quia egentem patronum tenetur alere. c. quicumq; fidelium, 16. q. 7. Idem dicunt de uasallo & domino. Et breuiter concluditur, quòd quotienscunq; reus ab Actore ali debet, si egerit, toties habet locum illa deductio, in quantum scilicet facere potest. Quod autem dictum est de patrono, tu quoq; intellige de parentibus & liberis patroni, l. patronus. ff. de re iud. Prædicta tamen omnia uera sunt, nisi is, qui uoluerit uti illo priuilegio, fuerit ingratus. l. si. C. de alen. lib.

#### DE ACTIONE PRO SOCIO.

Tertia Actio quæ non datur in solidum, sed in quantum reus facere potest, est Actio pro socio §. sed & si quis, infrà eod. & l. sunt qui in id. cum similib. ff. de re iud. Quid autem sit societas, & Actio pro socio, suprà de societate dictum est partim, & infrà latius dicetur de cõtractibus bonæ fidei. Hæc autem deductio primùm habet locum, siue sint socij omnium bonorum, siue unius negotiationis tantum. l. Verum, in prin. ff. pro socio.

Secundò, siue socius agat Actione pro socio, siue alia quacunq; Actione, dum tamen occasione societatis orta sit Actio, secundum omnes Doct. in d. §. sed etsi quis. Et extendunt Doct. illam Actionem, quòd procedat etiam, si duo aut plures studiosi habitauerint in iisdem edibus, et unus esset debitor alterius, occasione illius societatis, quòd quoq; deductio locum habeat, & conueniri non possit, nisi in quantum facere possit.

#### ACTIO QUANDO QVIS EX DONATIONE

sua conuenitur.

Quarta Actio quæ datur in quantum reus facere potest, habet locum

cum



cum quando quis ex donatione sua inter uiuos pura & simplici cōuenitur, §. sed etsi quis, hic tit. nostro. l. Inter eos. §. Is quoq; & l. Ex hæredatum. ff. de re iud. Dico ex donatione sua, quia si quis cōuenitur ex donatione alterius, ut filius ex donatione patris, non habet locum hoc beneficium, sed tenetur in solidum. Non enim transit hoc beneficium ad hæredes. l. Et si fideiussor §. si maritus, cum l. seq. ff. de re iud. Sicut quoq; alius hæres propter ingritudinē donatarij erga donatorem ipsam donationem reuocare non potest, licet ipse donator reuocare potuisset. l. fin. C. de reuo. donat. Dico inter uiuos, quia in donatione causa mortis nō est necesse uti illo beneficio, quia donator cōueniri non potest. Habetur enim illa donatio pro ultima uoluntate, quæ est ambulatoria usq; ad mortem. l. mortis causa donatio, cū multis similibus. ff. de donat. causa mortis. Dico pura & simplici, quia hoc beneficium non habet locum in donatione ob causam. Est enim ratio illius actionis, ne donator ex sua liberalitate inops factus periclitetur. l. ne liberalitate. ff. de re iud. Et donatio ob causam non est propriè liberalitas. l. i. & ibi glo. & Bar. ff. de dona. unde quod ob causam donatur, est potius permutatio quàm donatio. l. sed etsi lege §. cōsuluit, in fin. ff. de pet. hæred. Et nemo potest dicere, quòd in permutatione habeat locum hoc beneficium in quantum facere potest. Tu autem distingue secundum Ioan. Fab. & Iaso. Quandoq; datur ob causam concernentem fauorem eius, à quo datur, ut do tibi 100. aureos, ut instituas filium meum. Et hæc donatio est quasi quædam permutatio, nec habet locum hoc beneficium. Quandoq; uerò datur ob causam respicientem solum fauorem recipientis, & non dantis. Exemplum: do tibi 10. aureos, ut tibi emas Ius ciuile, & tunc, quia est mera liberalitas, habet locum hoc beneficium.

**ACTIO QUANDO CREDITORES AGUNT**  
contra eum, qui celsit bonis.

Quinta Actio habet locum, quando priores creditores post debiti liquidationem contra eum, qui propter debitum pecuniarium ciuile, bona fide celsit bonis, & post celsionem peruenit ad pinguiorem fortunam, in quantum facere potest agunt. §. si, hic tit. nostro. l. iij. ff. de cess. bono. Dico in definitione, priores creditores, quia celsens bonis habet hoc beneficium tantum, si ab illis creditoribus conuenitur, quibus ante celsionem obligatus erat, creditores enim post celsionem agunt contra eum in solidum, ut colligitur ex l. iij. C. de bon. aut. iud. possid. Et sic cessat illa communis regula, quòd priores creditores præferuntur posterioribus. l. licet. C. qui pot. in pig. hab. Dico post debiti liquidationem, quia in celsione bonorum requiritur quòd prius agnoscat debitum, & confiteatur uel in iudicio, uel extra,



tra, quod etiam potest fieri per epistolam uel nuncium. l. pe. & ult. ff. de cess. bo. De iure tamen C. sola professio uoluntatis de cessione sufficit. l. In omni. C. qui bo. ced. poss. Dico contra eum, quia hoc beneficium cessionis datur tantum ipsi debitori, non autem eius fideiussoribus, quia qui alios pro debito obligat, hoc maxime prospicit, ut cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab his, quos pro eo obligauit, ius suum consequi. §. si. inf. de repli. Dico propter debitum pecuniarium, quia si quis esset obligatus ad factum, non liberaretur cedendo bonis, quamdiu corporis habitus ad faciendum extiterit, secundum Doct. in d. §. hic tit. nostro.

Dico debitum civile, propterea quod in delictis cessio bonorum non liberat delinquentem, etiam si civiliter agatur ex crimine. Hinc est quod si Actio iniuriarum fuerit civiliter intentata, & reus condemnatus in summam pecuniæ, cessio quoque non liberaret, utcumque reus non sit soluendo, quia poena pecuniaria uertitur in poenam corporalem, iuxta illud: qui non habet in ære, luat in corpore. l. i. in fi. ff. de poenis. Dico bona fide. Nam si quis in fraudem creditorum bona sua alienasset, uel dissipasset, ne inueniatur soluendo, non prodest ei cessio, sed conuenitur in solidum, & si solidum soluere non potest, detruditur in carcerem expensis creditorum, qui tenentur ei suppetere alimēta, secundum Doct. in d. §. si. hic tit. nostro.

Deinde si occultat bona sua, nec indicat creditoribus, uel iudici, quodque est in mala fide, nec prodest ei cessio, secundum Bart. in l. penult. ff. de cess. bonorum. Conceditur enim hoc beneficium propter impotentiam soluendi, quando scilicet creditores instant ut detrudatur in carcerem. l. i. cum ibi nota. C. qui bo. ced. poss. Postquam autem bona indicauerit, & cedere paratus fuerit, habet locum deductio, ne egeat. Alimenta enim denegari non possunt, habita tamen ratione status debitoris uel conditionis. l. qui bonis. ff. de cessione bonorum. Tertio, si tempore quo contraxit, sciebat se non esse soluendo, quoque dicitur in mala fide, nec habet hoc beneficium locum. l. pe. & ibi glos. in uerbo, insidiaretur. ff. de iure dot. Quarto dicitur in mala fide esse, qui spe cessionis contraxit, secundum Doct. & praesertim D. Ias. in d. §. si. hic tit. nostro. Dico in quantum facere potest, quia primus effectus cessionis est, ne debitor condemnetur in solidum, ut diximus. Secundus est, ne detrudatur in carcerem. d. l. i. C. qui bo. ced. poss. Si autem esset detrusus in carcerem propter illam poenam corporalem, esset omnino liberatus à debito. Alioqui per cessionem neque civilis neque naturalis obligatio tollitur, sed tantum exceptio paratur. Si tamen debitorem poenituerit, poterit reuocare cessionem re integra, bonis scilicet à creditoribus, nondum occupatis. l. quæ poenitet. ff. de cessione bonorum.



Actiones autem que dantur in solidum, subdividuntur. Aut enim sunt bonæ fidei, aut stricti iuris. Bonæ fidei dicuntur non ideo, quod alij contractus hic non numerati sint: malæ fidei, cum in omnibus contractibus bona fides requiratur l. Bonam fidem. C. de Actio. & oblig. Dicuntur itaque bonæ fidei propterea, quod in eis ex bono & equo multa ueniunt, de quibus nec actum, nec cogitatum est, & iudex suum officium latius extendit in eis ad ea, quæ uidentur sibi bona & æqua, ut si domus locatur, tenetur conductor de omnibus ruptis & fractis in illa domo, etiamsi de eis nihil est actum in conventionem, secundum gloss. in §. Actionum autem, in uerbo, Bonæ fidei, & ibi Doct. infr. eod.

Actiones autem stricti iuris dicuntur, in quibus tantum id uenit, de quo expressè actum est. l. quicquid astringendæ, ff. de uerb. obligat. Sunt autem multæ differentiæ aliæ inter Actiones bonæ fidei & stricti iuris. Primò, si in contractibus bonæ fidei quis restitueret mihi rem deterioratam, non liberatur à prima Actione, sed adhuc agitur ad totam rem propter deteriorationem. Quia res deteriorata reddita, non censetur reddita. l. iij. §. si reddita. ff. Commodati. In contractibus autem stricti iuris, dando rem deterioratam, liberatur à prima Actione, agitur tamen contra eum propter deteriorationem, Actione de dolo uel in factum. l. Et eleganter, §. Non solum. ff. de dolo. Secundò, si dolus dat causam contractui bonæ fidei, contractus est ipso iure nullus. d. l. Et eleganter, in principio. ff. de dolo. Contractus autem stricti iuris propter dolum, non sunt ipso iure nulli, sed rescinduntur per Actionem, uel per Exceptionem de dolo, ut colligitur ex d. l. Et eleganter, §. Non solum. ff. de dolo. Tertio, in Actionibus bonæ fidei ueniunt usuræ ex mora. l. In minorum. C. in quibus caus. rest. in integ. non est necess. In contractibus autem stricti iuris scilicet, ut in mutuo, non ueniunt usuræ, nisi per stipulationem sint promissæ. l. iij. C. de usuris. l. quia tantundem. ff. de nego. gest. Quarto, in contractibus bonæ fidei ueniunt fructus ex mora. l. Videamus. la. ij. §. Ex causa, cum sequen. ff. de usuris. In contractibus autem stricti iuris distinguendum est. Nam si peto rem, quæ aliquando fuerit mea, tunc quoque ueniunt fructus ex mora. Si autem peto eam, quæ primò non fuerit mea, non ueniunt fructus, nisi post litis contestationem. d. l. Videamus. §. Si Actionem. Quintò, in Actionibus bonæ fidei iuratur in litem de affectione scilicet. l. In Actionibus. ff. de in litem iurando. In Actionibus autem stricti iuris non.

Postremò in Actionibus bonæ fidei ueniunt fructus iure Actionis, usuræ uerò officio iudicis, secundum Ias. in d. §. Actionum. In Actionibus autem stricti iuris fructus, usuræ, & omnes aliæ accessiones



nes solum ueniunt officio Iudicis mercenario. Reliquas differentias uide in glo. d. §. Actionum, in uerbo, bonæ fidei, & ibi Doc. omnes. hic tit. nostro.

Actiones autem bonæ fidei numerantur hic in textu xvij. Possunt autem ita facillè deprehendi.

Tres oriuntur ex contractibus, qui re contrahuntur, ut commodati, depositi, & pignoratitia. Sex ex contractibus, qui consensu contrahuntur, ut Actio ex empto, uendito, locato, conducto, mandati, pro socio. Quatuor ex quasi contractibus, ut negotiorum gestorū, tutelæ, familiæ hercisc. communi diuid. Duæ ex contractibus innominatis, ut Actio præscriptis uerbis, quæ præponitur ex æstimate, uel permutatione. Postremò petitio hæreditatis, & Actio de dote.

Textus autem ita numerat Actiones bonæ fidei hic, ex empto, uendito, locato, conducto, negotiorum gestorū, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ herciscundæ, communi diuidendo, præscriptis uerbis, quæ scilicet de æstimate & permutatione competit, hæreditatis petitio, & Actio de dote. His addunt Doct. sex Actiones contrarias, scilicet Actionem negotiorum gestorū, contrariam mandati, contrariam depositi, tutelæ, commodati, & Actionem pignoratitiam contrariam. Nos hic explicando sequimur ordinem text. Quia autem maiorem partem Actionum bonæ fidei supra explicauimus, illas hic breuitatis causa intermitteremus. Materia ex empto & uendito tractata est in tit. de empt. Item actiones de locato & conducto in tit. de loc. & conduct. Negotiorum gestorū, in tit. de oblig. quæ ex quasi contractu nascuntur, Actio mandati, in tit. de mandato. Actio depositi, in tit. Quib. mo. re contra. oblig. Actio pro socio, supr. in ti. de societa. De tutela quoq; satis dictum est in i. lib. Actio commodati & pignoratitia supra de contra. qui re contrah. Et de Actione Seruiana & quasi Seruiana. Actiones familiæ herciscundæ, & communi diuidendo quoq; supr. de Actio. mixtis tractatae sunt. Sequitur ergo Actio præscriptis uerbis, in ordine nondū explicata.

#### DE ACTIONE PRAESCRIPTIS VERBIS.

Dicitur autem Actio præscriptis uerbis, per quam agimus ex præscripto uerborum, quibus contrahentes usi sunt. Et differt ab Actione ex stipulatu, quòd Actio præscriptis uerbis regulariter oritur tantum ex nuda conuentione, actio autem ex stipulatu, ex conuentione solènni, quando scilicet interueniunt interrogatio & responsio. Oritur autem hæc Actio multis modis. Primò ex omnibus pactis, quæ in continenti apponuntur contractibus nominatis, præsertim bonæ fidei, ut si uendidisti tibi domum sub hoc pacto, ne alteri uendas quàm



mihī: si postea alteri uendideris, datur mihi contra te actio præscriptis uerbis ad interesse. l. ij. C. de pact. int. empt. & uend. l. si sterilis. §. si tibi fundum, cum multis similib. ff. de act. empti. Secundò oritur ex omni contractu, in quo iustè dubitatur, quæ detur actio. Tertiò quoties actiones extiterint, quarū appellationes nullo iure civili prodite sunt, plura enim sunt negotia quàm uocabula. l. ij. & iij. ff. de præscrip. uerb. Quartò quando res æstimata uendenda traditur &c. l. i. ff. de æst. act. Quintò oritur ex quatuor cōtractib. innominatis, quales sunt permutatio do ut des, facio ut facias, do ut facias. l. naturalis. per tot ff. eod.

Ex quinto autem contractu innominato, scilicet facio ut des, non oritur Actio præscriptis uerbis, sed Actio de dolo. d. l. naturalis. §. Quod si facio. ff. eod. l. Cum proponas. C. de dolo. Illa tamen Actio præscriptis uerbis, licet multas habeat causas, ex quibus oritur, ubique tamen est stricti iuris, exceptis duobus casibus. Primò, quando proponitur de æstimato. Secundò, quãdo competit ex permutatio. ne. d. §. Actionum autem. hic tit. nostro. Et de his duobus casibus hic breuiter dicemus.

Actio præscriptis uerbis de æstimato proponitur contra eum qui rem alicuius æstimatam uendendam accepit, ut uel ipsam rem incorruptam, uel eius æstimationem reddat. Et habet hic cōtractus, ex quo Actio præscriptis uerbis oritur, magnam cognationem cum alijs cōtractib. Primùm enim uidetur quòd ex eo competat Actio ex uendito propter æstimationem rei. Habetur enim loco precij. Secundò uidetur, quòd competat Actio ex locato uel conducto, quasi quis rem uendendam locauerit, uel operas alterius conduxerit. Solet enim huiusmodi uenditoribus rerum alienarum dari merces, quæ locatione constituit. Tertiò uidetur, quòd detur Actio mandati, maxime si quis mandasset rem suam æstimatam uendi, nec promittit mercedem uenditori &c. Itaq; propter illam ambiguitatem, quòd scilicet non constabat de certo nomine contractus, decidit Iureconsultus Vlpianus, æstimatoriam præscriptis uerbis Actionem dari. l. i. ff. de æst. act. Est autem duplex, Directa, & utilis.

Directa datur, quando quis rem æstimatam gratuito suscepit uendendam.

Utilis uerò, quando suscepit uendendam, ut pro suo labore, in uendenda re habeat mercedem. Licet enim merces in contractibus propriè constituat locationem, hoc tamen casu non impedit, quo minus detur Actio præscriptis uerbis, & non locati. Capitur enim merces pro quadam remuneratione. l. si. iunct glo. ff. de æst. actio.

**C A V S A** istius cōtractus est Ius ciuile. Est enim à Iure ciuili introductus.



ductus. l. i. uerf. Est enim negotium, ff. de æsti. act. Coincidit tamen cum contractu, do ut des, qui est iuris gentium, secundum glo. in uerbo, Ciuile, in d. l. i. ff. de æst. act. Periculum autem rei æstimatæ regulariter pertinet ad eum, qui rem æstimatam suscepit d. l. i. §. Aestimatio, ff. de æsti. acti.

Actio præscriptis uerbis, quæ oritur ex permutatione, datur illi qui dedit rem suam certam contra eum, qui illam accepit, & promissit aliam rem certam pro ea dare, ad hoc ut contractum pro sua parte quoq; impleat.

Primum notabis permutationem esse contractum innominatum, quia non habet speciale nomen contractus, sicuti emptio & uenditio.

Est enim permutare uerbum generale, quod conuenit omnibus contractibus, in quibus aliquid hinc inde datur, secundum gloss. super Rubr. C. de rerum permuta. Sicut quoque de transactione dicimus, quæ quoq; est contractus innominatus. Conuenit enim nomen transactio omnibus contractibus, per quos ab Actione receditur, secundum Bart. in l. i. §. conuentionis, ff. de pactis. Dico in definitione, qui dedit &c. quia illam Actionem quis non potest intentare, nisi contractum pro sua parte adimpleat, & rem certam dederit. Ex sola enim conuentione de permutando quis non agit, quia est nuda. Vestitur itaq; rei interuentu. l. ex placito, & l. reb. C. de rerum permutat. Dico rem suam, quia ad perfectionem permutationis, quo ad effectum, requiritur quod permutans sit dominus. Alioqui tenetur de euictione. Licet dominium probare nõ teneatur. Cum quaestio dominij deducatur in Iudicium, non principaliter, sed incidenter, secundum Ioan. de Plat. in d. §. Actionum. Dico aliam rem, ad differentiam emptionis, in qua non datur res pro re, sed precium pro re, quæ tradidit. Sit tamen in initio contractus cõuentum est, ut tu dares rem, ego pecuniam darem, non esset emptio, sed contractus innominatus, do ut des. De natura enim contractus empti non est, ut uenditor obligetur ad rem dandam, sed tradendam, secundum Barto. in l. i. C. de rerum permuta. In hoc tamen conueniunt, quia sicuti in emptione nõ transfertur dominium ex traditione rei, si precium non est solutum, nec fides de eo habita. §. Venditæ, supra, de rerum diuisio. Ita quoque in permutatione, si res ab altera parte non tradatur, nec est habita fides de ea tradenda, non transfertur dominium rei ab una parte traditæ. Alias differentias & conuenientias inter emptionem & permutationem, uide in glo. notab. & approb. in l. ij. in uerbo, obtinere. C. de rerum permutat. Dico rem certam, quia ad hoc ut sit permutatio, requiritur quod detur species pro specie, siue indiuiduum pro indiui-



duo, ut do tibi hanc uestem, si tu mihi das illam. Si enim datur genus pro genere. Exemplum. Do tibi urnam uini, ut tu des mihi modicum frumenti; uel species pro genere, ut do tibi hunc meum Codicem, ut tu des mihi aliquod aliud. ff. uetus, non est permutatio, sed do ut des.

Est autem magni effectus, hanc diuersitatē inquirere, quia ex permutatione oritur Actio bonæ fidei. Ex do autem ut des, Actio stricti Iuris. Sicuti quoq; magni effectus est inquirere, an sit emptio uel permutatio. Si enim est emptio, est contractus nominatus, in quo non habet locum pœnitentia. l. Sicut. C. de Action. & obligatio. Si autem est permutatio, tunc est contractus innominatus, in quibus habet locum pœnitentia ante perfectionem contractus. Vide glos. & ibi Bart. & Doc. in l. 1. C. de rerum permutatio. Dico ad hoc ut contractum impleat pro sua parte, quia hæc est propriissima conclusio in hac Actione. Alioqui enim solent ex permutatione oriri plures & diuersæ Actiones ad diuersa quoq; tendentes. Quandoq; enim, ut dictum est, agitur ad impletionem contractus, & sic ut res conuenta tradatur, & tunc si interuenit stipulatio, agitur actione ex stipulatu. d. l. ex placito. C. de rer. permut. Aut non interuenit stipulatio, & tunc si Actor impleuit contractum pro sua parte, potest agere actione præscriptis uerbis, uel actione in factum, quæ est eadem, uel cōdictione ob causam ad repetendum id quod datum est, dummodò sit repetibile, uel ad interesse. Et sic potest in libello concludere alternatiuè bifariam. Primò, ut adimpleat contractum, uel det interesse. Secundò, ut impleat contractum, uel restituat rem acceptam. Vide Doc. in l. 1. & 2. C. de rerum permut. Doc. in §. Actionum autem, hic titulo nostro.

*Nota Actorem posse in libello concludere alternatiuè.*

## DE PETITIONE HAEREDITATIS.

Petitio hæreditatis datur ei, ad quem res hæreditariæ alicuius defuncti de Iure ex Testamento, uel ab intestato spectant, contra eum qui eas sine titulo possidet. Dico res hæreditariæ simpliciter. Primò, quia datur pro rebus corporalibus, & incorporalibus, & pro omnibus iuribus hæreditarijs & actionibus. Seruitutes tamen prædijs hæreditarijs debitæ petuntur non illa actione, sed uel negatoria, uel confessoria.

Secundò, quia datur hæc Actio siue quis hæres sit in solidum, siue pro parte etiam minima. l. licet minimam. ff. eod. Tertiò, quia sub rebus hæreditarijs comprehenduntur res defuncti. Item res ab eo possessæ, & quoq; res detentæ, quæ scilicet remanserunt in hæreditate tempore mortis defuncti, ut sunt res depositæ, commodatæ &c. quæ licet non sint in effectu hæreditariæ, inueniuntur tamen in hæreditate. l.



re. I. Item uidendum. §. fin. iunct. l. seq. ff. eod. Non tamen est necesse quòd in libello omnes res specificentur, quia in huiusmodi iudicijs uniuersalibus, sufficit generalis petitio. l. Si mater. ff. de except. rei iud. Quartò, dico res hæreditariæ, ad differentiam rerum feudalium & emphiteuticarum, quæ regulariter non ueniunt in petitione hæreditatis. Hinc est quòd si pater habet res hæreditarias & feudales, estq; obstrictus ære alieno, & filius uult liberari ab illo ære alieno, poterit abstinere ab illa hæreditate, & assumere feuda, secundũ Doc. hic. Dico alicuius defuncti, quia ad hoc ut hæc Actio locum habeat, requiritur quòd actor illas res hæreditarias prius non apprehenderit. Si enim semel apprehendit, & statim à possessione cadit, non habet petitionem hæreditatis ad eas recuperandas, quia illæ res post apprehensionem non censentur amplius defuncti, sed res hæredis. Ideoq; datur aliud remedium, ut puta uel rei uendicatio, uel publiciana, uel interdictum unde ui. Secundò dico defuncti, quia uiuentis nulla est hæreditas. l. 1. & ibi gloss. ff. pro hærede. Propterea necesse est Actorem probare illum esse defunctum, cuius hæreditatem petit, quod fit per famam publicam, uel alias rationes, de quibus uide dd. in l. siquidem. C. solu. matri. & Doc. hic. Dico de iure, quia si commune, hoc statutum siue consuetudo debet declarari. Dico ex Testamento, uel ab intestato, quia illæ duæ rationes sunt causæ istius Actionis, & si Testamentum est conditum, debet in libello exprimi, Si non est conditum, sed decessit ab intestato, quoq; debet exprimi in libello. Dico spectant simpliciter, quia nihil refert siue quis succedat defuncto per se, siue per mediam personam. Secundò dico spectant, quia si Actor agit ex testamento, debet probare per ostensionem testamenti non aboliti nec cæcellati, hæreditatem iure institutionis ad se pertinere. l. si. C. de edicto diui Adria. toll. Si uerò ab intestato spectat ad actorem, tenetur probare se esse proximiorum cognatũ, uel agnatum, Authentica, post fratres. C. de legit. hæredib. Tertiò dico spectant, quia non est necesse, ponere in libello, quòd adiuerit ipse Actor hæreditatem tanquam hæres. Petendo enim declarat suã uoluntatem, & per illam declarationem fit aditio. Bart. in l. gerit. ff. de acq. hæred. Dico sine titulo, quia petitio hereditatis non datur cõtra titulo possidentem, nisi sit titulus procuratus, uel putatiuus. Et est ratio, quia qui agit petitione hereditatis, habet nudum titulum. Possidens autem ex tit. habet quoq; titulum, & quoq; possessionem. Melior ergo est eius conditio secundum Barto. in l. pro here. ff. de petit. hered. Datur itaque contra eum qui dicit se possidere pro here, cum non sit, uel pro possessore, ut qui tantũ possidet, nec habet sue

Res feudales  
seu emphiteuti-  
cas non ueniunt  
in petitione hæ-  
reditatis.



Contra quem  
datur petitio  
hereditatis.

possessionis titulū. l. regulariter, & l. pro hærede. ff. eod. Et licet possessor regulariter non teneatur titulum allegare suæ possessionis, tamen in hac actione cogitur respondere, quo titulo possideat. l. cogit. C. de petitio. hæred. & l. 1. ff. de interrog. actio. Est tamen cautela, si quis possederit res hæreditarias ex titulo, quod Actor intenet rei uendicationem, quia in ea non fundat se ex solo titulo, sed ex dominio suo, mediante persona defuncti. Petitur autem in hac actione quod iudex declaret Actorem hæredem esse, quo facto, restituuntur res hereditariæ non iure actionis, sed officio iudicis, d. l. licet minimā. ff. co. Et in hac restitutione ueniunt etiam fructus percepti & percipiendi, quia fructus augent hæreditatem. De his & similib. uide. l. Item ueniunt. §. 1. Item non solum, cum seq. ff. eod. Et in hoc differt à rei uendicatione, in qua fructus uendicantur per se à malæ fidei possessore, ut de Bar. in d. l. Item ueniunt. ff. eo. Alias quoq; differentias inter rei uendicationem & petitionem hæreditatis, item inter interdictum quorū bonorum, uide apud Doct. hic. Et dicitur infr. de interdictis latius. Dicitur autem hæc actio personalis in rem scripta, quia est quidem realis, habet tamen aliquot præstationes personales, secundum Bar. in l. sed et si. §. petitio. & ibi text. quoq; ff. eo. uide glo. cum ibi notatis in §. hæres quoq; in uerbo, intelligitur, supra de obliga. quæ ex quasi contr. nascuntur.

Actio de dote est supra tractata. Et tantū de Actionib. bonæ fidei.

DE ACTIONIBVS STRICTI IURIS.

Actiones stricti iuris sunt, in quibus nihil uenit, nisi de quo expressè actum est. Differentias inter actiones stricti iuris & bonæ fidei, uide supra de actio. bonæ fidei. Dicuntur autem omnes actiones stricti iuris, quæ non sunt comprehensæ sub actionibus bonæ fidei, quales sunt condictio certi specialis ex mutuo, Condictio certi generalis ex alijs contractibus, Actio de constituta pecunia. Actio in factum ex iure iur. descendens, Actio ex stipulatu &c. Conditiones certi speciales & generales sunt supra tractatæ de mutuo.

DE ACTIONE DE CONSTITUTA

pecunia.

Actio de constituta pecunia est actio personalis, qua agimus contra eum, qui per nudum pactum se constituit soluturum id, quod prius ex nudo pacto, uel alius quidam ex quacunque causa debebat. Materia istius actionis frequens est, maximè inter mercatores. Dico in definitione per nudum pactum, quia si per stipulationem quis se constituisse soluturum, hæc actio non haberet locum, sed condictio certi, uel actio ex stipulatu. l. si quis certum. ff. si cert. pet. & supra de uerb. obli. in prin. Dico se constituit, quia si constituisse tertium, ut sol.



ut solueret id quod Sempronius debebat, non ualeret constitutum, quia esset omnino factum alienum. Si aut quis constitueret Titium, ut solueret, quod ipse restituens deberet, ualeret constitutum, tenereturque constituens, quia intelligitur promississe factum proprium. l. qui aut. §. i. iunc. glo. in uerb. sed et si quis. ff. de const. pec. Dico quod uel ipse ex nudo pacto, quia in constituto requiritur quod prius debitum sit. Aut ex naturali & ciuili obligatione simul. Aut ex naturali obligatione tantum, quæ ex nudo pacto prouenit, secundum gl. hic in uerb. constituerint. Sed in hoc distinguere, Aut loquimur de eo qui constituit se soluturum id, quod ipsemet prius debebat. Et tunc si debebat naturaliter tantum, ut ex nudo pacto &c. illud constitutum est magne utilitatis, quia orta est Actio quam prius non habebat creditor. Si uero debebat naturaliter & ciuiler simul, tunc nihil operatur hoc constitutum, nisi quod creditor habet plures actiones, cum ex priori obligatione potuisset etiam sine constituto experiri.

Aut loquimur de eo qui constituit se soluturum quod tertius debebat, & tunc non refert, ex qua obligatione debeat, modo non sit ciuilis obligatio tantum, quia super illa constitutum fieri non potest, nisi constituens sciat esse tantum ciuile debitum, de quo se soluturum constituit. Tum enim quoque ualeret, quia donare uideretur, per l. cuius per errorem. ff. de reg. iur. Dico, uel alius debebat, quia quis potest se constituere soluturum quod alius debet, et per hoc principalis debitor liberatur. Transfertur obligatio in constituentem, eiusque heredes. l. i. C. de const. pecu. Dico ex quacunque causa, quia in constituto, quod fit pro alio debitore, non attendimus, siue is naturaliter tantum, siue naturaliter & ciuiler simul debeat, sed id tantum, ut obligatio transferatur per constitutum in constituentem. d. l. i. C. eodem.

CAUSA actionis de constituta pecunia est obligatio. Istius aut obligationis causa est nudum pactum §. nost. hic. Et licet de iure ciuili regulariter nulla oriatur actio ex nudo pacto. l. i. iuris gentium §. sed cum nulla, & §. Quinimo. ff. de pact. Hoc tamen fallit secundum communem opinionem in constituto, in quo ex nudo pacto oritur actio. Et est ratio, quia hoc nudum pactum apponitur super debito iam naturaliter contracto. Ideo potius operatur per hoc fit propter geminationem promissionis, quæ scilicet per nudum pactum idem bis promittitur. Sunt & alij casus speciales, in quibus oritur actio ex nudo pacto, quos uide in gl. hic, in uerb. nulla, et copiose per D. Ias. Possunt autem se constituere omnes qui alioque obligari possunt.

Qui se possunt  
constituere.



possunt. Hinc sequitur quòd pupillus, furiosus, mulier et similes personæ se pro alio soluturos constituere non possunt. Et nota quoq; obiter, constitutum non tantum fieri in constituta pecunia, sed in qualibet alia re, quæ in obligationem deduci potest. Quibus autem modis constitutio tollatur, uide Insti. per tot. quibus modis toll. obligat.

## LIBELLVS IN ACTIONE, DE CON.

stituta pecunia.

Cum Titius et ego essemus in eadem negotiatione, ipseq; opus haberet pecunia, rogauit me, ut 100. aureos ei mutuò darè, quos ita à me accepit, promittens ad proximas Calen. Maij se soluturum. Calendis aut aduenientibus creditam pecuniam numerare non poterat, ideoq; Seius per nudum pactum illos aureos se soluturum constituit, quia aut ex illo constituto Seius efficaciter mihi obligatus est, peto eum condemnari ad dandum uel soluendum illos 100. aureos. Et hic libellus procedit, si quis se constituit soluturum, quod alius debet. Facile autem poteris mutare narrationem in casu, quo quis se constituit in id, quod ipsemet debebat prius.

## DE ACTIONE IN FACTVM EX

Iureiurando.

Actio in factum ex iureiurando est, qua agit is, q postulante ad uersario suo in continentem iurauerit informiter qd sibi deberi, uel eum res suas possidere. Dico in definitione, agit, quia hæc actio proprie locum habet, quando iuramentum est delatum à reo ipsi actori, ut iuret scilicet sibi qd à reo deberi. Tunc enim oritur actio in factum ex illo iureiurando, nec querit ultra utrum reus actori aliquid debeat, sed tantum an actor iurauerit sibi quid deberi. Et si constiterit de iuramento, damnat reus. Et sic habet hoc casu iuramentum effectum naturalis obligationis, de quo & alijs multis no-

*An ex iuramento prestito à reo oriatur actio in factum.*

tab, effectibus iuramenti, uide las. hic. Si autem actor ipse in iudicio reo detulerit iuramentum, reusq; iurauerit se actori nihil debere, et querit utrum ex illo iuramento oriatur reo actio in factum. Et distingue: Aut reus iurauit in actione personali, id est, se non esse obligatum ipsi actori, & tunc iuramentum parit tantum exceptionem, qua reus se defendit contra Actorem, si denuò ad eandem obligationem egerit. Aut reus iurauit in actione Reali, Et tunc si iurauit simpliciter negatiue, scilicet rem non esse actoris, Et quoq; ex illo iuramento non oritur actio, sed tantum exceptio. Si uero iurauerit affirmatiue, scilicet rem quam actor petit, suam esse. Tunc si ea res aliquo casu ad actorem peruenerit, habet reus ex iuramento actionem in factum contra actorem possessorem. Non tamen contra quem-



quemlibet possessorem, sed tantum contra eum, propter eius delationem iuravit, gloss. hic in uerbo, deberi. Dico postulante aduersario, quia si Actor iurasset nemine postulante, nec deferente, ex tali iuramento plane nulla oriretur Actio. Sibi enim tantum iurasset. l. ij. §. Eum cum quo. ff. de iureiuran. Dico in continenti, Ideo quod in quolibet iuramento delato, tacite inest conditio, scilicet ut iuretur in continenti, alias nihil prodest. Itaque is cui defertur iuramentum, cautus esse debet, ne dicat: uolo deliberare, utrum uelim iurare, nec ne. Quia tunc propter interuallum iuramentum non ualeret, nisi fuerit de nouo delatum, quod reus non facile faciet, si senserit actorem suam intentionem probare non posse. Item propter illam deliberationem, possit Reus poenitere, & iuramentum delatum reuocare, quod tum esset praedudiale Actori. Maximè si suae intentionis nullas alias haberet probationes. Per Iusiurandum enim delatum probaret. Hoc tamen potest dicere Actor se uelle iurare, sed petat dilationem ut deliberet quid iuret, secundum Barto. in l. non erit. §. fin. ff. de iureiur. Dico iuravit, quia haec actio proprie non oritur nisi ab Actore fuerit iuratum, uel iuramentum post delationem a reo ipsi Actori remissum. Hoc enim perinde habetur, ac si fuisset iuratum. Distingue tamen. Aut fuit iuramentum ab actore acceptum, & tunc reus poenitere non potest, ita ut iuramentum reuocet. Si uero poenituerit, habetur pro remisso. l. Non erit. §. fin. iuncta l. seq. ff. de iureiur. Aut iuramentum ab actore delatum non est acceptatum. Et tunc potest Reus poenitere ante acceptationem, & per consequens iuramentum impunè reuocare. l. Si quis iusiurandum. C. de rebus cred. gloss. in l. manifestae turpitudinis. ff. de iureiur. Iuramento autem praestito non amplius quaeritur utrum reo quid debeat, sed an iuratum sit. Agitur enim tantum non ex priori contractu, sed ex iuramento. Et hoc adeo uerum est, quod etiamsi reus uoluerit probare Actorem male iurasse, non tamen auditur. Quia periurium habet Deum regulariter ultorem. Et iudex credit iuranti. l. ij. C. de rebus cred. Dico informiter, ut quia Actor iuravit simpliciter quid sibi deberi, nec tamen adiecit causam ex qua debeat. Tunc enim immediatè ex illo iuramento oritur actio in factum propter quendam quasi contractum delationis & acceptationis iuramenti. Si autem Actor formiter iurauerit, adiecta q; aliqua causa, ut si iurasset ex causa mutui sibi deberi. Tunc datur Actio utilis ex mutuo, uel ex alio contractu celebrato, quae nata est ex hoc iuramento. Habetur enim iuramentum pro ueritate. l. si duo. §. si quis iurauerit, cum §. sequent. ff. de iureiur. Sed haec differentia de iuramento formiter uel informiter facta, procedit in Actione personali.

An audiatur  
reus uolens pro  
bare actorem  
male iurasse.

• Si



## ENARRATIONES IN INSTITVT.

Quibus datur  
actio ex iura-  
mento.

Si enim Actor iuret in Actione reali rem suam esse, competit tam utilis rei uendicatio, quàm Actio in factum ex iureiurando, siue formiter, siue informiter iurauit, id est, siue adiecerit, siue non adiecerit ex qua causa res sua sit. Dico quid sibi deberi propter Actiones personales, in quibus maximè solet iurari. Dico reum rem suam possidere propter actiones reales, in quibus quoque iuratur. Pronomen enim suum præsupponit dominium, uel ius in re possessa &c. Et nota obiter ex iuramento Actoris, non tantum ipsi Actori actionem dari, sed etiam reo deferenti iuramentum, ut si iurasset se emisse domum à reo pro 100. Ex hoc iuramento Actoris competunt duæ Actiones. Primum, ipsi Actori actio ex empto, qua agit ad traditionem. Deinde datur quoque aduersario utilis actio ex uendito, qua agit ad precium. d. l. si duo. §. si quis iurauerit, & §. Marcellus. ff. de iureiur.

CAUSA istius actionis est ipsum iuramentum, quod habetur pro quodam quasi contractu propter rei delationem, & Actoris acceptationem. Hinc est quod hæc Actio recensetur inter personales, & habetur pro Actione Natiua, quia nascitur ex iuramento, quod habetur pro quodam quasi contractu. Quot autem sint species iuramenti, hic non dicitur, supra enim de fideicommissio uniuersali in §. fin. dictum est. Hæc autem Actio proprie loquitur de iuramento iudiciali, quod scilicet pars parti defert in iudicio iudice approbante.

### LIBELLVS IN ACTIONE IN FACTUM, ex iureiurando.

Non potest certa forma libelli in hac Actione tradi, cum multiformiter iurari possit. Iuratur enim in Actione personali dupliciter, informiter & formiter. Et quodlibet iuramentum habet propriam formam libelli. Deinde quoque iuratur in Actione Reali, formiter & informiter. Itaque in formatione libelli narra primum qualiter iuraueris, & secundum uarietates factorum narranda est conclusio, ut scilicet agendo realiter concludas rem tibi restitui. Agendo uero personaliter, rem tibi tradi uel dari &c.

### SECUNDA PRINCIPALIS

#### Actionum diuisio,

Secunda principalis Actionum diuisio est, quod sunt aut Ciuiles, aut Prætoriae.

Ciuiles dicuntur, quæ ex ll. ciuilibus introductæ sunt. Et sunt hæc sequentes.

- |                             |                            |
|-----------------------------|----------------------------|
| 1. Rei uendicatio           | 4. Actiones præiudiciales. |
| 2. Actio ad exhibendum.     | 5. Petitio hæreditatis.    |
| 3. Confessoria & Negatoria. | 6. Familiæ herciscundæ.    |
|                             | 7. Com.                    |



- |                         |                                     |
|-------------------------|-------------------------------------|
| 7. Communi diuidendo.   | 18. Ex uendito.                     |
| 8. Finium regundorum.   | 19. Locato.                         |
| 9. Condictio certi.     | 20. Conducto.                       |
| 10. Actio ex stipulatu. | 21. Mandati.                        |
| 11. Actio ex mutuo.     | 22. Pro socio.                      |
| 12. Condictio indebiti. | 23. Prescriptis uerbis quæ ex æsti- |
| 13. Condictio ex lege.  | mato et permutatione cōpetit.       |
| 14. Actio commodati.    | 24. Furti manifesti.                |
| 15. Depositi.           | 25. Legis Aquiliæ.                  |
| 16. Pignoratitia.       | 26. De pauperie.                    |
| 17. Ex empto.           | 27. Actio iniuriarū ex l. Cornel.   |
- Prætoriaræ dicuntur, quæ à iure Prætorio introductæ sunt. Ec-

- sunt hæ:
- |                           |                                 |
|---------------------------|---------------------------------|
| 1. Rescissoria.           | 12. De in rem uerso.            |
| 2. Seruiana.              | 13. Quod iussu.                 |
| 3. Quasi Seruiana.        | 14. Quod metus causa.           |
| 4. Pauliana.              | 15. De Dolo.                    |
| 5. Fauiana.               | 16. Furti manifesti.            |
| 6. De constituta pecunia. | 17. Serui corrupti.             |
| 7. De peculio.            | 18. Vi bonorum raptorum.        |
| 8. Negotiorum gestorum.   | 19. Actio iniuriarum ex iniuria |
| 9. Actio Tutelæ.          | uerbali.                        |
| 10. Exercitoria.          | 20. Utilis legis Aquiliæ.       |
| 11. Institoria.           |                                 |

Alias uide apud Spec. in tit. de actione, seu Petitione. §. postremo.  
Differentias autem inter Ciuiles & Prætorias audiemus infra de per-  
pet. & temp. actio.

### TERTIA DIVISIO.

Quædam sunt perpetuæ, quædam temporales.

### QUARTA DIVISIO.

Quædam sunt transitoria ad hæredes, quædam uerò non item.  
De istis duabus infra dicemus, in tit. de perpet. & tempo. actio.

### QUINTA DIVISIO.

Quædam sunt famosæ, quædam uerò non item. De hac diuisio-  
ne audiemus in §. Ex quibusdam, infra de pœna teme. litig.

### SEXTA DIVISIO.

Quædam sunt Directæ, quædam Vtiles: Directæ dicuntur quæ *Directæ.*  
oriuntur ex ipsis uerbis legis. Vtiles uerò quæ ex mête legis, ut si grus *Vtiles.*  
fecit pauperiem, non potest dari directa actio, si quadrupes paupé-  
riem fecisse dicatur, quia grus est bipes. Datur itaq; utilis ex mente  
illius legis.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

SEPTIMA DIVISIO.

Quædam sunt directæ, quædam contrariæ. Et de his supra diximus, ut de Actione Depositi, commodati directæ & contraria.

OCTAVA DIVISIO.

*Singulares.  
Vniuersales.*

*Generales.*

Quædam sunt Singulares, quædam Vniuersales, quædam uerò generales. Singulares sunt, quando petuntur res singulæ, ut in mutuo, commodato, & similib. contractibus. Vniuersales sunt, quæ de sui significato multa in se continent, ut petitio hæreditatis, actio de dote, actio de peculio, secundum Bar. in l. 1. ff. de edendo. Generales sunt, quæ habent sub se multas species ad instar generis dialectici, quales sunt Actio pro socio, Actio negotiorum gestorum, tutelæ pro red. denda ratione administrationis &c. Et omnes Actiones generales sunt personales. Quæ autem sit differentia inter Vniuersales & Generales, & quomodo in unaquaq; concludatur, uide las. in l. 1. iunct. glos. mag. ff. de edendo. l. pro socio arbiter. ff. pro socio.

NONA DIVISIO.

*Natiua.*

*Datiua.*

Quædam sunt Natiuæ, quædam Datiuæ. Natiuæ dicuntur quæ aliquam causam habent, ex qua nascuntur, ut sunt quæ oriuntur ex dominio uel alio quodam iure. Item quæ oriuntur ex contractibus, & delictis. Datiuæ sunt quæ non habent causam ex qua oriuntur, sed dantur tantum à lege ex quadam æquitate, ut est condictio ex lege, actio in factum uel præscriptis uerbis, in quibusdam casibus. Vide las. in §. rursus, in si. ferè. supr. eod.

De posteriore autem diuisione, quod scilicet quædam sunt Arbitrariæ, quædam non, infra dicemus circa tex. in §. præterea. infr. eo. De alijs diuisionibus, quales sunt pœnæ persecutoriæ, rei persecutoriæ, mixtæ, quæ dantur in simplum, duplum, triplum, uel quadruplū &c. dictum est supr. de Actio. perso. Et hæc de Actionibus hoc modo dixisse sufficiat.

SEQVITVR TEXTVS EXPLICATIO.

VERS. *Planè.*

Exceptio, id est, is cui res furto subtracta est, primùm ut fur propter illud delictum puniatur, deinde quoq; habet rei uendicationem, qua uendicat rem suam furto subtractam. Postremò, licet dominium rei furtiuæ uero domino per furtum non sit ablatum, tamen quoque agere potest contra furem actione personali, ad dandam illam rem, & hoc est speciale in odium furum, quo magis pluribus actionibus teneantur.

VERBO, *Merito rei uxoriæ.*

Id est, olim pro exigenda dote dabatur actio quæ uocabatur rei uxoriæ actio,



actio, & hæc est nunc translata in actionem ex stipulatu. Licet autem actio ex stipulatu simpliciter sit stricti iuris, tamen quod hoc casu surrogata est in locum actionis rei uxoriæ, quæ fuit bonæ fidei, censetur & ipsa esse bonæ fidei in hoc casu, quia surrogatum sapit naturam illius, in cuius locum surrogatum est.

§. Præterea.

### DE ACTIONIBVS ARBITRARIIS.

Actiones arbitrariæ dicuntur actiones stricti iuris, in quibus præter naturam Actionis propositæ exercetur officium iudicis mercenarium actioni deseruiens, propter aliquod accidens extrinsecum, secundum Bart. in l. unica. C. ubi conuen. qui cer. lo. da. pro. Et dicuntur arbitrariæ, non ideo, quod sit proprium nomen Actionis, sed quia ex arbitrio iudicis dependet. Inde dicuntur arbitrariæ. Dico, stricti iuris, quia nullæ actiones bonæ fidei sunt arbitrariæ. Quotquot autem arbitrariæ sunt, omnes sunt stricti iuris. Et omnes actiones stricti iuris, quæ dantur ad restitutionem, siue exhibitionem rei, siue sunt Reales, siue personales, sunt arbitrariæ. Sicut inf. in diuisione latius dicemus. Dico præter naturam actionis propositæ, ad differentiam actionis bonæ fidei, in quibus iudicis officium mercenarium etiam seruit, non autem præter naturam actionis, sed secundum naturam. In actionibus enim bonæ fidei ueniunt usuræ & interesse propter moram ex natura actionis, & iuratur quoque ex natura actionis in litem. In actione autem stricti iuris ista fieri non possunt, secundum naturam actionis propositæ. Tamen quando æquitas suadet, Iudex præter naturam actionis habet etiam interesse utriusque partis accidentaliter, prout uiderit expedire ex natura negotij. Exemplum: Si egissem contra te rei uendicatione, tuque mihi ad restitutionem rei fuisses condemnatus, & sententia transisset in rem iudicatam, mea quoque interesset rem restitui, statim post condemnationem, nec tamen restituisi, possum à te petere illud Interesse. Sed est illius Interesse non dependet ex natura rei uendicationis, sed est accidens extrinsecum, quod principali actioni non inhæret. Ideo imploro officium Iudicis, ut ex arbitrio suo condemnet mihi reum in id, quanti mea interest, rem restitutam non esse. Dico officium Iudicis mercenarium, quia nobile officium Iudicis actioni non inseruit, ut infr. dicemus de offi. Iud. Dico propter accidens aliquod extrinsecum. Quia illud quod in Actionibus arbitrarijs petitur, non debetur ex natura Actionis propositæ. Sed quia extrinsecus accedit. Sunt autem Actiones arbitrariæ duplices, Reales & Personales. Reales arbitrariæ sunt: Actio ad exhibendum, Rei uendicatio, Publiciana, Seruiana, & quasi Seruiana. Et dicuntur ideo Arbitrariæ, quia



si reus iussus est exhibere, nec exhibet, uel rem restituere, & non restituit, cōdemnatur ex arbitrio Iudicis ad Interesse. Personales arbitrariæ sunt omnes Actiones stricti iuris, quæ competunt ad rem restituendam. l. qui restituere, in fin. ff. de rei uen. quales sunt: Actio noxalis, Interdictum unde ui, Actio quod metus causa, Actio de dolo, Actio qua id petitur, quod certo loco promissum est, si in eo loco non præstatur.

CAVSÆ Actionis arbitrariæ sunt contemptus Iudicis & contumacia. Si enim quis à iudice iussus fuerit soluere &c. & contemnit, imploratur contra eum officium Iudicis, ut ex arbitrio eius quoque condemnatur ad interesse.

EFFECTVS est quòd in eis plerunq; duæ sententiæ proferuntur, una de re restituenda, exhibenda uel soluenda, Altera qua cōtempor illius sententiæ condemnatur ad pœnam uel interesse.

*An sententia incerta ualeat.* §. Curare autem. ) Quòd sententia certa ualeat, non est dubiū. An autem incerta ualeat, dubitari potest. Tu dic secundum Bart. in l. iij. C. de senten. quæ sine certa quant. prof. Aut certa quantitas reperitur in actis probatorijs, & fidem facientibus, ut in instrumentis, confessionibus, uel in dictis testium, & ualet etiam incerta sententia, quia potest referri ad acta. Aut in actis probatorijs non reperitur certa quantitas, Sed tantum in actis assertorijs, ut in libello uel positionibus. Et tunc sententia propter incertitudinem est nulla. Vide doc. hic, & præsertim D. Ias.

*An petitio incerta in libello ualeat.* Verbo etiam si de incerta quantitate. ) Quando quæritur, utrum petitio incerta in libello ualeat, distingue secundum Barto. in l. ij. C. de sen. quæ sine cert. Aut proponitur actio uniuersalis, ut petitio hæreditatis, uel actio de dote. Item actio generalis, ut actio tutelæ, pro socio, negotiorum gestorum, & procedit incerta petitio, sicuti quoque incerta sententia. Aut proponitur actio singularis, ut est actio ex mutuo &c. Et tunc, Aut est obligatio simplex, id est, non alternatiua. Et subdistingue: Aut in libello non potest declarari certa quantitas, sed declaratur in sententia, ut quando petitur Interesse, quod dependet ex arbitrio iudicis. Et procedit petitio incerta. Aut in libello potest exprimi certa quantitas. Et non ualet incerta petitio. Aut non est obligatio simplex, sed alternatiua, ut hoc modo: Promittis mihi Stichū, aut Pamphilum. Et tunc si electio est debitoris, ut det quem ipse uult, & ualet incerta petitio. Si uerò electio est creditoris. Et tunc, quia potuit dare certum libellum, non ualet incerta petitio. Vide Iaso. hic in Ver. alia ergo.

§. Compensationes. ) Compensatio est debiti & crediti interesse contributio. l. i. ff. de comp. Et ideo introducta est, quia nostra interest



est potius non soluere, quàm solutum repetere. l. iij. ff. eo. Habet autē <sup>Quando habeat</sup> tunc compensatio locum, quando ab utraq; parte debetur quātitas, <sup>locum compen</sup> uel aliquid promissum est in genere, & eiusdem generis utrinq;. l. si <sup>satio.</sup> constat, cum similib. C. de compen. Secus autem in debito speciei, quia compensatio non admittitur. Fit autem tum compensatio, quā <sup>Quando fiat</sup> do à parte fuerit opposita. Non autem ipso Iure, per text. nostrum <sup>compensatio.</sup> hic. In delictis autem fit compensatio ipso Iure, sicuti uidemus in delictis & similibus.

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA PO.  
testate est, negotium esse dicitur. Tit. VII.

§. Illud propriè seruatur. Breuiter hoc S. C. cessat, quando pecunia mutuò accepta est uersa in utilitatem filijfam. uel patris. Quia nemo debet locupletari cum alterius iactura. l. Nam hoc natura, ff. de condi. indeb.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Tit. VIII.

In uerbo ueluti furti. Et sic uides Actionem noxalem non esse proprium nomen Actionis, sed potius adiectionem, ut cum dico: Actio furti noxalis. Actio iniuriarum noxalis &c.

DE HIS, PER QVOS AGERE POSSV.

mus. Tit. X.

**I**N hoc tit. tractatur de personis, quæ alieno nomine in iudicijs conuenire & conueniri solent, quales sunt: Procurator, Actor, coniuncta persona, defensor, excusator, Syndicus, Curator, Tutor &c. Quia autem hic tit. principaliter est de procuratoribus, de illis pauca dicemus.

Dicitur autem procurator is, qui aliena negotia mandato domini gratis administrat. l. i. in prin. ff. de proc. Dico mandato, quia si quis sine mandato alicuius negotia gerit, non est procurator, sed negotiorum gestor, ut habetur per tot. tit. ff. & C. de neg. gest. Dico domini, ad differentiam tutorum uel curatorum, collegiorum & similibus, qui cum propriè non sint domini rerum quib. præsumunt, sequitur quòd etiam procuratores constituere non possint. Constituunt autem uel Actores uel Syndicos. l. Nec ciuitatis. ff. de procu. l. Neque tutores. C. de procu. Dico gratis, quia si primùm de certa mercede præstanda conuentum fuisset, non esset constitutus procurator, sed operarum locator, nec esset mandatum, sed locatio, quia mandatum est de sui natura gratuitum. l. i. in fin. ff. mandati. Hoc tamen intelligi



debet, ut procurator à principio negotij nihil certi exigat pro negotio gerendo. Secundò, quòd non paciscatur de quota litis. l. Salarium. ff. mandati. l. litem C. de proc. Mandato tamen suscepto, & negotio expedito tacitè potest pro remuneratione laboris sui salarium accipere. d. l. Salarium. ff. mandati. d. l. litem.

Quòd autem dici solet, procuratores infames esse, intellige de illo qui paciscitur de quota litis. Sunt autem procuratores duplices, Procuratores ad negotia, & procuratores ad lites. Procurator ad negotia is dicitur, qui ex mandato alicuius extra iudiciũ negotia exequitur, quales sunt ministri mercatorũ &c. Et de his non loquitur tit. noster. Procuratores autem ad litem dicuntur, qui ex alicuius mandato eius negotia in iudicio exequentur. Et de illis loquitur tit. noster. Sunt autem duplices. Quidam enim constituuntur in rem siue causam alienam. Quidam uerò cõstituuntur in rem suam. l. Procurator. ff. de proc. l. Iusiurandum. la. 1. §. si. ff. de iureiur. Procuratores ad litem in causa aliena dicuntur, qui ex mandato alterius in iudicio eius nomine agunt uel defendunt. Ab Actoribus constituti propriè dicuntur procuratores. A reis uerò constituti propriè dicuntur defensores. De cautionibus & satisfactionibus eorum dicetur in tit. seq.

CAUSA istius procuratoris ad litem in causa aliena est mandatũ constituentis. Nisi enim coràm in iudicio, uel per scripturam publicam, uel priuatam constituantur, ita quòd de mandato constet, regulariter non ualet constitutio, ut colligitur ex Cle. 1. cum gl. de procu. uel si non habet mandatum, cautio de rato efficit, quòd admittitur. Mandatum autem per quod procurator constituitur, est triplex, Speciale, generale, & mandatum cum libera. De quib. uide c. Qui ad agẽs, cui ex aliena causa utiles actiones ceduntur, quas nomine suo intet, directis penes cedentem remanentibus. Et nos explicauimus in tit. de proc. in processu.

## DE SATISDATIONIBVS. Tit. XI.



Possidens immobilia an teneatur in iudicio satisdare.

SATISDATIO est securitatis redditio per idoneos fideiussores. l. 1. ff. qui satisd. co. Dico securitatis redditio, quia si aduersarij nostræ promissioni stare noluerint, tenemur illorum desideria adimplere. d. l. 1. Dico per fideiussores, quia hic propriè nõ fit cautio per pignora. Qui enim immobilia possident, quæ loco pignoriũ habentur, in iudicio satisdare nõ compelluntur. l. sciendum. in prin. ff. Qui satis. co. Si tamen reus conuentus non habens immobilia, iurauerit se non posse satisdare fideiussoribus, statur suæ iuratoriae cautioni. §. Sed hodie, cum similib. hic



hic ti. no. Dico idoneos, quia fideiussores, per quos huiusmodi satisfationes fiunt, debent esse idonei, duplici ratione. Primò circa facultates, deinde circa facilitatem cōueniendi. Circa facultates dicuntur idonei, si sunt locupletes. l. ij. in prin. ff. Qui satisfad. cog. Facilitate cōueniendi dicuntur idonei, quando non sunt priuilegiatæ personæ, ut mulieres uel minores, Item, clerici uel scholastici, qui tantum coram suis iudicib. cōueniuntur. Autē. Habita. C. Ne filius pro patre. c. Si diligenti, extr. de foro compe. Item qui non sit potens, nec rixosus, uel calumniator, quod facile possit cōueniri &c. secundum Bar. in d. l. ij. ff. qui satisfad. cog. Fiunt aut satisfationes bifariam. Aut enim fiunt per ipsos principales, aut per eorū procuratores. Circa principales distingue: Aut loquimur de Actore. Et olim tenebatur ad duas cautiones, de quibus uide gl. in § sed hodie, in uerbo, nullam, hic ti. nostro, sed illæ hodie non sunt in usu. Aut loquimur de reo, & hodie tantum tenetur satisfadare iudicio sisti, hoc est, quod uelit expectare in iudicio usq; ad finem litis. d. § sed hodie, hic titulo nostro.

Et promittit in hac satisfadatione reus, quod uelit sistere in iudicio. Fideiussor autem eius promittit se curaturum, quod sistat reus, aliàs promittendo factum alienum, non obligaretur & si quis alium, supra de inutilibus stip.

Quando aut quæritur, quamdiu duret hæc satisfadatio, distingue: Aut quis fideiussit usq; ad certum tempus, et tenetur usq; ad illud tempus, & nō ultra. Aut promisit simpliciter. Et tunc, Aut super promissione confecta est publica scriptura, & perpetuo tenetur. Aut est confecta scriptura priuata. Et subdistingue: Aut actor negligit agere, & tenetur fideiussor rei tantum ad duos menses. Aut agit cōtinuè, & tenetur fideiussor usq; ad sententiã, quæ potest differri usq; ad triennium. l. properandum. C. de iud. uide gl. hic in d. § Sed hodie, in uerbo, ad terminum. Committitur autem illa satisfadatio ad interesse. l. ij. § fin. ff. qui satisfad. cog. l. si. ff. si quis in ius uoca. non ierit. Et licet hodie principalis cōuentus non tenetur satisfadare de iudicato soluendo. d. § sed hodie. Hoc tamen intelligitur pendente iudicio. Verum post latam sententiã tenetur de iudicato satisfadare etiam hodie, secundum Bart. l. si de bitori. ff. de iud. arg. l. debitoribus. Veri. Hi qui tibi. ff. de re iud.

Circa satisfadationes Procuratorum quoq; distingue: Aut loquimur de Procuratore Actoris, & tunc si constat eum habere mandatum, uel si actor presens in iudicio eius personã legitimauerit, nihil satisfadat. Si uerò de mādato dubitatur, cauet de rato. Est tamē in electiōe Procuratoris, an uelit cauere de rato, ul' pro



bare mandatum. Item cauet de defendēdo in causa reconuentio-  
nis. Si autem constiterit eum non habere mandatum, non admit-  
titur etiam cautione de rato, Nisi pro coniuncta persona. l. sed &  
hg. ff. de procura. Aut loquimur de procuratore rei. Et dic quòd  
tenetur satisfacere de iudicato soluendo, nec distinguitur hic an  
habeat mandatum uel non, an possideat immobilia, uel non pos-  
sideat. Indistinctè enim tenetur cauere de iudicato soluendo, que  
satisfactio continet tres clausulas, de re iudicata soluenda, de reo  
defendendo, & de dolo malo ab futuro.

Circa hanc cautionem tu ita dic: Aut reus principalis est ab-  
sens, & fit illa satisfactio per alios idoneos fideiussores. Aut est  
præsens, & potest ipse promittere sub obligatione rerum suarū  
in iudicio, uel extra, Actori de re iudicata soluenda. Et releuatur  
procurator à satisfactioe. Sin autem, hic titulo nostro. Et ope-  
ratur illa satisfactio tantum, quòd mandatum Procuratoris mor-  
te domini non finitur. l. si defunctus. ff. de Procurat. Durat autē  
tantum in una instantia, quia si fuerit appellatum, non tenetur  
Procurator in causa appellationis ex prima satisfactioe. l. cum  
apud. ff. de iud. solui.

## DE PERPETVIS ET TEMPORALI- bus Actionibus. Tit. XII.

**I**N hoc titulo habes duas Actionum diuisiones. Primò  
quòd quædam sunt perpetuæ, quædam uerò tempora-  
les.

Perpetuæ dicuntur, quæ longiori tempore uiuunt.  
In quibus distingue: Aut loquimur de Actionibus Realibus.  
Et dic, quòd usucapione & præscriptione tolluntur, si scilicet  
possessor iusto tempore, & continuò possederit. Nam si quis  
uult uendicare rem mobilem, durat illa Actio per triennium. Si  
uerò immobilem, per decennium inter præsentēs, & xx. inter  
absentes. De his uide quæ diximus supr. de usucap. & præscrip.  
Aut loquimur de Actionibus personalibus, Et subdistingue:  
Aut loquimur de ciuilibus, & durat triginta annis. l. sicut, cum  
similib. C. de præscrip. triginta, uel quadraginta annorum. Hoc  
tamen fallit in actione quæ datur pro iniuria Reali. Hæc enim  
licet sit per l. Cornel. introducta, & Iuris Ciuilis, tamen anno tol-  
litur secundum quosdam. Vide de hoc glos. hic, in uerbo, consti-  
tutionibus, in fin. & glos. in sed & lex Cornelia, supr. de iniu-  
rijs. Item fallit in actione in factum repetundarum. De qua uide  
Ioann. de Plat. hic. Aut loquimur de prætorijs Actionibus, &  
tunc, aut loquimur de rei persecutorijs. Et quoq; sunt perpetuæ,  
id est,

Quousq; duret  
uendicatio rei  
mobilis.



id est, durant triginta annis, ut hic in prin. Verf. Aliquando. Hoc tamen fallit. Primò in Actione Rescissoria, quæ durat anno utili, intentata tamen infra annum utilem perpetuatur. l. In honorarijs §. Sed cū rescissa. ff. de Actio. & oblig. §. Rursus, supra de actio. Secundò fallit in Actionibus ex ædilitio edicto prouenientibus. Nam redhibitoria datur infra annum, & Actio quanti minoris datur infra sex menses, de quibus uide quæ diximus in §. Proponerent, supra de Iure nat. & ciuili. Tertio fallit in Actione Pauliana, quæ datur infra annum utilem. Quartò fallit in Actione de Dolo, quæ debet inchoari & terminari infra biennium. Nec perpetuatur per litis contestationem. l. si. C. de dolo. Nisi dolosus sit factus locupletior ex dolo, Tum enim tenetur perpetuo. l. Sabinus, cum similibus. ff. de dolo. Alias fallentias, uide apud Ioan. de Plat. hic. Aut quæritur de pœnæ persecutorijs. Et illæ sunt annales, ut hic in prin. Annus autem non intelligitur continuus, sed utilis, secundum gl. hic, in uerbo, infra annum. Fallit tamen hoc in Actione furti manifesti, quæ est prætorica, & tamen perpetua propter frequentiam illius delicti, ut hic in textu. Itē si delinquens est factus locupletior ex delicto priuato, quoq; perpetuatur Actio. l. in prin. ff. de ui & ui ar.

§. Non autem. In hoc §. est alia Actionum diuisio, quædam enim sunt transitoria ad hæredes, quædam uerò non sunt transitoria ad hæredes.

Transitoria ad hæredes sunt omnes Actiones Reales, & quoque personales ex contractibus, & quasi contractib. prouenientes.

Non transitoria ad hæredes sunt omnes Actiones pœnales. In his tamen distingue: Aut agitur de delicto criminaliter, scilicet ad pœnam corporalem, uel ad pœnam ademptionis bonorum, uel aliam pœnam fisco applicandam, & tunc contra hæredem non competit Actio ex delicto defuncti, non distinguendo an sit delictum priuatum uel publicum. Item an sit contestata, uel non contestata, quia hoc casu crimen morte extinctum censetur. l. si. C. si Reus, uel accus. mort. Si tamen sententia esset lata, in qua quis damnaretur ad amissionem bonorum, uel pœnam pecuniariam, fieret executio contra hæredem, si Reus fuerit mortuus. l. Ex Iudiciorum. ff. de Accusat. Et sunt alij quinque casus, in quibus dantur Actiones contra hæredes, etiam in criminalibus criminaliter intentatis, ut læsæ Maiestatis, hæresis, repetundarum, peculatus, & de residuis. De quibus uide glos. hic, in uerbo, ex maleficijs. Aut agitur ciuilitè de crimine, & tunc, Aut quæris an detur Actio hæredi contra delinquentem, & responde quòd sic, ut hic, in uerbo, hæredibus. Hoc tamen fallit. Primò, in Actione Iniuriarum, ut hic.

Secundò,



Secundò, in Actione in factum contra filium, uel libertum uocantem patrem, uel patronum in ius sine uenia.

Tertiò, in Actionibus popularibus, nisi lis per defunctum sit contestata, secundum glos. hic, in uerbo, In iuriarum. Aut quæris an denitur contra hæredes defuncti, & regula est quòd non, per text. nostrum hic. Nisi lis sit contestata, per litis contestationem enim perpetuatur Actio, sitq; Transitoria ad hæredes.

Per liti contestationem perpetuatur Actio.

Item nisi quid ex delicto defuncti ad hæredem peruenerit. l. In hæredem, ff. de Calumniatoribus. Hoc tamen quoq; fallit in quibusdam casibus. Quos uide hic in gloss. in uerbo, competeret, & in lo. an. de Plat.

Cautela.

§. Superest. ) Hic nota optimam cautelam. Si quis conuenitur Actione famosa, & timet quòd conuinci possit, soluat quòd debet ante condemnationem, & euitat infamiam. Illam cautelam dat Barto. in l. infamem. ff. de publ. iud. & repetit eam hic Ioan. de Plat.

DE EXCEPTIONIBVS. Tit. XIII.



**A**CTENVS de Actionibus quæ à parte Actorum proponuntur, dictum est. Nunc autem de Exceptionibus, quibus rei contra Actores se defendunt, dicendum erit.

Dicitur autem exceptio nihil aliud, quàm Actionis exclusio. Dico exclusio, quia sicuti Actiones sunt arma Actorum, ita quoq; exceptiones sunt arma Reorum, quibus intentionem Actoris repellunt. Hinc est quòd reus excipiendo dicitur Actor. In multis enim conueniunt Actio & Exceptio.

Primum sicuti Actor tenetur probare suam intentionem, ita quoque Reus probat suam exceptionem. l. i. ff. eod. l. In exceptionibus ff. de probat.

Secundò conueniunt. Nam sicuti libellus generalis non procedit opposita exceptione generalitatis. l. fin. C. de anna. exce. & habetur in c. i. extra de libel. obl. Ita quoq; generalis exceptio non admittitur, quia censetur inepta.

Tertiò conueniunt, nam sicuti in Actione quæ proponitur per uiam accusationis, debet inferi locus & tempus. l. libellorum. ff. de accusatio. Ita quoq; quando deducitur per uiam exceptionis. Sunt quoque quidam casus, in quibus differt exceptio ab Actione.

Primò, quòd Actio debet fieri in scriptis, ut habetur in d. c. i. extra de libel. oblat. Exceptio autem non fit de necessitate in scriptis. l. scire oportet. §. Oportet. ff. de excusat. tut. Iudex tamen ex officio faciat eam redigi in scriptis. c. quoniam contra falsam, extra de probatio.

Secundò



Secundò differunt, quia actio debet continere conclusionem, secundum Bart. in l. i. ff. de Eden. in exceptione autem hoc non requiritur, sed sufficit eam simpliciter proponi, secundum Bart. in d. l. i. ff. de except. licet enim excipiens dicatur agere, & sic sub nomine Actionis comprehenditur exceptio. Hoc tamen procedit non propria significatione, sed impropria, et larga. Et ideo si statutum meminit actionis, non potest intelligi quoque de exceptionibus, quia uerba statutorum debent propriè intelligi, secundum Bar. in d. l. i. ff. de Except.

Quatenus dicitur excipiens agere.

Exceptiones autem sunt triplices, Dilatorie, Peremptorie, & Anomalæ. l. iij. ff. eo. & Appellantur, hic tit. nostro, glo. & Pano. in c. Exceptionem, extrà eo. legistæ in l. exceptionem. C. de probat. & l. siquidem. C. de except.

Dilatorie exceptiones dicuntur exceptiones tēporales, quæ scilicet tantum ad tempus nocent, temporisq; dilationem tribuunt. Et dicuntur dilatorie à differendo, quia negotium differunt. Sunt autem duplices, quædam dicitur Dilatoria solutionis, quædam uerò Declinatoria Iudicij. Ita diuidit Spec. in titulo de exceptionibus. Vers. Dilatorie.

Dilatoria solutionis propriè dicitur, quæ differt siue impedit solutionem in totum, uel pro parte. Exemplum, si promisi tibi decem post biennium, & tu statim post mensem petis, repello te per exceptionem, scilicet non teneor ad solutionem ante lapsum biennij, quia ita ab initio conuentum est, arg. l. cedere diem. ff. de uerb. sig. Et oritur hæc exceptio ex multis causis. Primò ex ipsò cōtractu, ut quod promisi tibi in diē, & tu petis statim. l. cōtinuus. & cum ita. Vers. Nam & quod in diem. ff. de uerb. oblig.

Secundò ex pacto, ut quia ab initio purè obligatus eras, & postea feci tibi pactum de non petendo usq; ad certum tempus. l. iij. temporales. ff. eod.

Tertiò oriū ex legis dispositione, ut quia condemnatus sum in actione personali: Ideò nō teneor iudicatū soluere, ante lapsum quatuor mensium, ut notatur in l. ij. cū similibus. ff. de re iu. Item quādo uxor uel eius heredes soluto matrimonio repetunt dotē, non tenetur maritus reddere ante annū, à die soluti matrimonij, quia defendit se per exceptionē Dilatoriā solutionis. Huc quoque refer exceptiones, quib. quidam se defendunt à solutione solidi, quales sunt dominus & pater, quando agitur contra eos de peculio filij uel serui. Secundò maritus, quando conueniuntur à filijs rem. Tertiò, parens & patronus, quando conueniuntur à filijs & libertis. Quartò, quando agit socius cum socio. Quintò, si quis



quis conuenitur ex sua donatione. Sextò, is qui cessit bonis. Nā illi omnes habent exceptionem ex lege, qua se defendunt, ne scilicet teneantur soluere solidum, sed quantum facere possunt.

Et sic differtur solutio pro parte. Sunt præterea, cum paragraphis seq. Inst. de actio. l. Sunt qui in id, cum multis similib. ff. de re iudica. Et ita in effectu decidit Spec. in tit. de Except. §. Nunc uendendum, in prin. Si autē quis obijceret sex exceptiones posteriores non esse dilatorias, sed peremptorias, ideo q̄ pro parte perimant actionem, responde quòd nō perimant actionem pro parte, sicuti uidemus in eo qui cessit bonis, qui licet primò iuret ab exceptione, ne condemnetur in solidum. Si tamen postea peruenit ad pinguiorem fortunam, semper conueniri potest in quantum facere potest. Et sic differt hæc exceptio tantum partem solutionis, non perimit. sed de hac q. fortè infrā dicemus.

Opponitur autem hæc exceptio dilatoria solutionis ante litē contestatam, & probatur tum demum, quando actor suam intentionem fundauit. Si autem actor suam intentionem non fundauerit, nihil obest Reo exceptionis obiectio. Per eam enim, licet sit affirmatiua, Actoris intentio fundata non est. l. siquidem. C. eod. l. Exceptionem. C. de probat. glo. in c. Exceptionem. extra de Excep. Sed super hac q. quando scilicet exceptio dilatoria solutionis opponi debeat, sunt opinioniones Docto, De quibus uide Panor. in d. c. exceptionem. extra eod.

Declinatoria iudicij dicitur, quæ forum mutat. Et illa colligitur ex multis rationibus.

Primò ratione Iudicis, qui est incompetens, suspectus, bannitus, infamis, minor 25. anno. damnatus l. Julia repetundarum, surdus, mutus, furiosus, mulier, à dignitate propter delictum amotus, quòd propter calumniam in aliqua causa tulit sententiam. Item quòd est Iudæus, Hæreticus &c. Alias similes exceptiones uide apud Spec. in tit. de iud. deleg. §. Excipi potest, & in tit. de Recusa. Illæ autem exceptiones, quibus iudex recusatur, sunt proponendæ non tantum ante litem contestatam, sed etiam ante omnes alias dilatorias. Nam proponendo alias coram iudice, uideor personā eius reprobare, nec deinde eum reprobare possum, secundum Panor. in d. c. exceptionem. Nisi pars ignorauerit iudicem esse incompetentem. Tum enim etiam post sententiam poterit opponere. l. si. iunct. glo. C. eod.

Secundò colliguntur ex persona actoris, ut quia est infans, pupillus, uel adultus, & uult agere sine Tutoris uel Curatoris auctoritate, prodigus, surdus, mutus, non edens libellum etc. De quibus uide Spec. in tit. de actore.

Tertiò



Tertio colliguntur exceptiones ex persona rei, ut quia est parens uel patronus Actoris, & conuenitur sine uenia, quod est consul, uel aliquis summus Magistratus. Item clericus conuentus coram iudice laico. Idem dic de Medicis, Doctoribus Iuris, & professoribus artium liberalium, qui cogi non possunt esse in iudicio, de quibus uide Spec. in tit. de reo.

Quarto colliguntur ex persona procuratoris, ut quia est mulier, minor, accusatus de crimine, nec purgatus, redemptor litis, excedens fines mandati, furiosus, prodigus, surdus, mutus, mente captus &c. De quibus uide Spec. in tit. de procura. §. Ratione.

Quinto colliguntur ex rescripto, ut quia est falsum, surreptitiu, cancellatu, rasum, & litera non est uniformis &c. De quibus uide Spec. in titulo de Rescripti presentatione. §. primo agitur, cum seq. Idem dic de exceptio, quae colliguntur ex mandato Procuratoris. Item de illis quae colliguntur ex ipsa citatione, de quibus uide Spec. in tit. de citat.

Sexto colliguntur ex ipso loco Iudicii, ut quia non est tutus propter incursum hostium, uel latronum, uel etiam propter imminentem pestem. Cle. pastoralis. uers. Esto igitur, de sent. & re iud. c. Accedens. la. ij. extra ut lite non contest. & ibi Panor. Item quod in alio loco soluere tenetur. §. Huic autem, supra de Actio. c. unico, extra de plus petitio.

Septimo colliguntur ex ipso tempore, ut quia quis citatus ad diem feriatam, uel tempore messis, siue uindemiarum, ut ff. & C. per totum de ferijs, & extra de ferijs.

Octauo colliguntur ex causa, ut quia aliquis conuenitur super pluribus Actionibus personalibus coram diuersis Iudicibus. c. dispendia, extra de rescriptis in 6.

Nono colliguntur ex libello, ut quia non habet medium concludendi, uel est generalis &c. uide Spec. in titulo de Exceptio. §. Exceptionum igitur. Vers. dilatoriarum, & Panor. in d. c. Exceptionem. Cle. pastoralis, Vers. Esto igitur, de sent. & re iud. c. Accedens. la. ij. et ibi Panor. extra ut lite non contesta. Et illae declinatoriae iudicii opponendae sunt & probandae ante litem contestatam, ad hoc ut litis ingressum impediatur. l. Ita demum. C. de procura. l. fin. C. de exceptio. l. Exceptionem, C. de probat. l. Non ignorat cum multis similibus. C. qui accus. non possunt. Et potest Iudex reo terminum statuere, infra quae omnes simul proponat. c. Pastoralis, extra de exceptionibus. Si tamen post litem contestatam, quando cunq; exceptio dilatoria in eeperit competere, tunc poterit post litem contestatam. Vide de hac materia, quae notantur in c. pasto. extra eod.

Exceptiones uero peremptoriae siue perpetuae dicuntur, quae Actio



nem perimunt seu elidunt. & Appellantur, hic titulo noſt. Et ſunt  
duplices. Exceptiones peremptoriae facti ſiue intentionis, & ex-  
ceptiones peremptoriae Iuris.

Exceptiones peremptoriae facti dicuntur, quae de facto peri-  
munt intentionem Actoris, quando ſcilicet Actori de Iure nul-  
la competit actio, ſed tantum agit de facto, ut quod reus neq; na-  
turaliter neq; civiliter ei obligatus eſt, uel eſt quidem obligatus,  
ſed tantum naturaliter, non aut civiliter. Quia ex illa naturali ob-  
ligatione nulla oritur actio de Iure. Igitur quoq; non eſt opus ex-  
ceptione Iuris, ſed ſatis eſt opponere de facto, ut ſupra diximus.

Opponuntur aut illae exceptiones bifariam, in uim ſcilicet dila-  
toriae, et in uim peremptoriae. Quando in uim dilatoriae opponun-  
tur, ante litem conteſtatam opponendae, & in continentia proban-  
dae ſunt, ad hoc ut litis ingreſſum impediunt. Quando uero in  
uim peremptoriae opponuntur, opponi & probari debent poſt  
litem conteſtatam, uide gl. & not. in c. Exceptionem, extra eod.  
& quae notantur in l. ſi. C. eo. Enumerantur autem a Doctores  
multae exceptiones facti. Prima eſt rei iudicatae, nam ſi ſententia  
eſt lata, quae tranſiit in rem iudicatam, per eam ſublata eſt civilis  
obligatio, etiam ſi fuerit iniqua. Igitur actor denuo agens per ex-  
ceptionem rei iudicatae, repellitur. Ad hoc autem ut haec Actio co-  
petat, requiruntur tria: Primo, quod ſententia ſit lata a iudice co-  
petenti, qui ſcilicet habuit ius iudicandi. l. iij. §. condemnatum. ff.  
de re iud. l. ij. in ſi. ff. de poenis. Si autem a non ſuo iudice fuerit lata  
ſententia, ipſo iure non tenet. c. At ſi clerici, cum ſimilibus, extra  
de iudicis, in antiquis. c. ſeculares, extra de foro comp. eod. lib.  
De defectu enim iuriſdictionis ſemper poteſt opponi, ut nota-  
tur in Cle. i. de ſequeſtra. poſſ. & fruct. Secundo requiritur, quod  
ſententia ſit lata Iuris ordine ſeruato, & ſic quod non ſit contra  
Ius conſtitutionis. l. prolatam. C. de ſent. & inter. om. iud. l. ij. C.  
quando pro. non eſt neceſſe. Si autem non contra Ius conſtitutio-  
nis, ſed ius litigatoris lata eſſet ſententia, nec ab ea infra decem dies  
appellatum, tranſiret in rem iudicatam, et ualere. c. cum inter, ex-  
tra de re iud. Tertio, quod ab ea non ſit appellatum infra x. dies.  
Hiſtribus concurrentibus, competit exceptio rei iudicatae, quae  
eſt intentionis & facti tam in civilibus, quam in criminalibus. c. de  
his, extra de Accuſatio. Hoc tamen fallit in cauſa matrimoniali,  
quae nunquam tranſit in rem iudicatam, quin poſſit retractari  
comperta ueritate. Nec obſtat in eis exceptio rei iudicatae. c. La-  
tor, extra de ſent. & re iud. Et ſic habes quoque explicatam pri-  
mam partem gloſſae magnae in uerbo, finita.

Cauſa matrimo-  
nialis nunquam  
tranſit in rem  
iudicatam.

Secunda



Secunda exceptio facti, quæ litis ingressum impedit, est transactio-  
 nis per text. nostrum hic, & concordat l. eleganter. §. si quis. ff. de cō-  
 dict. indeb. l. fratres tui, C. de transact. l. Neq. ff. de in ius uocan. Et  
 est ratio, quia lites legitimis transactionib. sopitæ, etiam Imperiali re-  
 scripto resuscitari non debent. l. causas, cum similib. C. de transactio.  
 Sed in hac exceptione tria requiruntur. Primò, quòd fiat transactio  
 inter personas, quæ possunt transigere, ut nō inter pupillos siue adul-  
 tos, sine Tutoris uel Curatoris autoritate, non cum filiofamiliæ, su-  
 per peculio profectitio, non pater cum filio, non dominus cum ser-  
 uo. l. Interpositas, §. Sed quoniam. C. de transactionibus. Idem dic si  
 esset facta super rebus, super quibus non potest transigi, ut sacris, san-  
 ctis, religiosis. Item super libero homine, & c. ut supra de rerum diui-  
 sio. §. Nullius, cum similibus. Secundò, quòd sit facta bona fide. Si et  
 nim dolus intercesserit, & quis exceptione transactionis se defendere  
 uoluerit, replicatur contra exceptionem de dolo. l. Tres fratres, cum  
 multis similibus. ff. de pactis. Itē, si metu fuisset coactus quis ad tran-  
 sigendum, quoq; rescinderetur transactio. d. l. Interpositas, in princi-  
 pio. C. de transactio. Tertiò, quòd non fiat post rem iudicatam, quia  
 talis transactio non ualet. d. l. Eleganter. §. si post rem. ff. de condict.  
 indeb. Nisi negetur iudicatum esse, uel ignorari potest an sit iudica-  
 tum. l. post rem iudicatam. ff. de transactio.

Tertia Exceptio litis finitæ, siue facti, est Exceptio præscriptionis.  
 Sed super hac quæstione, an scilicet Exceptio præscriptionis sit Ex-  
 ceptio iuris uel facti, & sic an opposita ante litem contestatam impe-  
 diat litis ingressum, nec ne, sunt contrariæ opiniones.

Primò enim uidetur, quòd sit Exceptio iuris, debeatq; probari  
 postquam Actor suam intentionem fundauerit, & sic post litem con-  
 testatam per text. ad literam, in l. Emptor. C. de præscriptio. long.  
 tempo. Et habet hæc opinio optimas rationes. Primò quia licet per  
 usucapionem dominium rerum immobilium ipso iure transferatur,  
 l. Traditionibus. C. de pactis, tamen per præscriptionem non tolli-  
 tur dominium rerum immobilium ipso iure, sed ope exceptionis, se-  
 cundum gloss. & quæ ibi not. in uerbo dominia rerum. supra de u-  
 sucapio. in prin. Cum ergo per præscriptionem dominium ipso iure  
 non sit sublatum, tamen sequitur quòd pro re præscripta, adhuc cō-  
 perat Actio de iure, quæ non per exceptionem facti, sed ipso iure eli-  
 denda est, & sic opposita litis ingressum non impedit, per textum nos-  
 trum hic. & c. 1. de litis contest. in 6. Secundò, sicut tempus non est  
 modus inducendæ obligationis, ita nec tollendæ. l. Obligationum  
 ferè §. Placet. ff. de Actio. & oblig. l. Seruitutes. ff. de seruit. §. At si  
 ita, supr. de uerb. oblig. Si ergo tempore, & sic præscriptione obliga-



tio ipso iure non tollitur, sequitur quòd etiam Actio quæ nõ per exceptionem facti, sed iuris elidenda est, & sic post litis contestationem iure adhuc duret. Et hanc opinionem tenet gl. hic. & in d. c. 1. de litis contest. in 6.

Contraria tamen opinio, uidelicet quòd exceptio præscriptionis sit litis finitæ, & antelitem contestatam opposita impediatur litis ingressum, uidetur uerior, hoc probatur, quia omnes exceptiones litis finitæ, sunt exceptiones facti, impediuntq; litis ingressum, per text. nostrum hic. & text. d. c. 1. de lit. contest. in 6. Præscriptio autem est introducta ad hoc, ut sit litium finis. l. fin. ff. pro suo. Ergo exceptio præscriptionis tanquam litis finitæ impedit litis ingressum. Et sunt textus expressi in l. 1. in fin. ibi uel longo silentio sopita. ff. ad S. C. Tertul. l. Transacta ff. de uerbor. signific. & expressius in l. Sicut, in fin. & l. Omnes, in fin. C. de præscrip. 30. uel 40. annol. Licet, per argumenta à contrario sensu. C. de iure delib. Pro uitanda ergo contrarietate, ita distingue secundum Doct. Aut exceptio præscriptionis proponitur ad merita & iustitiam, ut dicatur Actorem Ius non habere, & me absolui debere scilicet ab actione, quia præscripti, uel actio est perempta. Et tunc quia opponitur in uim peremptoria, non impedit litis contestationem, Et in hoc intelligenda sunt iura pro prima opinione adducta. Aut exceptio præscriptionis opponitur ad processum impediendum, ut si dico Actorem agere non posse, nec litem esse contestandam, quia Actio est perempta præscriptione. Et tunc quia opponitur in uim dilatoria, impedit litis ingressum, & dicitur litis finitæ. Et in hoc casu intelligenda sunt iura adducta pro secunda opinione. Ita tenet Cynus in d. l. Emptor. C. de præscript. longi temporis. Bald. in l. Edicto. Vers. Tertio decimo oppono. C. de Edicto Diui Adriani tollendo. Bart. in d. l. fina. & multis alijs locis. ff. pro suo. Petrus de Ancho. & Philip. Franc. hic Aret. in §. Aequè. Vers. Octauo. eod. tit.

An dominium per præscriptionem tollatur.

Responsio ad inductam l. obligationum.

Nec obstat quòd supra dictum est, dominium per præscriptionem non tolli, quia secundum Angel. in d. §. Aequè, respondetur quòd etiam si uera esset opinio quorundam tenentium, ipso iure non tollitur dominium per præscriptionem, tamen certum esset quòd acquiratur quasi dominium, & tollantur per eam saltem hoc casu Actiones Reales. Idem responde ad l. Obligationum ferè. §. Placet, cum similibus. ff. de actio. & oblig. Quia illa iura planè loquuntur in diuerso casu. Nam quum in his ex conuentione partium debeat ad tempus, meritò quoque in illa obligatione non debet attendi tempus, neq; in inducenda uel in tollenda obligatione, sed solum quòd inter partes



partes conuentum sit. Secus autem est in præscriptione, ubi nulla præcedit conuentio partium, sed fit ex negligentia non petentis, iuncta possessione præscribentis. Ideo si quis per triginta annos possederit rem aliquam, obligatio & Actio extincta est, non solum propter lapsum temporis, sed quia ipse possedit per illud tempus, & aduersarius neglexit petere. Et ita in effectu respondet Angel.

Quarta exceptio ante litem contestatam opposita litis ingressum impediens, est exceptio iurisiurandi. Et quia in hac quoque sunt opiniones contrariæ. Tu distingue: Aut Reus excipit de iuramento Actoris, ut quia Actor iurauit amplius non agere uel petere. Et hæc sine controuersia est litis finitæ, ne scilicet aperiatur uia periurij, c. Veniens. §. Cum igitur. extra, de accusat. Specul. in titulo de Exceptione. §. Dicto, de dilatorijs. Vers. Si uero aliqua. Angel. Aret. & Ioan. de Plat. in d. §. Aequè. supra de Actio. & Doctor. hic. Aut Reus excipit de proprio iuramento, ut quia iurauit se non esse obligatum, uel rem petitam esse suam, & subdistingue: Aut loquimur de iuramento uoluntario, quod scilicet pars defert parti extra iudicium, & ex eo oritur exceptio Iuris, quæ non impedit litis ingressum. Nam propter consensum deferentis & iurantis tollitur naturalis obligatio per hoc iurandum. l. Stichum. §. Naturalis. ff. de solutio. & ibi Bar. Quia autem illa dilatio fit extra iudicium, manet iurans nihilominus obligatus ciuilitè, quæ obligatio parit quidem Actionem, licet non cum effectu exactiois. Eliditur enim post litem contestatam per exceptionem iurisiurandi in uim peremptoriæ oppositæ. Et in hoc casu potest intelligi d. §. Aequè. in uerbo, obligatus, hic tit. nost. Et patet quoque responsio ex hoc, ad opinionem Angeli. Aut loquimur de iuramento necessario, quod scilicet iudex in defectum probationum defert partibus in iudicio. Et dic quod ex eo oritur exceptio litis finitæ, quia tale iuramentum habet uim rei iudicatæ, secundum Barto. in d. l. Stichum. §. Naturalis. ideo sicuti per rem iudicatam tollitur ciuilis obligatio. d. l. Iulianus, cum ibi not. ff. de condict. indeb. Ita quoque per iuramentum necessarium, quia fit in iudicio ex delatione iudicis, secundum Barto. in d. §. Naturalis. Aut loquimur de iuramento iudiciali, quod scilicet pars parti in iudicio defert, iudice approbante, Et tunc quia in hoc concurrunt consensus partium propter dilationem, & quoque autoritas iudicis approbantis, tollitur utraq; obligatio, Naturalis propter consensum, Ciuilis propter autoritatem iudicis. Ideo quoque oritur ex eo exceptio litis finitæ. Et est ratio. Primò, quia post huiusmodi iuramentum delatum & præstitum, prætor non dat actionem, cum nulla subsit obligatio. l. Ait prætor. la. ij. & l. Nam & potest. ff. de iureiuran. Et regula est, quod nemo sine Actione experitur.

*Iuramentum  
uoluntarium.*

*Iuramentum  
necessarium.*

*Iuramentum  
iudiciale.*



ENARRATIONES IN INSTITVT.

1. si pupilli §. Videamus. ff. de nego. gest. Secundo, hoc iuramentum habet vim transactionis. l. ij. ff. de iureiu. Ergo sicuti exceptio transactionis est litis finitæ, Ita quoq; Iusiurandū. Tertiō Iusiurandū habet maiore autoritatē, quàm res iudicata. d. l. ij. ff. de iureiu. Ergo cum ex re iudicata oriatur exceptio litis finitæ, multò magis ex iureiurando. Quarto omnis controuersie finis est iuramentum. c. Etsi Christus §. Iacobus. extrà de iureiur. Ergo exceptio iurisiurandi est litis finitæ. Quintò, dato iureiurando tantum quærit, an sit iuratum, nec alia quæstio admittitur. l. Non erit §. Dato. ff. de iureiur. Si quis postulante, supr. de actio. In continenti autem debet hæc Exceptio probari. Si enim dubitetur an sit iuratum, obiecta nō impedit litis ingressum, d. l. Nam postea, cum ibi nota. ff. de iureiur. Bar. in l. Cūm quæretur §. Proinde. la. ij. ff. iud. sol.

Prædicta autem omnia uera sunt, si iuramentum est licitum & honestum, nec super re turpi præstitum. c. quemadmodum. c. quanto, cum multis similibus. extrà de iureiuran. Alias fallentias uide apud Ioan. de Plat. in d. §. Aequè. hic tit. nostro. De hac exceptione uide Legistas in d. l. Ait prætor, & d. l. Nam postea, cum multis similibus, ff. de iureiur. & in l. Cūm quæretur §. Proinde. la. ij. ff. iudicatum solui. Canonistas in d. c. Etsi Christus. extrà de iureiur. Docto. hic in d. §. Aequè.

Quinta exceptio facti est Exceptio solutionis. l. Cūm quæretur §. Proinde. ff. iudicatum solui. quia solutione eius quod tenetur, omnis tollitur obligatio. supr. Quib. mod. toll. oblig. in princ.

Sexta est exceptio acceptilationis. d. l. Cūm quæretur §. Proinde. Sicuti enim stipulatio fit per interrogationem & responsionē ad obligandum naturaliter & ciuilitè. sup. & ff. de uerb. oblig. per tot. Ita quoq; fit acceptilatio per interrogationem & responsionem ad liberandum à ciuili & naturali obligatione. Est enim quasi quædam imaginaria solutio. Itē per acceptilationē. supr. quib. mo. toll. oblig.

Septima est Exceptio confessionis, quando scilicet quis confessus est, aduersarium ei non esse obligatum ex illa causa. Et in hac requiruntur tria. Primò, quòd fiat confessio in iure. Confessi enim in iure pro iudicatis habentur, & post confessionem in iure factam, nihil amplius quæritur. l. unica. C. de confess. post rem. ff. de re iud. l. i. & ibi Bar. ff. de Confes. Et dicitur in iure fieri, quando fit coram iudice, u. bicunq; sit, siue sedeat pro tribunali, siue domi, siue in balneo sit. l. uo luit §. Quod ait. ff. de interrog. actio. Secundo quòd fiat aduersario præsentè. Tertiò quòd aduersarius acceptet eam. De hac materia uide de copiosissimè dd. in d. l. Unica. C. de Confessis.

Octaua est Exceptio renunciationis, quando scilicet quis liti renun-

Acceptilatio  
quid.

Confessio quan-  
do dicitur in iu-  
re fieri.

num.



nunciavit. l. postquam liti. C. de pactis. De hac materia uide dd. in d. l. postquam liti.

Nona est exceptio proueniens ex pacto, uel cōcordia facta in criminalib. eo casu quo potest transigi, secundū Bal. & Do. in l. transigere. C. de transactio. Et hoc maximè procedit in iniurijs, quę remissione & dissimulatione tolluntur, & si, cum similib. sup. de iniur. Sed hæc Exceptio cōcurrit cū exceptiōe transactionis.

Decima est Exceptio, quę datur parentib. & patronis contra liberos & liberos, proponentes actiones famosas. Nam hac actione simpliciter repelluntur. l. Non debet. ff. de dolo. Huc referuntur omnes exceptiones præiudiciales, ueluti: Tu non es hæres, Igitur non poteris agere familię herciscundę. l. i. ff. famil. herciscun. Item, tu es adulter, igitur non poteris agere ad separationē thori. c. si. cum multis similibus. extrā de adul. Item es filius familiās, seruus uel non legitimè natus. De quibus suprà in rationibus dubitandi. Alias exceptiones similes uide apud Angel. in d. §. Aequè, hic titulo nostro. Et Philip. Fran. hic.

Sed tu obserua ne decipiaris, quia quas enumerant, non sunt omnes liti finitæ. Insertæ enim sunt quædam dilatoriæ, ut dilatoriæ solutionis. Item cessionis bonorum, & similes, quas ideo recensuerunt, quia impediunt liti ingressum. Illa autem propositio non est uera: Omnis exceptio quæ impedit liti ingressum, est liti finitæ, uel peremptoria facti siue intentionis. Cum idē faciunt omnes dilatorię. Hęc uera est: Omnis Exceptio liti finitæ impedit liti ingressum, Ideò ut tu possis iudicare, quæ propriæ sint Exceptiones liti finitæ, hoc modo concludere: Quandoquocumque concludi potest, quòd Actori nulla competit Actio de Iure, certum est, quòd exceptio liti finitæ, & impedit liti ingressum, modo possit in continenti probari. Nam sine actione nemo experitur. l. si pupilli. §. Videamus. ff. de negotijs gestis. Sed nulla competit actio si reus cum Actore neque contraxit, neque quasi contraxit, nec deliquit, nec quasi deliquit. §. Sequens. suprà, de obligatio. Aut quidem contraxit, sed obligationes sunt sublatae, ita quòd nec naturaliter, nec ciuilitè Actori obligatus est, ut quæ transegerunt, uel Reus soluit, uel liberatus est per acceptilationem, uel est quidem obligatus, sed tantum naturaliter, non autè ciuilitè, quia tunc quoq; nulla competit Actio, ut est in Exceptione Macedoniani, & Velleiani, ut ff. eod. titulo. Hoc casu omnes Exceptiones contra huiusmodi Actores sunt liti finitæ: Itē, si Actoris nō interest ratione dominij, uel quasi dominij, nec ratione alicuius iuris, nec ratione Reipublicę, nec ratiōe populi,



ut in actionibus popularibus. Et tunc quoque nulla competit Actio, igitur datur exceptio litis finitæ, siue facti, siue intentionis. Et tantum de Exceptionibus peremptorijs facti.

Exceptiones  
peremptoriae  
Iuris.

Exceptiones peremptoriae Iuris dicuntur, quibus eliditur Actio illius cui competit quidem Actio de Iure, sed non cum effectu exactiois, ut est in illis casibus, quando Reus non est naturaliter obligatus Actori, sed tantum ciuilitur. Hoc enim casu licet ciuilis obligatio pariat Actionem, Illa tamen cum non habeat effectum exactiois, eliditur per exceptionem Peremptoriã Iuris, & post litis contestationem huiusmodi exceptiones opponende sunt, non enim impediunt litis ingressum per tex. nostrum hic. & per tex. in c. 1. de lit. cont. in 6.

Iuramentum  
uoluntarium.

Prima itaque Exceptio Iuris est exceptio Iurisiurandi ex iuramento uoluntario, non autem necessario, uel iudiciali orta. Iuramentum enim uoluntarium est, quod pars parti defert extra iudicium. Et sic in quo est consensus utriusque deferentis & iurantis, propter quem tollitur naturalis obligatio. l. Stichum §. naturalis. ff. de solutio. & ibi Bar. Quia autem fit extra iudicium, per id obligatio ciuilis non tollitur. Ideo competit quidem de iure Actori Ius agendi, sed non cum effectu exactiois. Eliditur ergo eius actio per exceptionem iurisiurandi. d. §. Equè. hic titu. nostro. Et uide quæ diximus supra de exceptione iurisiurandi.

Secunda est Exceptio qua repellitur is, qui agit ad id quod dolo promissum est, ut hic in prin. tit. nostri. Nam licet dolo impediat naturalem obligationem, quia tamen promissio fit, inde oritur ciuilis obligatio, ex qua adhuc agi potest. Sed eliditur actio per exceptionem. l. §. Ideo. ff. de exceptio. doli mali. Et licet hæc exceptio secundum gl. & Bart. in l. Qui se debere. ff. de cond. cau. sa data causa non secuta, sit quintuplex, Tu breuib. dic quantum ad propositum attinet: Aut dolo dedit causam contractui bonæ fidei, & tunc contractus est ipso iure nullus. Et sic per consequens hoc casu exceptio doli mali est exceptio intentionis siue facti. l. Et eleganter, in prin. cum similib. ff. de dolo. Aut dolo dat causam contractui stricti iuris, & tunc oritur quidem actio, sed actor exceptione doli repellitur, ne scilicet dolo dolo patrocinetur. Idem dicitur si dolo coincidit. d. l. §. Ideo. ff. de except. doli mali. De hac materia, quando scilicet dolo dat causam contractui, uel coincidit, uide quæ notantur in d. l. Et eleganter. ff. de dolo. in l. si quis cum, ff. de uerb. obli. Glo. & Doct. in §. Actionum autem, in uerbo, Bonæ fidei, cum multis similibus, supr. de Actionibus.

Tertia est Exceptio quod metus causa, qua scilicet repellitur is qui



qui petit quod metu promissum est. l. si donationis. C. de his, quæ ui, metusue causa. Nam & metus impedit naturalem obligationem. Igitur ex sola civili hic agitur. Requiritur autem quod sit talis metus, qui cadat in constantissimum quemque, ut metus mortis, cruciatus corporis, capitalium minarum, potentiae &c. d. l. si donationis, & l. si per uim, iuncta l. fin. C. de his quæ ui, metusue causa. Propter uanum enim metum nulla datur exceptio. l. Metum. C. quod metus causa. c. de muliere, extra de sponsa.

Quarta est Exceptio de errore, quæ scilicet datur illi, qui promissit quod credidit se debere, cum non deberet. Obligatur enim civiliter propter promissionem. Cum autem error impediatur consensum. l. si per errorem. ff. de iurisd. om. iud. Sequitur quoque quod nulla subest naturalis obligatio, si consensus deficit. Vide prin. tit. nostri, iuncta gloss. in uerbo, promissisti.

Quinta est exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ datur illi, qui spe futuræ numerationis confessus est se debere certam quantitatem, quam tamen non accepit, hic obligatur civiliter propter confessionem siue chirographum. C. per tot. tit. de non numerata pecunia. Institut. per tot. de lit. obliga. Quia tamen numeratio non accessit, naturalis obligatio orta non est, & agitur tantum ex civili, quæ eliditur per hanc exceptionem. §. Idem iuris, hic tit. nostro. Et opponitur hæc exceptio infra biennium. l. In contractibus. C. de non nu. pec. Si enim infra biennium hæc exceptio fuerit opposita, incumbit onus probandi ipsi Actori, quod probet scilicet pecuniam esse numeratam. Post biennium uero opposita, incumbit onus probandi ipsi Reo, quod probet scilicet Negatiuam, nempe pecuniam non esse numeratam, ut notatur in d. l. In contractibus.

Sexta est Exceptio pacti de non petendo, quæ ideo elidit Actionem iuris, quia per pactum de non petendo, eliditur tantum naturalis obligatio, & civilis remanet. Sicuti enim nudum pactum non parit efficacem obligationem ad agendum. l. iuris gentium. §. Sed cum nulla, cum similib. ff. de pactis. Ita quoque non potest eam tollere ipso iure, sed tantum ope exceptionis, hoc tamen fallit. Primò in omnibus contractibus qui consensu contrahuntur, quia illæ obligationes nudo consensu integra tolluntur. §. fina. supr. Quib. mod. toll. obliga. l. si unus. §. Pactus ne peteret. Vers. Idem dicemus. ff. de pactis. Secundò fallit in Actionibus famosis ex maleficijs descendentes, ut furti, iniuriarum, & similibus, quia istis casibus per tale pactum obligationes & actiones ipso iure tolluntur. l. Si tibi. §. Quædam. iuncta gloss. in uerbo, tolluntur. & l. si unus. §. Pactus ne peteret. Vers. Sed si pactum. ff. de pactis.

Septima



Septima est Exceptio rei iudicatæ, in qua dic. Aut est lata sententia condemnatoria, quæ transiit in rem iudicatam, & ex ea oritur Actio l. Actori. C. de rebus creditis. l. Miles. §. fina. ff. de re iudicatæ. Aut lata est sententia absolutoria. Et tunc, Aut Reus non simpliciter absoluitur, sed pronunciatur eum quoq; esse dominum rei petitiæ. Et illa sententia si transit in rem iudicatam, parit exceptionem litis finitæ, per text. nostrum hic. Et ita intellige lura, supra de exceptio rei iudicatæ producta. Aut est simpliciter absolutoria, ut quia reus absoluitur, ideo quia Actor nihil probauit, &c. Et tunc datur exceptio rei iudicatæ, quæ non est litis finitæ, sed peremptoria iuris. Tollit enim talis sententia tantum ciuilem obligationem, naturali remanente. Ex qua naturali oritur quidem adhuc Actio de iure, sed eliditur per exceptionem rei iudicatæ. §. Item, si in iudicio. hic tit. nostro. Potest autem obijci, cum per illam sententiam absolutoriam tollatur ciuilis obligatio, & remaneat tantum naturalis. l. Iulianus. Verf. l. i. c. ff. de cond. indeb. & naturalis obligatio non possit parere Actionem, Quomodo ergo post illam sententiam ex sola naturali obligatione de iure quis agere possit. Responde, quod obligatio naturalis sola non possit producere actionem, uerum est in ea, quæ semper fuit sola, nec aliquando iuncta cum ciuili, ut in nudo pacto, & similibus. Secus si naturalis obligatio fuit iuncta cum ciuili. Tum enim licet ciuilis tollatur, tamen naturalis adhuc est efficax ad conseruandam Actionem ex utraque obligatione productam, sicuti potest ostendi per simile. Ciuilis obligatio est tanquam pater actionis, naturalis uero tanquam mater. Sicuti ergo mulier quæ fuit iuncta uiro, etiam eo mortuo potest conseruare & producere partum, Ita quoq; naturalis obligatio post ciuilem sublatam efficax est ad conseruandam actionem quæ ex utraq; producta est. Et sicuti mulier nunquam uiro iuncta nihil parit, Ita sola naturalis, quæ nunquam fuit ciuili iuncta, quoq; nihil parit. Ita respondet Bart. in l. Iulianus. Verf. Secundo dixi. ff. de condiēt. indeb. quem sequuntur ibi Paulus de Cast. D. Iason, & alij.

*Simile.*

Aut si illa solutio non placet, poteris alio modo respondere ad d. §. Item in iudicio. hic tit. nostro, quod scilicet ideo in eo casu post rem iudicatam datur actio, quia Reus decepit Actorem, ut consentiret absolutioni. Quare si actor iterum agit post absolutionem, eliditur quidem eius actio per exceptionem rei iudicatæ, sed contra illam actionem datur quoq; Replicatio doli, per text. in l. Cum à te, & que ibi not. ff. de dolo. Bar. in l. Et eleganter. §. si dolo. ff. de dolo. De hac quide copiosissimè quæ not. in d. l. Iulianus uerum debitorem. ff. de cond. indeb. Et ita intelligit Angel. d. §. Item si in iudicio.

*Ratio*



Ratio autem diuersitatis inter istas duas Exceptiones rei iudicatæ *Ratio diuersi-  
tatis.* ex sententia absolutoria hæc est, quia primo casu, quando scilicet sen-  
tentia non est simpliciter absolutoria, sed quoque profertur super do-  
minio, uideretur Actor consentire quòd dominium maneat penes reū,  
si non appellat. Et per illum consensum tollitur naturalis obligatio,  
sicuti per sententiã civilis tollitur. Secus autem in secundo casu, quan-  
do scilicet sententia est simpliciter absolutoria, ideo quia fortè Actor  
non probauit, hoc enim casu Actor non appellando non uidetur cõ-  
sentire in dominium rei, cùm in sententia de dominio nulla sit facta  
mentio. Quare tollitur tantùm civilis obligatio, naturali manente.  
Et competit hoc casu exceptio peremptoria iuris.

Opponuntur autem & probantur exceptiones peremptoriæ iu-  
ris usque ad sententiam, non autem post sententiam. l. Peremptorias.  
C. sent. rescindi non posse. In certis tamen casibus opponuntur etiã  
post sententiam, ut primò, si sententia est lata contra minorẽ, Poterit  
enim is restitutionem in integrum petere, & exceptionem perempto-  
riam etiam post sententiam opponere. l. Minor xxv. annis omiffam.  
ff. de Minoribus. Secundò, si contra militem armatæ militiæ sententiã  
lata est ipso iure, etiam sine restitutione, adhuc potest opponere exce-  
ptionem peremptoriam, quia milites magis debent scire arma quàm *Milites magis  
scire debent ar-  
maguam leges.*  
leges. l. i. C. de iur. & fact. igno. Idem dic de Exceptionibus Dilato-  
rijs, quibus quis se defendit, ne teneatur soluere solidũ. Item exceptio  
nem falsi procuratoris, & similes. Item de nullitate processus &c. De  
quib. & multis alijs quæ post sententiam opponi possunt, uide glos.  
in d. l. i. in uerbo, uti. & ibi Doct. C. de iur. & facti ignoran.

Exceptiones anomalæ dicuntur, quæ nõ omnino sequuntur nor-  
mam peremptoriarum, nec dilatoriarum, sed participant cū utraq; *Exceptiones  
anomalæ quæ:*  
sicuti uidemus in exceptione non numeratæ pecuniæ, & non nume-  
ratæ dotis, quæ sunt peremptoriæ, quia perimunt siue elidunt inten-  
tionem Actoris, ut diximus. Et quoque sunt dilatoriæ. Omnes enim tẽ-  
porales sunt dilatoriæ, & e contrã. l. Exceptiones §. temporales. ff. eo-  
dem. §. temporales, hic titulo nostro. Debent enim illæ Exceptiones  
infra biennium opponi. d. l. In contractibus. C. de non num. pecun.  
Idẽ dic de exceptione ordinis, quòd scilicet Reus principalis primò  
debet conueniri, non fideiussor. Idem de exceptione ex epistola diui  
Adriani, quæ interdum opponuntur ante litem contestatam, interdũ  
non. De quibus uide Bart. in d. l. Exceptiones. ff. eod. & in l. si dubite-  
tur. ff. de fideiussoribus. Doct. in d. l. si. C. eod. Doct. in §. Appellatur,  
cum sequen. hic tit. nostro.

#### SEQUITUR TEXTVS EXPLICATIO.

§. Eas uero. Quando queritur, utrum infamis possit esse procu-  
rator,



*Utrum infamis  
possit esse pro-  
curator.  
Illustres.*

*Infamia iuris.*

*Infamia facti.*

*An propterea  
quod quis est  
procurator, fi-  
at infamis.*

*Quando debe-  
ant opponi Re-  
plicationes.*

rator, Distingue secundum Bald. in l. Reum. C. de procurator.  
Aut infamis uult esse procurator illustrium personarum, ut epi-  
scoporum, ducum, praelatorum &c. & non admittitur. c. quia e-  
piscopus, 5. q. 3. Aut uult esse procurator aliarum personarum.  
Et subdistingue: Aut est infamis infamia iuris, ut damnatus per  
sententiam. Et tunc, Aut est condemnatus per sententiam capi-  
talem, uel aliam Criminalem, & non admittitur. Idem est si talis  
causa penderet in iudicio. d. l. Reum, cum ibi not. C. de proc. Si  
uerò est damnatus in Actione ciuili, quæ infamat. De quibus ui-  
de §. Ex quibusdam. infra de pœna teme. liti. Et poterit esse pro-  
curator. Aut est infamis infamia facti, ut quæ apud bonos & gra-  
ues uiros nullam habet existimationem, & poterit esse procurator.  
Idem dic de infamia canonica, qua notantur potatores, & similes.  
Et in istis posterioribus membris loquitur §. noster. Et est ratio  
secundum Ioan. Fabri, quia procuratoris officium est onus. l. si  
quis procuracionem. C. de decur. lib. x. Infamia autem nõ debet  
quem liberare ab onere. Quando autem queritur, an propter hoc  
ipsum quis fiat infamis, quod est procurator, dic breuibus: Aut  
procurator factus est de quota litis, uel est redemptor litis, & fit  
infamis. l. litem. C. de procurat. l. si remunerandi §. Maurus. ff.  
Mandati. Si uerò non est pactus de quota litis, sed suscepit offi-  
cium gratuito, & non est infamis, quia est licitum officium, etiam  
si pro remuneratione laboris aliquid acceperit. d. l. litem, & l.  
Salarium. ff. Mandati.

DE REPLICATIONIBVS. Tit. XIII.



REPLICATIONIO proprie dicitur exceptionis exclusio. Si  
cut enim Exceptio excludit Actionem, ita quoque Re-  
plicatio Exceptionem. Et ideo nocet Replicatio Reo,  
sicut Exceptio Actori. Exemplum. Si duo super lite  
transegerint, & alter dolo uel metu &c. ductus fuisset ad transi-  
gendum, adhuc poterit agere prima Actione. Et si Reus exce-  
ptione transactionis uoluerit eum repellere, datur Actori Re-  
plicatio doli uel metus &c. qua illam exceptionem elidit. Et  
sic habet se Replicatio ad Exceptionem, sicut habet se exceptio  
ad Actionem. In hoc tamen est diuersitas, quod exceptiones  
peremptoriae sunt perpetuae. l. ij. §. Perpetuae. ff. de Exceptioni-  
bus. Replicationibus autem praescribitur, sicuti Actionibus, se-  
cundum glos. & Bart. in l. ij. ff. de Exceptionib. Et potest Repli-  
catio in quacunque parte iudicij opponi, secundum glos. in d. l. ij.  
§. l. ff. de exceptio. Et possent enumerari multae Replicationes de  
dolo, metu, ui, errore pacti. Et e contra datur reo Duplicatio,  
qua



qua elidit Replicationem Actoris, Actori Triplicatio, Reo Quadruplicatio, & sic in infinitum. Tempus autem ad replicandum, duplicandum, triplicandum &c. datur à Iudice.

§ Finalis. In hac q. an scilicet exceptio Reo competens, detur quoque fideiussori, distingue: Aut sunt exceptiones quæ inhaerent personæ debitoris, ut quia debitor est minor, uel cessit bonis. Item exceptiones in quantum quis facere potest, & non dantur fideiussoribus. Aut sunt exceptiones, quæ inhaerent ipsi rei, non personæ, ut exceptiones doli, quòd metus causa, rei iudicatae, iurisiurandi, pacti de non petendo &c. Et dantur fideiussoribus. Vide gl. hic, in uerbo, fideiussoribus.

## DE INTERDICTIS. Tit. XV.



UPRA in tit. de Actionibus dictum est, quibus modis agitur super proprietate, & sic petitorio. In hoc autem tit. de iudicio possessorio tractandum erit, quod scilicet fit per Interdicta.

Interdicta erant olim quaedam uerba praeceptoris, uel prohibitoria à Prætoris concepta, & disposita cum certis solennitatibus inter duos super possessione, uel quasi contententes, ut hic in principi. tituli nostri.

Et differabant ab Actionibus, primò, quòd Actiones tam à Iure civili, quàm Prætorio introductæ erant. Interdicta autem solum à Iure Prætorio. Secundò, quòd uerba Interdictorum referebantur solum à Prætoris ad duos inuicem litigantes, ut unde tu illum deiecasti, de eo quod ibi habuit infra annum, post annum de eo, quod ad te peruenit, iudicium dabo. l. i. in principi. ff. de ui & ui arma. Et sic erant inter duos reddita. § Exhibitoria, hic titulo nostro. Aliæ autem Actiones proponebantur indefinitiuè, ut quicumq; emerit, agat ex emplo, secundum gloss hic in principi. & Bart. super Rubr. ff. de interd. hodie autem in effectu nulla est differentia inter Interdicta & Actiones, quia Interdictum hodie dicitur actio Prætoris in factum, extra ordinem, i. antiquam solennitatem, secundum gloss in §. si. infra eod. Et probatur ex tit. ff. eo. qui sic habet de Interdictis seu extraordinarijs Actionibus, quæ pro his competunt. Et quod nulla sit inter Actiones & Interdicta hodie differentia, tenent gl. in Rubr. ff. de Interd. Azo in eodem tit. Spec. in tit. de Actio. §. postremo. Ioan. de Plat. & multi alij hic.

Sed hoc impugnat Bart. super Rubr. ff. de Interd. Ioan. Fab. & alij multi, hic tit. nostro. Tenentes quòd etiam hodie sit differentia inter actionem in factum, & interdictum, & probant hoc modo, quia



Rubrica in ff. habet dictionem seu, cum dicit de Interdictis seu extraordinarijs actionibus, sed dictio seu, ampliatiua est, per text. in l. si quis ita. ff. de auro & argen. legato. Ideo dicit, quod inter interdictum & Actionem in factum, sit differentia, sicut inter obligationem & Actionem, quod scilicet Interdictum pariat Actionem in factum. Sed tamen in effectu parum interest, Ab Edicto autem differt Interdictum, sicuti genus à specie.

Edictum enim est nomen generis, continens duas species, Interdictum & Edictum in specie, secundum glo. in l. Prætor. §. Interdictum, in uerbo, Interdictum, ff. de noui oper. nunc. Et inter istas duas species potest discerni hoc modo, quod Interdictum plerumque fit inter duos præceptiuè, quasi inter duos dictum. Edictum autem in specie fit, quando Prætor in genere ex officio aliquid disponit, ut ne quis in ius uocatum ui eximat &c. secundum Bart. in l. 1. in 2. col. ff. de noui oper. nunc. Item possunt in eo discerni, quod omnia Interdicta sunt posita in v. libro. ff. noui. & in 8. C. Edicta autem non sunt in aliquo certum locum redacta, sed sparsa per uniuersum Ius civile, qualia sunt de albo corrupto. Item si quis ius dicenti non obtemperauerit &c. de quibus uide copiosiss. Speculat. in tit. de Actio. §. Postremo. Vers. Nunc dicemus.

Quando fiat Interdictum.

Sunt autem Interdicta duplicia. Quædam enim respiciunt religionem. Quædam uerò ius humanum.

Religionem respicientia sunt, de mortuo inferendo, de sepulchro ædificando, ne quid in loco sacro fiat uel immittatur. Item id quod factum uel immissum est, tollatur &c. l. ij. §. 1. ff. de Interd. Quæ huiusmodi ius respiciunt, subdiuiduntur. Quædam sunt publicæ utilitatis, quædam priuatae. Publicæ utilitatis sunt, ut uia publica. Itæ flumine publico uti liceat, & ne quid in eis fiat &c. Interdicta priuatae utilitatis subdiuiduntur, Aut enim sunt generalia, aut specialia.

Generale Interdictum ad omnia possessoria pertinens, est Interdictum, ne uis fiat ei, qui in possessionem missus est.

Specialia uerò sunt, quæ de singulis causis sunt introducta. Et sunt triplicia. Quædam enim dantur causa tuendi sui iuris, ut de liberis exhibendis, de libertis exhibendis, de tabulis exhibendis &c. Quædam dantur officij tuendi causa, ut de libero homine, Vasallo, ciue, uxore, uel alia persona exhibenda, in qua ius habeo. Quædam uerò dantur causa conseruandæ rei familiaris. Et illa sunt duplicia. Quædam respiciunt causam proprietatis. Quædam uerò causam possessionis. Causam proprietatis continet Interdictum de itinere, a cunctis priuato. Quæ causam possessionis continent, sunt triplicia, Adipiscendæ, Retinendæ, & Recuperandæ.

Adipiscendæ



Adipiscendæ sunt tria: Quorum bonorum, quorum legatorum, & Saluianum Interdictum. Retinendæ sunt duo: Vt possidetis, & utrobi. Recuperaudæ est unum, scilicet Interdictum unde ui. De quibus omnibus & singulis ordine dicemus. Vide l. ij. ff. de Interdictis.

**DE INTERDICTIS AD RELIGIONEM**

pertinentibus.

Primum dicemus de Interdictis ad religionem pertinētibus, quorum primum est de mortuo inferendo, quod datur, ut quis non prohibeatur inferre mortuum, & sepelire, quod licet eum inferre & sepelire. Illa autem prohibitio potest fieri tribus modis. Primò si quis impeditur inferre in locum &c. Secundò, si arceretur in itinere. Tertiò, si alicui debetur ius uia in locum sepulturæ, & impeditur, agit hoc Interdicto. l. i. in principio, cum §. sequ. ff. de mortuo inferend. Reliqua tria intelliguntur, prout uerba sonant, de sepulchro ædificando in loco, quo alicui licet mortuum inferre. l. i. §. Prætor ait. ff. de mortuo inferendo. Item, ne quid fiat in loco sacro, id est, incommuni, uel deformiter. De ornamento enim hoc non intelligitur. Et hæc tria sunt prohibitoria. Item de tollendo quod in loco sacro factum uel immisum est. l. ij. §. locorum. ff. Ne quid in publico loco fiat &c. Et hoc est Restitutorium.

Quæ ad ius humanum attinent, subdiuiduntur, ut diximus. Quædam enim sunt publicæ utilitatis, quædam uerò priuata.

Publicæ utilitatis sunt, ueluti uia publica, & flumine publico uti liceat, & ne quid in eis fiat, quæ specificabimus in sequēt. Et nota obiter, quod illa Interdicta promiscuè sunt Prohibitoria & Restitutoria.

Prohibitoria sunt, quando prohibetur, ne quid fiat de nouo, ut ne quis ædificet in loco publico.

Restitutoria sunt, quando quid non iure in loco publico factum est, & tolli debet. Deseruiunt quoq; hæc Interdicta tam publicis, quam priuatorum utilitatibus. Ideo si fortè opus fieret in publico, quod ad priuati alicuius damnum redundaret, quoq; competeret in Interdictum, Ne quid in publico. l. ij. §. Interdictum. la. ff. Ne quid in loco publico.

Sunt autem Interdicta publicæ utilitatis duplicia, Vtilia scilicet & Directa. Vtilia dicuntur, quæ colliguntur ex mente & interpretatio legis, non autem ex ipsis uerbis. Et hoc fit multis modis. Primò, si aliquid sit uel factum est in rebus communibus. Secundò, in rebus uniuersitatis, ut Titularis. Tertiò in rebus singulorum, & sic priuatis, quod tamen extenditur ad res publicas.



**EXEMPLVM** dere communi: Quando quis proficeret mole in mare, quò minus nauigari posset, competeret quidem Interdictum ex edicto pretoris, ne quid in loco publico &c. Quia tamen mare non est res publica, sed communis, non datur directum Interdictum ex uerbis, sed utile ex mente edicti, d. l. ij. §. si quis. Verl. Aduersus. ff. Ne quid in loco publico.

**ALIVD** exemplum. Quando aliquid fit in rebus priuatorum, quod extenditur tamen ad res publicas, ut si quis uelit adibus suis applicare pergulam, quæ obesset prospectui publico. d. l. ij. §. Cum quidam uelum. ff. Ne quid in loco publico. Item si quis cloacam in suis adibus conderet, quæ postea deflueret in publicum. Vel in fundo suo fossam quis fecerit, & aqua ibi collecta in publicam uiam decurreret. d. l. ij. §. si quis cloacam, cum §. seq. Item si foetore terræ etiam priuati locus fieret pestilentiosus, ut quia ibi fecit sulphurariam. d. l. ij. §. Idem Labeo. Verl. Idem ait. ff. Ne quid in loco publico &c. Istis & similibus casibus, quando scilicet quid non fit præcisè in publico loco, sed alibi, extenditur tamen per consequens in publicum locum, datur utile Interdictum, ne quid in loco publico.

Interdicta publica directa dicuntur, quæ præcisè ex uerbis edicti pretoris, pro his, quæ sunt in rebus publicis, dantur. Et sunt septem: Ne quid in loco publico, uel itinere fiat. De loco publico fruendo. De uia publica, & itinere publico reficiendo. De fluminibus, & quid in flumine publico, ripæ eius fiat, quò peius nauigetur. Ne quid in flumine publico, ripæ eius fiat, quò aliter aqua fluat, quam in priore æstate fluxerit. Ut in flumine publico nauigare liceat. Et de ripa munienda.

Primum itaque datur, Ne quid fiat, aut reficiatur in publico, quod usui publico uel priuatorum nocere possit. Dico usui publico, quia hoc casu est populare, & datur quibuslibet. l. ij. §. Hoc Interdictum. ff. Ne quid in loco publico, &c. Dico priuatorum, quia si fortè opus in publico fieret, quod ad priuati damnum redundaret, competeret illi priuato hoc interdictum. Quotienscunq; enim in publico aliquid fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine iniuria cuiusque fiat. Tum autem quis damnum pati uidetur, si commodum amittit, quod ex publico habebat, qualecunque illud sit, ueluti si prospectus uel aditus sit inde factus deterior, uel angustior. d. l. ij. §. Merito. ff. eod. dem.

Extenditur autem hoc Interdictum ad multas res, ad uias, itinera, areas, agros, & Insulas publicas. Ad res fisci autem non pertinet. Quia illæ sunt priuatae, & proprium patrimonium principis. d. l. ij. §. Publici, cum seq. ff. eod.

Vie



Via autem sunt duplices, Urbicæ, & Rusticæ. Ad urbicas hoc Interdictum non pertinet. Si enim commeatus viæ urbicæ sit exemptus, uel uia coarctata, magistratus interuenit, & impedit ex officio. d. l. ij. §. Hoc Interdictum tantum. ff. eod.

Via rusticæ sunt triplices, Publicæ, priuatæ, & uicinales.

Publicæ uia dicuntur, quarum solum publicum est, & certis finibus latitudinis ab eo Ius publicandi habuit præfinitum, quas Græci *ἰσθμια Βασιλικαί*, Latinè prætorias uias regias, siue consulares uias appellant. d. l. ij. §. Viarum. ff. eod. Et si quid in tali uia fieret, prohiberetur aut restitueretur hoc Interdicto.

Priuatæ uerò dicuntur, quas agrarias appellant, & accipiuntur bifariam. Quædam enim sunt in agris, quibus imposita est seruitus, ita ut ad agrum alterius ducant, & illi sunt priuati Iuris, nec cõpetit hoc Interdictum, si aliquid in eis sit, sed fortè Actio ex tertio capite l. Aquil. uel Interdictum uti possidetis, uel unde ui & c. De quib. infr. Quædam uerò sunt quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeare licet, in quas exitur de uia cõsulari. Et sic post illas excipit uia uel iter, uel actus ad uillam ducēs, quæ quoq; sunt publici Iuris. Ideoq; si quid in eis non iure sit, quoq; hoc Interdicto prohibetur, aut restituitur. d. l. ij. §. Priuatæ.

Vicinales uia sunt, quæ in uicis sunt, siue ad uicos ducunt. Et illæ sunt duplices: Quædam enim conficiuntur ex collatione priuatorum, & tunc quoq; sunt priuati Iuris. Ideo si quid in eis non iure sit, non datur hoc Interdictum, sed uti possidetis, uel unde ui & c. Quædam uerò reficiuntur ex collatione publica, & habent usum, utilitatemq; communem, & illæ sunt publici Iuris. Ideo si quid in eis non iure sit, competit hoc Interdictum, ne quid in loco publico. d. l. ij. §. Vicinales. ff. Ne quid in loco publico, & c.

Censetur autem uia deterior fieri, si usus eius ad commeandū corrumpitur, ut quum plana fuerit, cliuosa fiat, uel ex molli aspera, angustior ex latiore, uel palustris ex sicca. d. l. ij. §. Deteriorem. ff. eod. Idem dic de itinere publico, area, Insula, uel agro publico, quod scilicet si quid in eis sit, immittitur uel ædificatur, quod usui publico uel priuato nocere possit, per hoc Interdictum prohibetur.

Est autem hoc Interdictum duplex, Prohibitorium, & Restitutorium.

Prohibitorium est, quando quis prohibetur in loco publico quid facere uel immittere de nouo, uel quod prius factum erat reficere. l. ij. §. i. & §. Si quis. ff. eodem. Et est hoc Interdictum perpetuū & populare, condemnatioq; ex eo fit quanti Actoris interest. d. l. ij. §. Hoc Interdictum perpetuum. ff. eod.



Restitutorium dicitur, quando agitur ad tollendū id, quod in uia, itinere, uel loco publico iam factum est. Restituere enim hoc casu dicitur, qui in pristinum statum reducit siue tollit quod factum est, siue reponit quod sublatum est. d. l. ij. §. Restituere. ff. eod. Et hoc subdiuiditur in Directum & Vtile.

Directum datur non contra eum, qui fecit, sed qui facto utitur, & Iure possessionis fruitor, siue ipse opus fecerit, siue ex alia causa accuiserit. Nec distinguitur, siue possideat, siue dolo deserit possidere. d. l. ij. §. Hoc interdicto. ff. eod.

Vtile datur cōtra eum, qui fecit aliquid, per quod uia publica corrupta est, & opus illud postea pro derelicto habuit. Et hinc est quod si arbor ex fundo tuo in uiam ceciderit, ut itineri impedimento sit, uiamq; corruerit, & tu eam pro derelicto habeas arborem, nihilominus teneris de uia publica reficienda, modò actor paratus sit arborem suis sumptibus tollere. d. l. ij. §. Vnde Offilius. ff. eod. Et est hoc Interdictum quoq; perpetuum, sitq; condemnatio quanti Actoris interest id factum non esse. d. l. ij. §. Restituas, cum seq. ff. eod.

Secundum Interdictum publici Iuris est de loco publico fruendo, & datur publicanis &c. quo agunt contra eos, qui impediunt, quominus loco publico uel uectigali, secundū legem locationis frui possint. l. i. ff. de loco publico fruendo.

Tertium Interdictum est de publica uia reficienda, & datur illi, qui uiam publicam uel iter aperit, purgat, siue reficit, & sic ad ueterem modum restituit, cōtra impediētes hoc fieri, & est perpetuum, habetq; condemnationem, in quantum Actoris interest. l. i. ff. de uia publica reficienda.

Quartū est, Ne quid in flumine publico, ripae eius fiat, quo peius nauigetur. Dico publico, ad differentiam eorum, quae sunt in fluminibus priuatis. Inter illa enim & alias res priuatas nihil interest. l. i. §. Hoc Interdictum. ff. de flumi. Secundò ad differentiam illius, quod fit in Insula, in publico flumine orta. Illa enim aut est occupatis, aut eius, cuius ripam contingit. Aut si in medio alueo, est eorum qui prope ripas praedia possident. d. l. i. §. si Insula. Tertio ad differentiam illius, quod fit in alueo ueteri, quod scilicet flumen dereliquit. d. l. i. §. si Insula. Illa enim omnia priuata sunt, & quod in eis fit, prohibetur per Interdicta ad lus priuatum pertinentia. De quibus infra. Est autem duplex, Directum & Vtile.

Directum datur, quando in fluminibus nauigabilibus aliquid fit, per quod statio uel nauigatio fit deterior, ut si usus eius corrumpitur, uel fit difficilior, aut minor, aut rarior, aut si totum auferatur.

Vtile uerò datur, quando quid fit in publico flumine, quod tamen non



non est navigabile, per quod aqua exarescit, uel cursus eius impeditur, d. l. 1. §. Non autem. Et sunt illa Interdicta quoque prohibitoria & restitutoria, d. l. 1. §. Superius.

Quintum est, Ne quid in flumine publico, ripae eius fiat, quo aliter aqua fluat, quam in priori aestate fluxerit, ff. per tot. Ne quid in flumine publico. Dico publico, Quia & illud Interdictum ad priuata flumina non pertinet, ex rationibus supra adductis. Hic autem non distinguitur, siue flumina sint navigabilia, siue non, modo sint publica. Dico priori, Quia instantis aestatis fluxus fluminis dubitator est, l. 1. §. Is autem, ff. Ne quid in flumine publico. Dico aestate, Quia semper certior est aestate naturalis fluminum cursus, quam hyeme. Aestas <sup>Actus.</sup> autem ad æquinoctium Autumnale refertur, d. l. 1. §. Is autem. Et in summa is tenetur hoc Interdicto, per quæ sit quod mutatur aque cursus, ut si fiat depressior uel altior aqua, uel rapidior in incommodum accolentium.

CAUSA impulsiva istius Interdicti est, ne deriuationibus minus concessis, flumina exarescant, uel mutatus alueus, uicinis aliquam iniuriam afferat, d. l. 1. in prin. ff. eod. Et est interdictum hoc quoque Prohibitorium & Restitutorium.

Datur tamen interdum exceptio contra hoc interdictum, ut si quis ripam munierit aggeribus, aut aliam munitionem adhibuerit, ut agrum suum tueatur &c. de qua uide d. l. 1. §. Sunt autem, ff. eod.

Sextum est, ut in flumine publico nauigare liceat, quod datur illi qui impeditur, quo minus liceat ei nauigare, uel in ripa onerare uel exonerare, l. unica, in princ. ff. ut in publ. flum. nauig. lice.

Quod autem dico in flumine publico, tu quoque intellige de lacu, fossa, uel stagno publico. Est autem duplex, Directum & Utile. Directum datur illi, qui prohibetur in illis publicis fluminibus, siue aquis nauigare. Utile uero datur illi, qui prohibetur pecus ad flumen publicum, ripam uel appellere. Item illi qui lacum uel stagnum publicum conduxit, & prohibetur illic piscari, d. l. unica, §. plane, cum §. sequent. ff. eodem.

Septimum est, de ripa munienda, quod datur illi, qui prohibetur reficere ripas, agri sui tuendi causa, dum tamen ea ita reficiat, ne fiat nauigatio deterior, sitque paratus cauere de damno infecto boni uiri arbitrato usque ad decem annos, l. unica, ff. de ripa munienda. Et tantum de Interdictis ad publicam utilitatem pertinentibus.

#### DE INTERDICTIS PRIVATAE

utilitatis,

Interdicta privatae utilitatis diximus esse duplicia, quaedam enim sunt Generalia, quaedam uero Specialia.



Generale Interdictum est, ne uis fiat ei, qui in possessionem missus est. Et dicitur ideo generale, quia ad omnes qui in possessionem missi sunt, pertinet. Datur itaq; contra eum, qui dolo malo impedit, quominus is, qui iussu Prætoris iustè in possessionem missus est, in ea esse possit. l. 1. in princ. ff. Ne uis fiat ei. Dico de dolo malo primùm ideo, quia si quis prohibuerit quem uenire in possessionem, quam suam putabat, uel sibi obnoxiam, uel non esse debitoris, nõ tenetur hoc interdicto. d. l. 1. §. si quis. ff. eodem.

Secundò, propter furiosos & pupillos doli non capaces. Licet enim illi prohibeant, non tamen tenentur, quia carent affectibus. d. l. 1. §. Hoc edicto. Dico iustè, quia si quis est immissus ob falsum creditum, uel quia potuit exceptione remoueri, & postea impeditur, non datur hoc interdictum. d. l. 1. §. hæc uerba. Dico immissus simpliciter, quia hoc interdictum habet locum in multis casibus, ut si quis est immissus causa rei seruandæ, uel causa legatorum, uel causa damni infecti, uel uentris nomine, d. l. 1. §. sed siue. ff. eod.

Est autem hoc interdictum annale, ideo quoq; non datur contra hæredes, uel similes personas, nisi aliquid ad eos peruenerit. Hoc fallit in immisione ex causa legatorum, & damni infecti, in quibus casibus est perpetuum. d. l. 1. §. Hanc actionem, cum gl. in uerbo, missione, ff. eod. & datur quanti creditoris interest possessionem habere. d. l. 1. §. hæc uerba. ff. eod. Interdicta specialia priuatam utilitatem cõcerentia, sunt triplicia. Quædam enim dantur tuendi sui iuris gratia, qualia sunt de liberis exhibendis uel deducendis, de liberto exhibendo, & tabulis exhibendis, quæ ideo dicuntur tuendi sui iuris causa, quia in liberis habet pater ius patriæ potestatis. In liberto habet patronus ius patronatus.

In tabulis, id est, testamêto interest actoris, ut sciat an sit hæres institutus, uel an sit ei aliquid legatum, & sic utrum ius habeat intentare petitionem hæreditatis, uel actionem ex Testamento &c.

Interdictum de liberis exhibendis, datur cõtra eum, qui dolo retinet filium, uel filiam fã. inuitam, nec uult ad petitionem parentis exhibere. l. 1. §. interdictum. ff. de liber. exhibend. Dico qui dolo retinet. Primò propter matres, quia si mater filium ex causa retinuerit, datur ei exceptio contra patrem exhibitionem petentem. Sæpe enim iustissimæ causæ subsunt, cur filius potius apud matrem quàm patrem moretur. d. l. 1. §. In hoc interdicto. ff. de liberis exhib.

Secundò propter maritum siue sponsum, item propter uxorem, &c. Si enim filia alteri nupta esset, qui eam honestè retineret, & pater uirtute patriæ potestatis uelit eam exhiberi, repelleretur per exceptionem, ne scilicet matrimonia bene concordantia iure patriæ potesta.



potestatis turbentur. Ideoq; patri persuadeatur, ne patriam potestatem acerbè exerceat. d. l. 1. in fin. ff. eod.

Tertio propter eum, qui fortè misericordia ductus retineret filiū alterius, & non dolo malo &c. Dico filium, uel filiamfam. ad differentiam emancipatorum, quia illi hoc interdicto exhibendi, non petuntur, cum non sint in patria potestate. Secundò ad differentiam matris, quæ non habet liberos in potestate. Ideo hoc interdicto uti non potest. l. 1. §. Hoc interdictum. ff. de liber. exhib. Dico inuitam, quia si filius familiæ suæ sponte esset penes extraneum, non haberet locū hoc interdictum, arg. l. fin. ff. eod. Competeret enim actio præiudicialis contra illum filium, de qua supra de actio. præiudicialibus. Dico parentis, quia hoc interdictum datur patri ad exhibitionem filij uel filiae. Item auo paterno ad exhibitionem nepotis uel neptis &c. Dico simpliciter exhibere, quia reo planè ex nulla causa datur exceptio, qua se contra exhibitionem tueri possit, nisi sit mater, uel maritus, de quibus supra, uel nisi iudicatum sit, eum qui exhibendus est, non esse in potestate petentis, tunc repelleretur petens exceptione rei iudicatæ, etiam si fuisset pronūciatum iniustè. d. l. 1. §. pari modo. ff. de liber. exhib. Et hoc interdictum est exhibitorium & præparatorium alterius, quod dicitur de liberis deducendis. Nam quando liberi in potestate constituti qui retenti erant, exhibiti sunt, & aliquis prohibet ne parentes possint eos ducere quo ius habent ducendi, subuenitur eis per interdictum de liberis deducendis, nisi is de cuius ductione agitur, fuerit impubes, & dubitetur de patria potestate. Tum enim cognitio usq; ad tempus pubertatis differri debet. Sed tamen hoc casu personæ eorum qui agunt, item genus causæ attendi debent. uide de his l. 3. §. Iulianus. ff. de liber. exhiben.

*interdictum  
de liberis deducendis.*

Secundum Interdictum est de liberto exhibendo, quo agit patronus contra eum, qui libertum suum retinet, & impedit quo minus conuentus operas iniungere & exigere possit, secundum gloss. in §. summa. Verſ. Exhibitoria, in uerbo, indicere, hic tit. nostro.

Tertium est de tabulis exhibendis. Datur autem hoc interdictum ei, cuius inter est tabulas defuncti exhiberi, contra eum qui dolo malo eas retinet, & exhibere negat, siue dolo desijt exhibere posse, ad id quanti Actoris interest. l. 1. in prin. ff. de tab. exhib. Dico tabulis, quia sub illa uoce comprehenduntur, primò Testamenta, secundò Codicilli, tertio Libelli & Epistolæ fideicommissariæ. Et in summa omnia, quæ ad causam Testamenti pertinent, non distinguendo siue Testamentum ualeat, siue aliqua ratione inutile, aut inualidum sit, nec etiã refert, siue sit unum Testamentum, siue plura eiusdem testatoris, d. l. 1. §. Hoc interdictum, cum sequent. ff. eodem.

*interdictum  
speciale.*

Quod



Quod dico exhibendis, tu intellige quod fiat coram Pratore, ut ex autoritate eius signatores admoniti ueniant ad recognoscenda sigilla. Exhibere autem hic significat materiae ipsius apprehendendae copiam facere. l. iij. §. Hoc interdictum. ff. eod. Dico ei cuius interest, quia omnes qui in Testamento quid adscriptum habent, agunt hoc interdicto, ut sunt haeredes directi, & fideicommissarij, Item legatarij. d. l. 3. §. solent. ff. eod.

Dico Tabulas defuncti, quia hoc interdictum ad testamentum uiuentis non pertinet, ideo si ipse testator dum uiuit, tabulas suas esse dicat, & exhiberi desideret, agat ad exhibendum, ut exhibitas uendicet. d. l. i. in fin. & d. l. 3. §. si ipse. ff. eod.

Secundo dico defuncti, ad differentiam scripturarum, quae sunt sicut per contractibus, ad illas quoque exhibendas agitur actione ad exhibendum, & rei uendicatione. Dico qui dolo, nam si quis confiteatur Testamentum penes se esse, sed in praesentiarum exhibere non posse, non est in dolo, nec conuenitur hoc interdicto, iubendus tamen est exhibere infra certum tempus.

Datur itaque contra eum qui negat se exhibere posse, aut oportere. d. l. i. §. si quis.

Dico dolo malo, quia si quis nec amoueret, nec celaret tabulas, sed eas tantum alij ideo tradiderit, ne interdicenti exhiberet, esset quidem in dolo, non tamen omnino in malo dolo, cum non fieret animo & consilio opprimendi. Ideo hoc interdicto non conueniretur. d. l. 3. §. si quis dolo. ff. eo. Dico desinet exhibere, ad differentiam illius, qui dolo fecit, quo minus tabulae a principio ad eum perueniret, secundum gloss. in d. l. i. in uerbo, ut desinerent. Secundo ad differentiam illius, qui sine dolo deleuit Testamentum in totum, uel pro parte, si tamen adhuc legi potest. His casibus non competit hoc interdictum, si autem ita deletum esset, ut legi non posset, haberet locum quasi dolo desisset exhiberi posse propter deletionem. d. l. i. in fin. ff. eod. Dico quanti Actoris interest, quia in hoc interdicto aestimatur interesse Actoris, secundum causae qualitatem, ut si Actor est haeres, fit alia aestimatio, quam si esset legatarius. d. l. iij. §. condemnatio. Durat autem post annum, & datur haeredi caeterisque successoribus. d. l. iij. in fin. ff. de tab. exhib. Interdicta priuata specialia, quae dantur officij tuendi causa, sunt de libero homine exhibendo, de uasallo exhibendo.

Interdictum de libero homine exhibendo, datur cuilibet, contra eum qui dolo malo & sciens retinet hominem inuitum, de cuius libertate non dubitatur ad hoc ut exhibeat, & est introductum causa tuendae libertatis. Cum is parum differat a seruo, cui non datur facultas



tas recedendi. l. 1. & 2. ff. de liber. homine exhiben. Dico in definitio-  
 ne cuiuslibet, quia favore libertatis hoc interdictum omnibus compe-  
 tit, nisi forte contra actorem præsumptiones extent, quòd soleat col-  
 ludere uel calumniari, Hinc est, quòd si mulier, uel pupillus pro co-  
 gnato, parente uel affine hoc interdictum desideret, admitteretur. d.  
 l. 3. § hoc interdictum, Plures tamen Actores non admitterentur, sed  
 Pretor elegit eum, qui est magis idoneus. Dico dolo malo. Primò ad  
 differentiam illius qui retinet eum quem habet in potestate. Suo enim  
 iure utitur. Idem dic de eo, qui retinet emancipatum, libertum, seu  
 alumnus, & c. d. l. 3. § is tamen. ff. de libero exhibend. Secundò ad  
 differentiam illius, qui retinet eum quem redemit ab hostib. nec est  
 precium pro eo oblatum, si autem semel remiserit, precio etiam non  
 dato, & postea uelit iterum retinere, competeret hoc interdictum.  
 d. l. 3. § si quis eum. ff. eodem. Tertio ad differentiam illius, qui libe-  
 rum hominem bona fide pro seruo emit & retinet. l. 4. ff. eod. Dico  
 sciens, nam is qui nescit apud se esse liberum hominem, caret dolo.  
 Vbi autem certioratus retinet, dolo non caret. d. l. 3. § Is qui. Dico  
 hominem, quia non distinguitur, siue sit masculus, siue femina, pu-  
 bes, uel impubes, unus siue plures, sui uel alieni iuris, hoc enim solum  
 spectatur, an liber sit. l. 3. § hæc uerba. ff. de liber. homine exhibē. Di-  
 co inuitum, quia qui uolentem retinet, non tenetur, nisi calliditate  
 quadã eum circumuenerit, seduxerit, uel sollicitauerit. d. l. 3. § si quis  
 uolentem. Dico de cuius libertate non dubitatur, quia si dubium est,  
 utrum sit liber uel seruus, & sic quãdo mouetur status controuersia,  
 non datur hoc interdictum, sed liberalis causa. d. l. 3. § Is qui. Dico  
 ut exhibeat, quia agitur ut liber homo retentus, in publicum produ-  
 catur, & facultas uidendi, tangendiq; hominis præbeatur. Exhibe-  
 re enim propriè est extra secretum habere. d. l. 3. § Is qui. Verf. Ait  
 prator. ff. eod. Et sic stat per retentorem, quò minus possit hoc in-  
 terdicto conueniri, ut quia abest & c. itur ad bona illius. d. l. 3. in fin.  
 Quod autem attinet ad interdicta de alijs personis exhibendis, nota  
 talem regulam. Quicumque habet aliquod Ius Reale in persona ali-  
 cuius, propter quod competat Actio in rem, is potest intentare inter-  
 dictum de illa persona exhibenda, seu deducenda ad similitudinem  
 interdictorum præcedentium, ut dominus agit de uasallo seu asseri-  
 ptio exhibendo seu deducendo, ciuitas pro ciue. l. de iure. ff. ad mu-  
 nicipales, tutor pro pupillo, maritus de uxore exhibenda, etiam si pa-  
 ter eam retineat. l. 2. ff. de liber. exhiben. Hanc regulam tractat Bart.  
 in d. l. 2. ff. de liber. exhib. Quod autem dixi de iure Reali, fit ad dif-  
 ferentiam creditoris, qui quoque ius habet in persona debitoris, sed  
 personale, non autem Reale, sicuti pater, quia credendo liberat se.

Igitur



Igitur quoq; creditor non potest de debitore exhibendo agere, sed debet mitti in possessionem bonorum eiusdem. l. si. §. fina. ff. de lib. ho mine exhib. Interdicta priuatae utilitatis specialia, quae causa rei fami liaris conseruandae dantur, sunt duplicia, quaedam respiciunt causam proprietatis, quaedam uero causam possessionis.

CAVSAM proprietatis respicit de itinere, actuq; priuato, & ha bet duo membra. Primum datur contra eum, qui turbat aliquem qui hoc anno itinere, actu, uel uia priuata non ui, nec clam, nec pre cario usus est. l. i. in prin. ff. de itinere actuq; priuato. Dico turbat, ad differentiam illius, qui utentem seruitute omnino eiecit. Contra il lum enim datur utile interdictum unde ui, ut infra dicemus. Dico hoc anno, quia hic non quaeritur, utrum utens habuerit seruitutem iure impositam, nec ne, sed tantum an itinere, actu uel uia priuata hoc anno, modico tempore, id est, non minus quam 30. diebus usus est. Non enim necesse est, semper ire, cum plerumque id itineribus, uel uia non utamur, nisi cum usus exegerit. d. l. i. §. Hoc interdicto. ff. eo. Si tamen quis propter inundationem non usus sit itinere, actuq; hoc anno, uel per uim prohibitus, cum superiore anno usus sit, potest ni hitominus petita restitutione in integrum hoc interdicto uti. d. l. i. §. si quis propter. ff. eod. Et sic nota quod is qui 30. diebus hoc anno iuit, ambulauit, seu egit, per hoc constituitur in quasi possessionem iuris eundi, ambulandi, agendi &c. Seruitus tamen nondum est con stituta per hos actus, sed incipit praescriptio currere, quae si interrup ta non fuerit, seruitus constituitur. Dico itinere, actu uel uia, nam si eet hoc interdictum datur tantum pro seruitutibus rusticis, non au tem urbanis. d. l. i. in prin. ff. eod. Non tamen datur pro omnibus ser uitutibus rusticis, sed tantum pro istis tribus. Aliarum enim seruitu tum quasi possessionem non acquirimus tam breui tempore, ut est ius aquae duceandae, & similibus, quae si interdum permittantur, cen sentur ex quadam amicitia domini fundi concedi, igitur ducens pro hiberi potest, uide de hoc Barto. in d. l. i. ff. eod. Dico priuato, ad dif ferentiam itineris seu uiae publicae, pro quibus dantur alia interdi cta, ut de uia publica, uel itinere publico reficiendo, de quibus supra. Quod dico clam, intellige de eo qui prohibitos utitur. l. 3. in prin. ff. eod. Quod dico usus est, intellige siue fiat per se ipsum, uel per aliu eius nomine, ut per hospitem, colonum &c. Et datur hoc interdi ctum domino alicuius fundi, item emptori, usufructuario, usuuario, & similibus. Et datur quanti interest illius qui ire, uel agere prohibe tu. l. 3. §. Hoc interdictum. ff. eod. Et hoc membrum non pertinet proprie ad ius proprietatis, sed tantum ad ius quasi possessionis &c.

Secundum membrum istius interdicti datur illi, qui hoc anno no ui,



ui, nec clam nec precario usus est uia, actu, seu itinere priuato. Habet  
 que Ius reficiendi contra impedientem refectionem. d. l. 3. Ait Prætor.  
 ff. de itin. actuq; priua. Priores partes istius definitionis, supra tra-  
 ctatæ sunt. Verbum autem reficere, hic significat ad pristinam for- Reficere.  
 etatæ sunt. Verbum autem reficere, hic significat ad pristinam for-  
 mam, iter, actum, seu uiam reducere, hoc est, ne quis dilatet, depri-  
 mat, producat seu exaggeret. d. l. 3. §. Reficere. Dico autem ius refici-  
 endi, ad differentiam præcedentis membri, quia proximo interdi-  
 cto omnes uti possunt qui hoc anno usi sunt. Hoc autem interdicto  
 is tantum utitur, qui hoc anno usus est, & quoq; probare potest, ser-  
 uitudinem iure sibi deberi, & constitutam esse, & ideo agens hoc inter-  
 dicto, tenetur duo copulatiuè probare. Primò, quòd hoc anno illo  
 iure usus sit. Secundò, quòd illa seruitus ei expressè debeat. d. l. 3.  
 Hoc autem à superiori. ff. eod. Et ideo hoc interdictum pertinet ad  
 Ius proprietatis, quia Actor non tantum tenetur probare usum &  
 possessionem, sed ipsum ius seruitutis, tale scilicet ex quo possit inten-  
 tare confessoriam, uel negatoriam actionem.

Est autem hoc interdictum transitorium ad hæredes. l. apparet. ff.  
 de itin. actuq; priua.

Interdicta autem quæ dantur causa conseruandæ rei familiaris,  
 respiciuntque causam possessionis, sunt triplicia, Adipiscendæ, Re-  
 tinendæ, & Recuperandæ.

#### DE INTERDICTIS ADIPISCENDÆ.

Interdicta adipiscendæ dantur illis qui de nouo conantur adipisci  
 possessionem rei, quam prius nunquam habuerunt. Ideo si quis ade-  
 ptus possessionem, eam amiserit, hoc interdictum ei inutile est §. se-  
 quens, uers. pro possessore, hic titulo nostro.

Sunt autem interdicta adipiscendæ tria, quorum bonorum, quo-  
 rum legatorum, & Saluiantum interdictum. Quorum bonorum da-  
 tur bonorum possessori de Iure Prætorio pro adipiscenda possessio-  
 ne bonorum hæreditariorum corporalium contra possidentem pro  
 hærede, uel pro possessore. l. 1. ff. quorum bonorum. Et est in effe-  
 ctu nihil aliud quam petitio hæreditatis. Quod enim est petitio hæ-  
 reditatis de iure ciuili, hoc est quorum bonorum de Iure prætorio.  
 Dicitur autem quorum bonorum ideo, quia edictum Prætoris his  
 uerbis incipit: Quorum bonorum ex edicto meo illi possessio data  
 est &c. Dico autem bonorum in plurali, quia hoc interdictum non  
 datur pro singulis rebus, sed pro uniuersitate, sicuti petitio hæredita-  
 tis. d. l. 1. ff. quorum bonorum. Quod dico possessori, tu intellige pro  
 una uoce, nempe pro hærede Iuris Prætorij, cui scilicet competit bo-  
 norum possessio, primùm ex edicto Prætoris mortui, quæ edicta ap-  
 pellantur, ut unde liberi, unde cognati, unde uir & uxor &c. Dein-



ENARRATIONES IN INSTITVT.

de cui illa bonorum possessio per iudicem uiuum decreta est, quæ  
Decretalis appellatur, ut colligitur ex textu iuncta gl. in d. §. sequens.  
in uerbo, data est, hic tit. nostro.

Licet Angelus hic teneat hodie non esse necesse, quod iudex bo-  
norum possessionem decernat, sed satis esse coram iudice possessio-  
nem bonorum agnoscere, licet suam autoritatem non interponat.  
Dico pro adipiscenda, quia hoc interdictum datur ei qui possessio-  
nem nunquam habuit, sed uult de nouo adipisci. Qui enim possessio-  
nem habet, & turbatur in ea, agit interdicto uti possidetis uel utro-  
bi: qui uerò eam amisit, agit rei uendicatione uel publiciana, uel inter-  
dicto unde ui &c. ut infra dicemus. Dico possessione, ad differentiã  
petitionis hæreditatis, quæ datur non pro adipiscenda possessione,  
sed proprietate rerum hæreditariarum, secundum gl. super Rub. C.  
quo. bono. Dico bonorum hæreditariarum, quia non distinguitur  
siue Actor sit bonorum possessor ex Testamento, uel ab intestato. l.  
2. C. quorum bono. Deinde quoq; non refert, siue reus omnia bona  
hæreditaria possideat, siue partem eorum, siue unam aliquam rem.  
Dico corporalium, quia res incorporales, ut lura, seruitutes &c. in  
hoc interdicto non ueniunt. l. ij. ff. eo. Et in hoc iterum differt à peti-  
tione hæreditatis, quia in ea ueniunt quoq; res incorporales, ut lura,  
seruitutes, &c. l. Item uidendum, §. fin. cum similibus. ff. de petit. hære-  
ditatis. Quod dico possidentem, tu quoque extende ad eum qui do-  
lo delinjt possidere. l. i. ff. eod. Quod dico pro hærede, tu intellige de  
eo qui dicit se hæredem, cum sciat se hæredem non esse. Item intellige  
de eo qui putat & credit se hæredem, cum tamen non sit. Licet enim  
posteriori casu tit. pro hærede habeatur pro sufficienti ad inducen-  
dam usucapionem, ut ff. & C. per totum pro hærede, Priusquam ta-  
men usucapio completa est, non habetur pro sufficienti titulo, per  
text. hic iuncta gl. & d. l. i. ff. eod. Quod dico pro possessore, intel-  
lige de eo, qui dicit se possidere pro rebus suis, nec tamen poterit al-  
legare titulum siue causam suæ possessionis, nam licet regulariter ne-  
mo teneatur allegare titulum suæ possessionis, tamen in petitione hæ-  
reditatis & interdicto quorum bonorum, fallit regula. l. cogi. C. de  
petit. hæredit. Sit ergo Actor cautus, ut ante litem contestatam in-  
terroget reum simpliciter, an bona hæreditaria possideat. Si neget  
se possidere, nec actor possessionem probauerit, cessat interdictum.  
Actore autem probante possessionem contra negantem, transfertur  
possessio sine alia cognitione in eum, propter Rei mendacium. l. si. ff.  
de rei uendica. Si autem reus fateatur se possidere, interrogandus  
est quo titulo possideat, si allegauerit titulum, tenetur eum probare  
cum omnibus suis qualitatibus, ut si allegauerit titulum emptionis,  
tenetur



uenetur ostendere à quo, & quāto precio emerit, quod si probauerit, iterum cessat interdictum. Sicut enim contra titulo possidentem, nō datur petitio hæreditatis, ita quoq; nec Interdictum quorum bonorum. d. glos. super Rub. C. quorum bonorum, cum ibi notatis. Ratio autem quare illæ Actiones non dentur contra titulo possidentem, hæc est, quia agens ad bona hæreditaria, habet solum titulum hæditarium, quo se fundat agendo. Possidens autem res hæreditarias cū titulo habet duo, scilicet possessionem & titulum, & sic est eius causa potior merito. Ergo ab eo qui nudum titulum habet, uinci non debet. Si autem titulum nō probauerit, uel respōderit se possidere pro hærede, seu pro possessore, tum propriè competit hoc interdictum. Est autem interdictum quorum bonorum duplex, Directum & Vtile. Directum datur bonorum possessori de Iure Prætorio. Vtile uerò datur hæredibus de Iure ciuili, secundum glos. super Rub. & quæ ibi notantur per Bart. Bal. & Sal. C. quorum bonorum.

Interdictum quorum legatorum datur hæredi & bonorum possessori contra legatarios, qui sine uoluntate hæredum occupauerunt de facto legata, ut titulo pro legato ea possideant, uel dolo desinant possidere ad hoc ut res legata restituatur, & præstetur interesse. Hoc interdictum dicitur ideo adipiscendæ, quia locum habet si legatarius occupando præuenit hæredem, qui rei legatæ nunquam habuit possessionem. Si enim aliquo modo habuisset & amisisset, competere Interdictum recuperandæ. Quod dico hæredi & bonorum possessori, tu extende quoq; ad hæredes eorum, non autem ad alios successores. Quod dico contra legatarios, intellige de meris legatarijs. Si enim hæredi quid prælegatum esset, & id occupasset propria autoritate, cessaret Interdictum. Idem dic de donatario mortis causa, nisi rem legatam habeat, ut donatum. d. l. 1. §. si quis. ff. quorum legator. Deinde extende etiam ad hæredes legatariorum, & alios eorum successores, siue sint uniuersales, siue singulares. d. l. 1. §. Legatorum. ff. eod. Dico sine uoluntate, quia si hæres post aditam hæreditatem, uel agnitam bonorum possessionem, cōsenserit occupationi, cessat hoc Interdictum. Si autem ante aditam hæreditatem cōsensisset occupationi, nihil operatur is cōsensus. d. l. 1. §. Quod ait prætor. la. ij. ff. eo. Quod dico de uoluntate hæredum, intellige de omnibus hæredibus. Si enim unus consentiret, alij uerò non, unius consensus non impediret Interdictum. d. l. 1. §. si alter. Dico de facto, Quia nemo debet si. b. i. p. si ius dicere, sed ab hærede iusto ordine petere, si quid debetur. d. l. 1. Vers. Etenim æquissimum. Dico legata simpliciter, Quia hoc Interdictum datur indifferenter, pro quibuscunq; reb. legatis de facto per legatarium occupatis, siue sint corporales, siue incorporales. d. l.



16. Quod ait prætor. Et in hoc differt à superiori, quòd pro reb. incorporalibus non datur, l. fi. ff. Quorum bonorum. Dico titulo pro legato. Quia si dicat se possidere pro hærede uel pro possessore, datur quorum bonorum, uel petitio hereditatis. Quando tamen incertum est, an pro legato uel possessore, uel pro hærede possideat, potest utrumq; intentari in eodẽ libello, tam petitio hereditatis, quàm quorũ legatorũ, ut siue quis p hærede, uel p possessore possideat, hoc interdicto teneatur. Quotiens. n. incertum est, quæ actio potius teneat, possumus duas simul intentare, & protestari ex altera, nos uelle consequi quod nobis debetur. d. l. 1. § Quia autem. ff. eod. Dico possideat. Nam si quis missus est in possessionem legatorum, causa conseruandę rei, non dicitur possidere, sed custodire. Ideò non habet locum Interdictũ, præsertim quum etiam huius rei autorem habeat prætorem, nisi fortè legatorum nomine per hæredem cautũ esset. d. l. 1. § Quę situm. Quòd dico, desijt possidere, intellige si efficit, ut non habeat facultatem restituendi. Quòd autem res legata hoc interdicto restituatur, agaturq; ad interesse, probatur expressè per tex. in d. l. 1. in principio. & per l. ij. § Ex hoc Interdicto. ff. Quorum legatorum.

De Saluiano Interdicto diximus suprà de Actione Seruiana. Et tantum de interdictis Adipiscendæ.

DE INTERDICTIS RETINENDÆ.

Interdicta retinendæ dicuntur, quibus agimus, ut possessionem, quam habemus, retineamus. Melius enim est possessionẽ retinere, & ab alio conueniri, quàm Actoris partes fouere. Nam si possessionem retinemus, & is qui contra nos petitorio agit, in probatione defecerit, manet res penes nos, etiamsi non ad nos, sed ad ipsum petitozem iure dominij, uel quasi, & cæt. pertineat. § Retinendæ, hic titulo nostro, Sunt autem duplicia. Aut enim dantur pro rebus corporalibus, aut pro iuribus incorporalibus. Quę uerò pro rebus corporalibus dantur, subdiuiduntur: Vnum datur pro retinenda possessione rerum corporalium, immobilium, & dicitur uti possidetis. Aliud uerò ut utrobi, datur pro retinenda possessione rerum mobilium.

Interdictum uti possidetis.

Interdictũ uti possidetis datur illi, qui iusto tẽpore res immobiles, quę possideri possunt, nõ precario, nec ui, nec clã ab aduersario possidet contra turbantẽ, ad hoc ut possessionẽ quietẽ retineat. Et est mixtum quoddam. Nam illi, quibus hoc interdictũ cõpetit, interdum actores & rei sunt utrinq;. Quando enim con-

tenditur



tenditur de possessione, & incertum est, uter litigantium possideat, competit utriq; hoc interdictum. Vincit autem is qui longiorem & iustiore possessionem probauerit. Licet autem in hoc Interdicto petitorium & possessorium non possint simul concurrere, quia priusq; ad petitorium perueniatur, determinari debet possessorium. Tamen ad probandam possessionem iustiore, admittuntur positiones, & articuli de dominio. Et is tunc quoq; censetur iustiore habere possessionem, qui de dominio probare poterit. c. Licet causam. §. Ex premissis, extra de probatio. Dico autem in definitione, iusto tempore, quia is qui hoc Interdicto agit, probare debet se possedisse duob. temporibus: nempe tempore turbationis, & quoque tempore litis contestatae. §. Sed hodie, cum multis similibus. hic titulo nostro. Et si reus contra Actorem possessionem probantem probare velit, probet Actorem à se clam, ui, uel precario possedisse. d. §. sed hodie. Dico res immobiles, ad differentiam Interdicti utrobi, quod datur pro retinenda possessione rerum mobilium, ut infra dicemus. Dico quæ possideri possunt, ad differentiam rerum communium, publicarum, sacrarum, sanctarum, religiosarum, quæ possideri non possunt, sicuti nec dominio nostro subijci. Instit. de rerum diuisio. in principio. Nota quoque obiter, quòd hoc interdictum non datur pro retinendis cloacis, quia alia Interdicta propterea proposita sunt. l. 1. in principio. ff. eodem.

Dico non ui, nec clam, nec precario, Quia clandestinam uel uiolentam possessionem quis retinere non potest, sed debet restituere. d. l. 1. §. final. ff. eodem. Dico ab aduersario, quia si à tertio quodam clam, ui, uel precario possideret Actor, nihil interesset aduersarij, d. l. 1. §. final. & l. ij. ff. eod. §. Hodie, hic titulo nostro. Dico possidet, quia hoc Interdictum primò datur ei qui naturaliter & ciuilitè possidet. Secundò ei, qui naturaliter tantum possidet, ut Vusufructuario, Vsuario, Vasallo & similibus, qui cum turbantur in possessione naturali, tamen hoc Interdictum retinent. l. fin. ff. eod. Deinde dico possidet, ad differentiam creditorum, & aliorum qui missi sunt in possessionem, non ut possideant, sed ut custodiant. d. l. iij. §. Creditores. ff. uti possidetis. Quod dico contra turbantem, tu intellige de quolibet impedimento, per quod inquietatur quis, quò minus possessione rerum suarum uti possit, quòd multis modis fieri solet. De quibus in d. l. iij. §. Hoc interdictum sufficit. ff. eodem. Dico ut quietè retineat, quia hæc est causa finalis istius Interdicti. Ideo Actor in libello primùm petit Reum condemnari, ut à præsentì turbatione desistat, & caueat de non turbando in futurum, præstetque interesse quanti scilicet Actoris inter sit liberam possessionem non habuisse. l.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

si duo. §. fina. cum glos. ff. uti possidetis. Est autem hoc Interdictum duplex, Directum & Vtile. Directum datur pro retinenda possessione rerum corporalium immobilium, & oritur ex verbis legis. Huc refer omnia quæ supra in definitione dicta sunt. Vtile uerò datur pro retinenda quasi possessione iurium incorporalium. Dico utile, quia ex verbis legis non habetur, sed colligitur ex eius mente. Dico pro retinenda quasi possessione, quia res incorporales non possidentur, sed quasi possidentur. c. Querelam. §. Nos igitur, cum similibus, extrà de Elect. Secundò dico pro retinenda quasi possessione, Quia si quis uelit agere pro retinendo iure ipso, & non tantum quasi possessione, non competeret Interdictum, sed Actio confessoria, uel negatoria, ut supra diximus de Actione confessoria. Dico iurium incorporalium, ad differentiam præstationum personalium, ut si es mihi obligatus, ut singulis annis des 10. aureos, si in illa receptione turbor, non datur hoc Interdictum, sed Actio ex illo contractu, unde obligatio orta est. Nisi fortè aliquod Ius prætendere in persona sic obligati, ut quia dico esse uasallum uel asscriptitium meum, per ea quæ notantur in l. ij. ff. Quorum bonorum. Datur itaq; pro turbata quasi possessione usufructus, usus habitationis, iurisdictionis, iuris recipiendi seruitia inter aliquos homines, ut uasallus, & similes, per ea quæ not. in c. licet. §. Ex præmissis, iuncta glo. in uerbo possidetis, extrà de proba.

DE INTERDICTO UTROBI.

Interdictum utrobi datur pro retinenda possessione rerum mobilium. Et intellige utrobi, apud quem illa res est &c. Huc refer omnia quæ dicta sunt supra de interdicto uti possidetis. In omnibus enim conueniunt, excepto uno, Nempe quòd illud datur pro retinenda possessione rerum immobilium, hoc uerò pro retinenda possessione rerum mobilium. Habet autem hoc interdictum locum in duobus casibus. Primò si quis possidet rem mobilem, ut equum, & in eius possessione turbatur. Secundò, quando duo contendunt se possidere eandem rem mobilem, quod fieri potest, si ego habeo equum quem dico me uerè possidere, Tu autem obijcis me à te habere ex causa depositi, commodati, uel simili. His enim casibus possessio non trāsfertur. Interim ergo priusquam discutatur, ex qua causa habeat, dubium est uter possideat, datur itaq; utriq; & is retinet possessionem, qui eam probauerit.

CAUSA istorum duorum Interdictorum est uis turbatiua. Est enim uis quadruplex, Compulsua, expulsua, inquietatiua & ablatiua. Compulsua dicitur, quando quis ui uel metu compellitur ad ali-

quid



quid faciendum, & ex illa oritur actio quod metus causa, Expulsiva dicitur, quando quis per uim ex possessione rerum immobilium expellitur, & oritur ex ea Interdictum unde ui. Ablatiua dicitur, quando per uim res mobiles auferuntur, & ex illa oritur actio ui bonorum raptorum. Turbatiua, seu inquietatiua dicitur, quando quis turbatur in possessione rerum suarum, & ex illa oritur Interdictum uti possidetis, & utrobi. Vide gloss, in c. Ad audientiam, extra, quod metus causa. Causa finalis, ut retineatur possessio, & desistat reus à turbando. Quibus autem modis in his interdictis feratur sententia, uide gloss, & ibi dd. in c. licet, in uerbo, possidetis, extra de probat.

### DE INTERDICTIS RETINENDÆ.

Interdicta retinendæ, de quibus agimus, ut quasi possessionem in rium incorporalium specialium quorundam retineamus, hæc sunt: de superficie, de itinere actuq; priuato, & uia priuata. De aq. quo. & æst. Item inter eos qui ducunt aquam per eundem riuum, item inter eos qui ex eodem castello ducunt, de quibus in glo. in §. retinendæ, in uerbo, ingens, hic tit. nostro.

Interdictum de superficiebus datur illi, qui non ui, nec clam, nec precario, sed ex conuentione habet ius fruendi superficie in solo alterius, & in eius quasi possessione turbatur. Dico ex conuentione, ut quia conduxit uel emit. Licet autem hoc casu competant quoq; Actiones civiles personales, pro retinendo illo iure, ut actio ex conducto, uel ex empto, directæ, & utiles. Directæ contra ipsos locatores, siue uenditores turbantes. Utiles uerò contra tertium turbantem. Tenerentur enim uenditores siue locatores, quibus hoc casu contra tertium turbantem directæ Actio competit, ipsi superficiario utiles actiones cedere &c. Tamen utilius & tutius est, hoc Interdicto quasi in rem agere propter commodum possessionis, ut scilicet possessio retineatur. l. i. §. Qui superficiem. ff. de superficie. Dico in solo alterius, quia is in cuius solo est superficies, non opus habet hoc Interdicto, Quia competit Actio in rem, quam habet pro retinendo toto solo, uel habet Interdictum uti possidetis. d. l. i. §. Is autem. ff. de superficiebus. Huc refer omnia que de Interdicto uti possidetis diximus. d. l. i. §. proponitur. ff. eodem. Secundum est de itinere actuque priuato. Et de hoc supra diximus. Tertium est de aqua quotidiana & æstiuam, quod datur ei qui non ui, nec clam, nec precario hoc anno duxit aquam quotidianam, siue æstiuam, ex aquis perennibus fluentibus, ad usum & commodum suum, ad hoc ut quasi possessionem illius iuris retineat. Dico non ui, nec clam, nec precario, Quia hoc interdictum primum datur illi, qui scit se habere ius ducendæ aque. Secundo illi qui



ENARRATIONES IN INSTITVT.

putat se iure ducere. Licet enim in facto errauerit, nihilominus datur hoc Interdictum. l. 1. § Caput. & § Aristo. ff. de aqua quotidiana & æstiuā. Quod dico hoc anno, non est intelligendū, quod hoc anno quotidie duxerit, quia satis est uel una die, siue una nocte istius anni duxisse. Per hoc enim acquisiuit quasi possessionem. d. l. 1. § Quod autem. ff. eodem. Eodem tamen modo semper ducere debet, quo hoc anno duxit, & non ampliori. d. l. 1. § Illud tamen. ff. eod. Dico aquam simpliciter, quia hoc interdictum quoque procedit, si à capite ut fonte, flumine uel lacu ducatur. d. l. 1. § Caput. Nec distinguitur, siue aquæ sint calidæ siue frigidæ, siue sint intra urbem, siue extra urbem. d. l. 1. § Idem Labeo. § siue autem. ff. eodem. Quod dico quotidianā, intellige de ea aqua, quæ quotidie duci potest, hyeme uel æstate, licet aliquo momento temporis ducta non sit. Quod dico æstiuam, intellige de aqua, quæ quotidie quidem duci potest, æstate uel hyeme. Ducitur autem æstate tantum, non quia non possit hyeme, sed quia non solet. d. l. 1. § Quod autem scriptum est. ff. eodem. Dico autem quis perennibus. Quia ex nulla alia aqua potest duci, nisi quæ perennis est. d. l. 1. § Loquitur. Dico fluentibus. Nam licet quædam aquæ sint perennes, duci tamen non possunt, ut sunt puteales. Et quæ ita submersæ sunt, ut defluere extra meatus suos non possint. d. l. 1. § Quamquam. Dico ad usum & commodum suum, quia hoc Interdictum non tantum competit pro aqua ducenda, ad agrum irrigandum, sed ad quemcunq; usum. Ideo ad rustica uel urbana prædia quis ducere potest. d. l. 1. § Illud quæritur, Imò pecoris uel amoenitatis causa quoque aqua duci potest. l. Hoc iure. ff. eodem. Est autem hoc Interdictum duplex, Prohibitorium & Restitutorium.

*Prohibitorium.*

Prohibitorium est, quando quis prohibetur, ne quid faciat, fodiat, serat, succidat, putet &c. quia ex re illa aqua, quam Actor hoc anno duxit, inquinetur, uicietur, corrumpatur, deteriorue fiat. d. l. 1. §

*Restitutorium.*

Labeo. Restitutorium est, ut si cum aquam duxisses, aduersarius te prohibuerit, deinde tu interim ius aquæ ducendæ amiseris, præstatur per hoc Interdictum quod amisisti. d. l. 1. § Præterea illud sciendum. ff. eod.

*Interdictum inter corriuales.*

Interdictum inter corriuales datur, quando inter duos est contentio de aquæ usu, utroque suum esse contendente. Et hoc quoque est prohibitorium & restitutorium. d. l. 1. § si inter corriuales. ff. de aq. quot. & æsti. Idem dic de his qui ducunt aquam non ex ipsis capitibus & fontibus, sed ex castellis, hoc est, ex riuis siue receptaculis, quæ aquam publicam suscipiunt. Et hoc ius interdum datur personis, interdum prædijs. Quod prædijs datur, extincta persona non extinguitur. Quod autem personis conceditur, cum personis amittitur. Ideoque neq;



neq; ad alium dominum prædiorum, neq; ad hæredem, uel qualem-  
cunq; successorem transit. d. l. 1. § Ait prætor, cum sequen. ff. de aq.  
quot. & æst.

Differt autem hoc Interdictum à superioribus duobus, quòd supe-  
riora duo pertinent ad possessionem temporariam. Et præparat cau-  
sam ad acquisitionem illorum iurium, hoc autem interdicto ad pro-  
prietatem retinendam agitur. Nemini enim competit ius aquæ ducē  
dæ ex castello publico, nisi sit ei assignatum & specialiter concessum  
per magistratus. d. l. 1. § permittitur, cum seq. ff. de aq. quot. & æst.  
Et tantum de Interdictis retinendæ.

### DE INTERDICTIS RECUPERANDÆ

unde ui.

Interdictum recuperandæ est unde ui, datur autem hoc interdi-  
ctum ei qui ui non legitima ex possessione rerum immobiliū eiectus  
est, ad hoc ut possessionem recuperet. § Recuperandæ, hic tit. nostro.  
Et habet nomen à uerbis prætoris, quæ talia erant: unde ui tu illum  
deiecisti & c. l. 1. ff. de ui & ui arma. Dico ui non legitima. Primùm ad  
differentiam illius uiolentiæ, quam quis iussu iudicis patitur, ut in exe-  
cutione sententiæ & c. l. Qui restituere. ff. de Rei uendicat. Secun-  
dò ad differentiam illius, qui quum eiectus est, possessionem amissam  
cum moderamine in continenti, hoc est, quod ad alios actus extra-  
neos non reuertitur, recuperat. Censetur enim hoc casu suam posses-  
sionem potius defendere, quàm recuperare. l. iij. § Eum igitur. & l. qui  
possessionem, cum ibi nota. ff. de ui & ui arma. Tertiò ad differentiã  
illius qui eijcit, & habet ius commune pro se contra eiectum, tū enim  
non datur restitutio, c. Ad decimas, cum ibi nota. extrã de restitut.  
spol. in vi.

Dico ex possessione simpliciter, Primùm ideo, quòd hoc interdi-  
ctum non tantum habet locum, si te eijcio ex possessione tua, sed etiã  
procedit, si te uiolenter eijcio ex possessione mea, quam à me ui, clam  
uel precario possidebas, nemini enim licet sibi ipsi ius dicere § Recu-  
perandæ, cum similibus, hic tit. nostro. Et hinc est, quòd dicitur præ-  
donem siue latronem spoliatum restituendum esse. c. in literis, extrã  
de rest. spol. l. 1. § Qui à me. ff. de ui & ui arma. Secundò dico ex pos-  
sessione simpliciter, quia hoc interdictum datur ei qui naturaliter &  
ciuilitèr possidebat, deinde quoq; illi qui naturaliter tantum posside-  
bat, ut usufructuario, & similibus. Postremò illi quoq; qui ciuilitèr  
tantum possidebat, ut qui abfuit, & in absentia eius possessio per aliū  
occupata est, qui redeuntem non admittit. d. l. 1. § Siue autem corpo-  
re. ff. de ui & ui arma.

Tertiò dico possessione, ad differentiam inquilinorum & colono-  
rum,



rum, qui cū nullam habeant possessionem, neq; hoc interdictū eis datur, Depositarijs tamen et Commodatarijs & similibus datur hoc interdictum, quia eorum interest. d. l. 1. Dico rerum immobilium, ad differentiam actionis vi bonorum raptorum et furti, quæ dantur pro amissione rerū mobilium, ut supra dictū est. Licet autem hoc interdictum principaliter non detur pro recuperanda possessione rerū mobilium, secundario tamen & in consequentiam quoq; pro rebus mobilibus existentibus in re immobili occupata, dat. d. l. 1. Illud utiq; ff. de vi & vi arm. Dico eiectus est, ad differentiam illius, qui in possessione tantū turbatur, Etenim datur interdictum retinendæ, ut supra diximus. Dico ut recuperet, quia hæc est causa finalis istius interdicti, & datur contra eum qui deiecit, uel qui mandauit siue iussit, ut quis deiceretur. Item contra eū qui eiectionem ab alio suo nomine factam, ratam habuit. d. l. 1. de iecisse. ff. de vi et vi arma. In hac autē recuperatione uenit primū, ut res occupata restituatur, & alia quoq; quæ in ea continebantur, Nec liberatur spoliator interitu rei, quia à tempore delicti, est plus q̄ frustrator, & fuit in mora d. l. 1. Quod autem, & rectissime, cum similibus. ff. de vi & vi arma.

Secundò ueniunt fructus percepti & percipiendi, & omne interesse deiecti, quod scilicet haberet, si scilicet deiectus non fuisset. d. l. 1. Qui autem vi deiectus est. ff. de vi & vi arma. Est autē duplex interdictum unde vi, Directum & utile.

Directum datur pro recuperanda possessione rerum immobilium corporalium, de quo diximus in definitione. Utile uerò datur pro recuperanda quasi possessione rerum incorporalium, ut si quis esset spoliatus redditibus, beneficijs &c. Quod autem in his fieri possit spoliatio & restitutio, sunt text. in c. Nullus, 2. q. 2. c. Ad decimas, cum multis similibus, in glos. ibi alleg. extra de restit. spol. in 6.

In directo probat Actor se fuisse in possessione, & spoliatum esse. In utili probat se fuisse in quasi possessione, & spoliatum esse. De hac diuisione uide copiosè Spec. in §. 1. & §. 2. in tit. de restitut. spoliat. Hoc autem interdictum unde vi, continet iudicium civile, non autem criminale, nec est famosum. Annale autem est de eo quod non peruenit ad uiolentum: intellige tamen de anno utili, non autem continuo. d. l. 1. Annus. ff. de vi & vi arma.

Perpetuum uerò est de eo, quod peruenit ad uiolentū. d. l. 1. in prin. ff. de vi & vi ar. Ideò quoq; datur hæredibus spoliati, & contra hæredes spoliantis in id, quod ad eos peruenit, doloue malo factū est, quo minus perueniret. d. l. 1. fin. & l. 2. ff. de vi & vi ar. Dic



Dic autem breuibus multa esse remedia, quibus spoliatus uti potest. Primum est unde ui, de quo diximus, Sed eius loco plerūq; solet intentari Actio in factum, obseruatis tamen his quæ diximus. Secundum est Condictio ex Decretali sæpe, extra de resti. spol. quæ datur contra eū, qui licet nō spoliauerit, tamen rē spoliatam scienter à spoliatore accepit. Tertium est cōdictio ex canone reintegranda. c. Reintegranda, 3. q. 1. quæ est generalis, & datur contra omnes possessores, secundū Speculat. in §. 1. uer. Quartum, in tit. de rest. spol. Quartum est auxilium constitutionis, si quis in tantam. C. unde ui, quod datur simpliciter pro restitutione tam mobilium quàm immobilium. Quintum est Edictum diui Marci, quod præcipit, ut creditor debitorem suū in iudicio cōueniat, alioqui si pecuniam, uel rem obligatam propria autoritate acceperit, acceptam restituat, & actionem amittat. l. Extat, cū similibus. ff. quod met. causa. Sextum est de ui publica uel priuata, de qua dicemus infra de publ. iud. De his & alijs uide Spec. in d. §. 1. in tit. de rest. spol.

Nota obiter interdīcta adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ propriè dici interdīcta & iudicia possessoria. In adipiscendæ & recuperandæ possunt cōcurrere petitorium & possessorium. In retinendæ uerò non.

## DE POENA TEMERE LITIGANTIVM. Tit. XVI.

**T**EMERITAS litigantium punitur tribus pœnis, pœna corporali, pecuniaria, & infamiæ. Corporalis pœna imponitur calumniatoribus, uel similitudine supplicij, uel extra ordinem pro arbitrio Iudicis, per tot. tit. de calum. ad S. C. Turpil.

Pecuniaria pœna imponitur in multis casibus. Primò si liberi uel liberti uocant parentes uel patronos in Ius sine uenia, puniuntur illorum temeritas in 50. aureis. Secundò punitur temerè litigans in expensis & sumptibus, ut C. per tot. de fructibus & litium expensis.

Tertiò est pœna pecuniaria in omnibus actionib. dupli, tripli, & quadrupli, de quibus supra. Infamia notantur in octo Actionibus, de quibus in §. Ex quibusdam, hic titulo nostro. Præter istas pœnas partes & eorum aduocati tenentur de calumnia iurare, quòd scilicet credant se habere iustam causam. Et si hoc casu peierauerint, reseruetur pœna Deo.

Pœna iuramenti.  
iuramentum  
de calumnia.

## DE OFFL.



## DE OFFICIO IVDICIS. Tit. XVII.



**O**FFICIUM Iudicis est duplex, nobile & mercenarium. Nobile est, qd uersatur circa ea, quæ sunt meri & mixti imperij, & de hoc non loquitur tit. nost. Mercenarium uerò est, siue seruile, quod uersatur circa ea quæ sunt simplicis iurisdictionis, & de hoc loquitur textus noster.

**VERS.** Si uerò) Id est, bonæ fidei possessor tenetur tantum de perceptis & extantibus, non autem de consumptis & percipiendis, nisi post litem contestatam, tum enim tenetur tam de percipiendis, quam consumptis.

## DE PVBLICIS IVDICIIS. Tit. XVIII.



**P**er uicq; diximus de causis priuatis, quæ per actiones exercentur, nunc autem dicemus de delictis publicis. Dicuntur aut delicta publica, quasi populica, quia cuilibet de populo, modò sit habilis persona, ad accusandum competit eorum persecutio, secundum gl. hic, in uerbo publica. Sunt autem duplicia, Ordinaria, & extraordinaria.

Ordinaria sunt, quorum pœnæ specificè et nominatim in iure expressæ sunt, quæq; ordine Iuris scripti tractantur.

Primum ordinarium crimen est læsæ maiestatis, ut quando quis contra Imperatorem uel Remp. quibuscunq; modis quid molitur, uel ad hostes fugit. Et dicitur propriè crimen perditionis, cuius pœna est uitæ amissio, & damnatio memoriæ post mortem, ita quòd successorem non habet, quia fiscus eius bona occupat. per tot. tit. C. si quis Imp. maledix. & ad l. iul. maiest.

*Pœna adulterij* Secundum est adulterium, quod in nuptam committitur, & imponitur adultero pœna gladij, Adultera uerò uerberata in monasterium detruditur. Authentica, sed hodie, C. de adulterio.

Tertium est stuprum, quod in uirginem uiduamq; honestè uiuentem committitur, & est duplex, Voluntarium & uiolentum. Voluntarium est, quod uolente & cõsentiente uirgine uel uidua fit, cuius pœna est publicatio dimidię partis bonorum in stupratore honesto. In humili uerò coërtio corporis cum relegatione. Item lex Iulia, hic tit. no. Violentum stuprum est, quando uirgines uel uiduę per uim opprimuntur, uel abducuntur, non distinguendo siue nolentes siue uolentes abducantur, & dicitur propriè raptus, cuius pœna est pœna capitis, quam parentes uel cognati ipsi sumere possunt à rapiente, si in flagranti crimine deprehenderit, ut C. per totum de rapt. uirg. seu uiduarum.

Quartum



Quartum est incoestus, & dicitur consanguineorum, ut ascendē- *Incoestus.*  
 tium & descendentium, uel collateralium proximiorum abusus. c. lex  
 illa. 26. q. 1. & imponitur grauior poena quam pro adulterio, ut col-  
 ligitur ex c. 2. extra de eo qui cog. consang. uxo. suæ. Vide l. si adulte- *Peccatum con-*  
 rium cum incoestu, in prin. ff. ad l. Iul. de Adulter. De peccato cōtra *tra naturam.*  
 naturam uide in Autentico, ut non luxurientur contra naturam, col-  
 la. 6. & l. cum uir nubit in foeminam. C. de adulte.

Quintum est uis siue uiolentia, quæ est duplex, publica & priua- *Vis publica.*  
 ta. Vis publica est, quando cum armis uiolentia committitur, cuius *Vis priuata.*  
 poena est in liberis hominib. deportatio, In seruis uerò occisio, si in-  
 scio domino uim commiserunt, alioqui est damnatio in metallū. Vis  
 priuata est, quæ fit sine armis, cuius poena est ademptio tertiæ partis  
 bonorum, & amissio dignitatis & famæ. per tot. tit. ff. & C. ad l. Iul.  
 de ui publ. & priuata.

Sextum est homicidium, quod fit bifariam, aut per uim, aut uene- *Homicidium*  
 no, uel arte magica. Utroq; casu distingue: Aut interficitur extrane- *fit bifariam.*  
 us, & poena occidentis est hodie poena gladij, per tot. tit. ad l. Cor. de  
 sica. Aut interficitur unus ex ascendentibus uel descendantibus, puta  
 mater, pater, uel filius & c. & poena interficientis est, quod insutus cu  
 leo, cum cane, gallo gallinaceo, uipera & simia in uicinum mare uel  
 amnem proiciatur. per tot. tit. ff. ad l. Pomp. de parri. Et C. per tot.  
 de ijs qui parent. uel liber. occid.

Septimum est magia, siue sortilegium, & in hac distingue: Aut fit  
 in finem boni, puta ut detegantur furta, uel fructus terræ à tempesta-  
 tibus saluentur, ut si quis gesserit characteres in collo, ut custodiatur  
 & c. & de iure ciuili nulla extat poena, quia non peccant contra tran-  
 quillitatem publicam, nec aliquem lædunt, quia autem contra Deum  
 peccant, imponit ius Canonicum poenitentiam. extra per tot. de sorti-  
 legijs. Aut utitur arte magica ad finem mali, ut contra salutem homi-  
 num, uel ut pudicos animos ad libidinem prouocet, & poena gladij  
 imponitur. l. eorum. C. de Malef. & Mathe.

Mathematica autem propriè loquendo, omni iure est licita, di- *Mathematica,*  
 stingue tamen, Aut loquimur de Astronomia, quæ scilicet tradit a- *an et quando*  
 strorum cursus & motus, & indistinctè est licita, quia Iura Astrono- *est licita.*  
 mis præmia præscripserunt. l. 1. cum similibus. ff. de uar. & extra ord. *Astronomia.*  
 cog. Aut loquimur de Astrologia, quæ scilicet ex syderum motu col- *Astrologia.*  
 ligit prædictiones & diuinationes, & distingue: Aut quis ex altris  
 prædicat inclinationes, ut fit in natiuitatibus & c. Et licita est Astrolo-  
 gia. Aut prædicat quod necessario & aliter fieri non possint, quam  
 astra ostendant, & hoc est prohibitum. De hac materia uide totā cau-  
 sam 26.



ENARRATIONES IN INSTITVT.

Octauum delictum est uiolatio sepulchrorum, in quo distinguitur: Aut uiolantur sepulchra hostium, & sic impune. Aut uiolantur sepulchra ciuium nostrorum, & subdistinguitur: Aut dirimuntur tantum ædificia, statuæ, siue epitaphia monumentis imposita. Et datur actio Ciuilis in factum, siue interdictum, quod ui aut clam contra uiolatorem, ei, cuius interest, & punitur uiolans pœna pecuniaria, non minus centum aureis, qui agenti cedunt. Aut in uiolatione mortuorum corpora extrahuntur, & ossa diripiuntur &c. & tunc si uiolator est humilis persona, afficitur ultimo supplicio. Si autem honesta, deportatur in Insulam, aut relegatur, uel damnatur in metallum. C. per tot. de sepulchr. uio.

Pœna plagarij.

Nonum delictum est plagium, quod propriè fit, quando quis abducit & celat patri filium, domino seruum, & Reip. ciuem, & eos sciens uendit &c. cuius pœna est, quod plagiarius bestijs subijcitur, si est seruus uel libertus. Si uerò est ingenuus, & distinguitur, Aut est uilis persona, & punitur gladio, Aut nobilis, & damnatur in metallum, ut per totum titulum ad l. Fla. de plag.

Crimen falsi.

Decimum est crimen falsi: dicitur autem crimen falsi mutatio ueritatis dolosè facta, & committitur quatuor modis, Dicto, Scriptura, Facto, & Usu.

Dicto committitur, ut si quis dicat falsum testimonium, uel taceat ueritatem, uel aliquid acceperit ne ferat testimonium. Et hoc casu pœna falsi testis est triplex, quia tres lædit. Primò Deum, pro quo imponitur pœnitentia.

Secundò Iudicem, propterea fit infamis.

Tertiò proximum, contra quem testificatur, & punitur pro modo læsionis &c. Est & hoc crimen falsi, si Iudex sciens malè pronunciat, quo casu tenentur omnes, qui opem præstiterunt iudici. Item qui falsis illi utitur allegando.

Pœna Notarij falsi.

Scriptura fit falsum, quando falsum scribitur, uel uerum deletur, quo refer & hoc, si quis falso sigillo utitur. Pœna autem Notarij falsi est hodie, quod amittit manum. Item si quis sibi aliquid in Testamento asseribit.

Facto committitur falsum, ut in moneta & mensura. In moneta distinguitur, Aut quis habet potestatem cudendi, & cudit falsam, uel detrahit legitimum pondus, & tenetur l. Cornel. de falsis. Aut quis non habet potestatem cudendi, & tunc si alicuius monetam non recognoscentis superiorè, falsauerit, comburitur, & omnia bona sua confiscantur. Aut falsat monetam eius qui recognoscit superiorè, tunc deportatur. Domus autem in qua commissum est, publica tur. Idem est si quis monetam raserit &c. Item si quis sciens monetam ab alio



ab alio falsatam exposuerit, fustigatur uel relegatur. Pœna autem falsæ mensuræ, est pœna Relegationis. Pœna falsa mensuræ

Vsu committitur falsum, ut si quis utatur instrumento falso, uel gerat se pro milite, cum non sit, uel seruus pro libero homine. Item si quis dolose utatur falso nomine &c. Et hi omnes possunt se liberare abstinendo. Et in summa, falsum committitur, quoties ueritas dolose occultatur. Generalis autem pœna falsi est deportatio. Vide totum titulum ad l. Cornel. de falsis. Pœna falsi.

Vndecimum est crimen ambitus, quod committitur quando quis pecunia facit se eligi ad aliquam administrationem uel dignitatem, eius pœna est deportatio, per totum titulum ad l. Iul. de Ambitu.

Duodecimum est crimen repetundarum, quod habet locum, quando is qui est in publico officio, propter munera facit aliquid quod facere non debet. Cuius pœna est duplex, Civilis, aut Criminalis. Si civiliter agitur, condemnatur in quadruplum eius quod accepit, Si autem Criminaliter, subdistingue: Aut exitus causæ adfert damnum in corpore, et tunc, si sequitur mors, & pœna est capitalis, si uerò non sequitur mors, scilicet illius contra quem accepit munera, sed alia corporis læsio, & mittitur iudex in exilium, bonaque eius confiscantur. Aut exitus causæ adfert damnum in bonis, & pœna est depositio ab officio. Vide totum titulum ad l. Iul. repetundarum. Crimen repetundarum.

Decimum tertium est crimen peculatus, quod habet locum quando pecunia publica, res sacra, &c. interempto quoquo modo contaminata est, circa pœnâ distingue: Aut is qui subtrahit, est iudex, et in administratione, et pœna est, capitalis animaduersio. Aut is qui subtrahit, est priuatus aliquis, & pœna est deportatio. Tollitur tamen hæc accusatio spacio quinquennij. Crimen peculatus.

Decimum quartum est sacrilegium, quod propriè fit secundum legistas, quando quis aufert sacrum de loco sacro. Et imponitur pœna pro qualitate personæ, rei, temporis, ætatis & sexus, plerique in furcam suspenduntur. Hodie plerumque solent membra eorum in furcam contundi. Si autem quis modicum de templo extulerit damnandus est in metallum, uel in insulam deportandus est, si honestus, Vide totum titulum C. de crimine sacrilegij. Sacrillegium.

Decimum quintum est seditio, quod fit quando quis mouet populum contra Magistratum. Eius pœna sumitur pro qualitate personæ, & dignitate. Aut in furca suspenduntur, aut bestijs subijciuntur, aut in Insulam deportantur, uide totum tit. C. de seditiosis. Et tantum de delictis ordinarijs, nunc de extraordinarijs dicemus. Seditio.



Extraordinari  
um delictum.

Primum extraordinarium delictum est incendiū, in quo dicitur Aut quis sciens & prudens quid combussit, & igne necatur. Aut inscius, & tunc si culpa uel negligentia intercessit, & tenetur re-sarcire damnum, uel castigatur leuius &c. Si uerò casu fortuito accidit, meretur ueniam. l. qui ædes, & l. si fortuito. ff. de incendi-ruina &c.

Secundum est concussio, quo tenetur is qui occasione alicuius dignitatis uel officij quod habet, aliquem premit. Eius pœna est extraordinaria & arbitraria, pro modo delicti. Vide gloss. in l. 1. in uerbo, ablatum. ff. de concussio.

Crimen præua-  
ricationis.

Tertium est crimen præuaricationis. Dicitur autem præuari- cari is, qui aliquem accusauit, & fictitias probationes adduxit, omittendo ueras. Aduocatus quoq; præuaricari dicitur, qui par-tem aduersam adiuuat, prodita sua causa. Pœna utrinq; est arbi- traria & extraordinaria. l. 1. iuncta glos. ff. de præuaricato.

Stellionatus.

Quartum est crimen stellionatus, quod habet locum quando quis uarietatis & mendacij reus est, ut si quis unam & eandem rem scienter pluribus oppignoraret. Habet autem hæc accusa- tio locum, quando alia actio specialis non extat. Est enim gene- ralis in criminalibus. Sicuti Actio de dolo, uel in factum in ciui- libus. Eius pœna est arbitraria, modò tamen in uili persona non excedatur damnatio in metallum. Est in honestiorib. relegatio. Infamat tamen hoc crimen per totum titulum, de crimine stellio- natus.

Abigeatus.

Quintum est crimen abigeatus, quod fit quando quis dolo malo alienis insidiatur animalibus, & ea abducit. Eius pœna est damnatio in opus temporale, ubi tamen frequens fuerit, gladio punitur, per tot. tit. C. de Abigeis.

Occultatio la-  
tronum.

Sextum delictum est occultatio siue receptio latronum, uel si- milium; & puniuntur occultatores eadem pœna qua illi quos oc- cultant. ff. per tot. tit. de receptato. Alia sunt, ut de termino mo- to, de effractoribus, de sollicitatoribus alienarum nuptiarum. Item de ea quæ data opera partum abegit &c. de quibus omnib. uide totum ti. ff. de extraord. crimi. Persequimur autem delicta, præsertim publica, tribus modis: per uiam accusationis, inquisi- tionis, & denunciationis. Accusare nihil aliud est, quàm reum criminis alicuius per libellum deferre, uel facere ad uindictam, quod in ciuilibus est Actio, hoc in publico Iudicio est accusatio. In ea autem requiruntur tres personæ, accusator, accusatus et Iu- dex. Accusator tenetur se inscribere ad pœnam talionis, hoc est, si non probauerit delictum contra accusatum, puniretur eadem pœna

Accusare.



pena qua accusatus, si fuisset conuictus. l. fina. C. de accusatio.

Conuincitur autem accusatus manifestissimis probationibus, et luce meridiana clarioribus. l. si. C. de probat.

Inquisitio est, quando Iudex personam Actoris & Iudicis simul *Inquisitio.* obtinet. Et ita ex officio contra aliquem inquirit. Hoc autem casu necesse est, eum contra quem inquiritur, de crimine esse diffamatum, & quòd fama traxerit originē à fide dignis uiris, ut notatur in c. inquisitionis, extra de Accusationibus.

Denunciatio tantum fit in foro Ecclesiastico.

### SEQUITUR ENARRATIO

#### Textus.

*Ordinantur.*) Scilicet per accusationes, & per modum inquisitionis.

*Nec omnino.*) In Civilibus agimus, ut nos aliquid acquiramus. In publicis Iudicijs autem tantum agimus ad uindictam.

### LIBRI QVARTI INSTITVTIONVM Imperialium, finis.

FRANCOFORTI, apud Hæredes  
Christiani Egenolphi, Anno  
M. D. LVI. Men-  
se Augusto.







